R. P. PETRI DE BVGIS, TOLOSATIS,

E' Soc. IESV, SACRÆ THEOLOGIÆ in Burdigalensi Collegio Professoris emeriti.

TRACTATVS DE ADORANDÆ TRINITATIS MYSTERIO,

SEPTEM LIBRIS COMPREHENSVS.

Quorum quilibet post scholasticæ subtilitatem disputationis, morali seu mysticâ meditatione clauditur, ad pios voluntatis excitandos affectus.

NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODIT.



LVGDVNI,

Sumptib. LAVR. ARNAVD, & PETRI BORDE.

M. DC. LXXI.

CVM APPROBATIONE ET PERMISSV.

SANCTISSIMO
BEATISSIMOQVE PATRI

CLEMENTI X.

PONTIFICI MAXIMO
& Vniuersali totius Ecclesiæ Episcopo.

SACRA *istius tuæ spiritualis Dominationis, Imperiique Maiestas (*Beatissime Pater*) tam latè pertinet, quàm hæreditas, possessioque Christi; cùm certum sit, ac fide diuinâ sancitum easdem, quas Deus Pater Filio suo dedit gentes, Tibi vniuersas esse creditas, atque ipsos terræ terminos sub ius tuarum Clauium esse subiectos. Ideoque recenti patrum nostrorum memoriâ visi sunt, qui ab vltimâ vsque Iaponiâ Romam accesserint; vt eo loco ederent clientelare Christianæ Pietatis obsequium. Quare mirum videri nemini debet, si Gallus ex eo Regno,*

quod Summis Pontificibus refugium, atque præsidium semper fuit; & cuius Reges sanctam istam Sedem, vt Parentem suam, eâ, quæ primogenitos decet, veneratione prosequuntur; Sanctitati tuæ supremum Ecclesiæ Magistratum summâ totius Christiani Orbis lætitiâ ineunti donarium id offerat, quo illius continetur expositio Mysterij, cuius aperta confessio sancto Petro, Filij consubstantialitatem profitenti vniuersæ Principatum Ecclesiæ promeruit, & stabiliendæ Romanæ Sedis fundamentum fuit. Eiusdem etiam Mysterij facta sancto Ignatio apud Minoresam reuelatio contulit ad huius minimæ nostræ Societatis ortum; quando ille tam claram vnius in tribus personis Numinis cognitionem adeptus est, vt librum etiam ea de re, literarum humanarum adhuc expers conscripserit; felici quondam nascituræ inde Societatis præsagio; & magnâ ipsi Societati factâ per id admonitione de syncera in hoc explicando, tuendoque Mysterio doctrinâ.

Acceptius igitur hoc meum qualecumque munus fore confido, quòd à talis offeratur Professore Societatis. Præsertim cùm ea sit Romanæ Sedi obstrictissima, & speciali suo sacramento, & insignibus tuæ iam clementiæ beneficiis. In quibus illud maximum, quod & sanctum Franciscum Xauerium altiore Ecclesiastici Officij ritu auxisti; & (vt Stanislaum Koskam Beatorum numero taceam adscriptum)

de

de altero Francisco Beato Borgia inter Sanctos referendo consilium unà ferè cum eius rei faciendæ potestate suscepisti. Cuius Beati Borgiæ mentio suggerit insuper quippiam non ab huius alienum commendatione Opusculi; vtpote prodeuntis ex eo Collegio quod Beatus ille (tertius tunc nostræ Societatis Generalis) admisit hîc præsens; eique initium dedit anno superioris sæculi septuagesimoprimo, dum Burdigalâ transiret Alexandri Cardinalis in Galliam Legati comes. Quod Collegium, tanquam eius parens, suum dum vixit habuit. Atque ita dubium non est, quin factam sibi esse à Tua Sanctitate gratiam reputaturus sit, cùm donarium hoc tanquam à se profectum serenâ fronte admiseris.

Licet hæc sufficerent ad aliquid huic Opusculo conciliandum gratiæ, spes tamen præcipuè posita est in tuæ Sanctitatis clementia: cuius ad pedes cum religioso eorum osculo quidquid hoc muneris est exhibeo; quod fortè, si ei à Te Benedictio Apostolica non defuerit, poterit sub tanti Pontificis nomine conferre aliquid ad laudem sanctissimæ Trinitatis, & vtilitatem Ecclesiæ. Cui faxit eadem sanctissima Trinitas vt Beatitudo Tua ad multos, de aliquot etiam meis, præsit annos.

Quod votum ab omnibus quidem concipitur Christi Fidelibus, ad quos Sanctitatis tuæ fama peruenit: ab iis verò maximè qui in Romanâ Curiâ non tantùm gentis Altieriæ nobilissimæ decus, sed &

virtutem ſapientiamque tuam plurimis longinqui temporis experimentis perſpectam habuerunt. Peculiari tamen ratione votum id concipi à noſtræ Societatis hominibus debuit: quoniam virtutis odorem ſuauiſsimum, qui ex tuis vicinis ædibus in noſtras afflabatur, percipientes, in tuæ ſanctitate vitæ illarum virtutum exemplar habuerunt, quas præcipuè Inſtituti noſtri ratio commendat. Qualis eſt, quotidiana in oratione, & rerum diuinarum commentatione aſsiduitas, diuinæ gloriæ, animarumque iuuandarum zelus, & nominatim rerum humanarum neglectus, dignitatumque præ humilitatis ſtudio repudiatio. Cuius illuſtre documentum Sanctitas tua præbuit, cùm ad ſupremum Eccleſiæ culmen evehi ſe nonniſi invita, nec ſine lacrymis, magni Gregorij exemplo paſſa eſt. Addam fuiſſe veterem Societati noſtræ cum Altieriâ Familiâ ob huius in illam merita neceſsitudinem. Quæ merita ſanctus Ignatius è cœlo teſtata voluit perſpicuo ſuo miraculo, cùm Victoriam Delphinam Laurentij Altierij Romanorum Nobiliſsimi coniugem ab ipſo præſentiſsimæ mortis articulo intra horæ dimidium ad eius ſecuritatem vitæ reuocauit, quam ipſa dum ſuperſtes fuit, tali Patrono ſemper acceptam retulit. Talis prærogatiuam ſecutus exempli, quod Sanctus ille Societatis noſtræ Parens præbuit in Altieriæ obſeruantiâ familiæ, auſus ſum & ipſe teſtari hoc Opuſculo meum aduerſus tuam Sanctitatem obſequium.

P. Daniel Bartoli de vita ſancti Ignatij lib. 4. §. 59.

ERVDITO LECTORI.

QVANDOQVIDEM noſter de Incarnationis Myſterio Tractatus eruditis, Theologiáque excultis viris nequaquam, vt audimus, diſplicuit; quin & eorum inſignes aliqui optare ſe ſignificarunt, vt cæteras Theologiæ partes eodem ſcribendi genere proſequeremur; induximus in animum Deo viuo ac vero, qualem orthodoxa fides colit, triplex pro illius Perſonarum numero Volumen conſecrare: de ipſomet nimirum vt Vno, vt Trino, vt Incarnato. Ab Incarnato cœpimus: de Trino pergimus in iſto, qui iam prodit Tractatu; tertium (quod in manibus habemus, & pangimus) operoſum de Deo Vno ac ſpiſſum opus proſecuturi, cum ipſius, de quo ſcribimus, argumenti ope.

Circa hoc porrò de Trinitate Volumen duo te moneri attinet (erudite Lector.) Prius eſt, ne fortè mireris, cùm in Libro primo exiſtentiam Dei per creaturarum aſpectum leges demonſtrari diverſo à reliquis ſequentibus Libris charactere. Neque in eo charactere interpreteris vanam quandam locutionis affectationem. Longè abfuit Author à tali quærendâ velut in muſtaceo laureolâ. Ne autem id ſibi crimini detur, habet excuſare primò eam creaturarum pulcritudinem, quam ibi oportebat ipſis quodammodo Lectorum oculis tanquam in ſpeculo repræſentare. Debuit enim fluens permitti calamo dictio, quam ipſius venuſtas præſcribebat obiecti. Accedit ſecun

ſecundò, quod tam neceſſaria ſit exiſtentiæ Dei certiſſima hoc tempore perſuaſio, vt conſentaneum videatur illius probationem vel ipſis etiam, qui Theologiæ ſacris initiati non ſunt, vulgari Rhetoribus; vbi præſertim non occurrunt, nec hæretici contra quos, nec Theologi cum quibus ἐριστικῶν λόγον ſit exerenda ſubtilitas.

Alterum, quod deſtinabamus, admonitionis genus ſpectat frequentem denſamque Græcorum, quà Patrum, quà Conciliorum commemoratam in his Libris authoritatem. Quam noris ea re prolatam eſſe, quòd huius fides Myſterij à Græcis primùm contra exortos in Oriente hæreticos explicata ſit. Quæ verò loca ex iis afferuntur, viſa ſunt habere ſpecialem vim ad orthodoxa dogmata confirmanda. Eaque provt neceſſe eſt Latinè redduntur, quando ex iis verbis quæ proximè vel præcedunt, vel ſubſequuntur, intelligi nequeunt.

Quæ in hoc παροραμάτων indice notantur, ea ſic reſtituenda ſunt.

Pag.	*Col.*	*Mendum.*	*Emendatio.*
6.	1. ad med.	ὑπῆρζεν.	ὑπῆρξεν.
7.	2. init.	ἐζυσία.	ἐξυσία.
10.	1. init.	votum.	notum.
16.	1. ad med.	coniectum	coniectura
18.	2. ad med.	παρμμμένων	παρμένον
23.	1. in fin.	לוין	לויתן
24.	2. in fin.	infantibus	in faucibus
25.	1. in med.	κατωφρωνεῖ.	καταφρονεῖ.
29.	2. ad med.	ſi noxa.	ſi nox.
30.	1. ant. med.	ſeminum.	feminum.
44.	1. ſub fin.	conicantium	coniſcantium
46.	2. ant. med.	ταῦτα.	πάντα.
65.	1. init.	propter,	præter.
69.	2. poſt med.	ſuſpendam,	ſuſpenſam.
108.	poſt init.	Diuinitatum	Diuinitatem.
120.	1. init.	Theonis,	Theognis.
ibid.	fin.	חניכיו	חניכיו

Quædam etiam dictiones prætermiſſæ, ſic addendæ ſunt. p. 50. ſub fin poſt, ergo cùm, adde, eorum qui producunt, & p. 56. c. 1. ad med. poſt πολυαρχίαν, adde ἤτοι ἀναρχίαν. p. 58. 2. poſt init. poſt nam ſic, adde, vtriuſq; præire, *vtriuſque.* 64. 1. poſt med. adde, Iam floreat, *iam.* Siquæ alia fortè occurrant, quæ aut operarum oſcitantiâ, aut alias incautè irrepſerint, ab erudito Lectore facilè deprehendentur, eaque clementer emendabit, aut legitimum ſenſum parum, aut in nihilo immutabunt.

AD REVERENDVM PATREM

PETRVM DEBVGIS,

SOCIETATIS IESV,

In Collegio Burdegalenſi Sacræ Theologiæ emeritum Profeſſorem:

In eius de adoranda Trinitate Librum

ODE.

LAVDVM *parabam,* PETRE, *curulibus*
Geſtare nomen, iam tibi pegmata
Vates adornabam, loquacem
Pompam animi, placidique vultûs
Vmbras canoras : cùm ſubitò, ô vices!
Tu te profanis cantibus eripis
Cœli inquilinus, Numiniſque
Impatiens populare plectrum
Eludis audax transfuga, & hinc tuos
Calcas honores : non facilis ſequi
Horreſco, inaceſſamque damnor
Laude reus celebrare mentem.
Cœleſtis ô ſi Vatis in eſſedo
Irem, aut ſuperbos Iſaciæ lyræ
Neruos mouerem, tunc volanti

ẽ

Numine terrificum volumen
Patêret, altóque ingenio grave:
Nunc Te supinus suspicio arduum
Vates, verecundisque limen
Occupo carminibus superbum.
Senecta nam quò te rapida evehit,
Annosa moles, nescia liberam
Curvare mentem? temet usque
Ocyor antevolas futuræ.
Æternitatis prævius incola,
Lubensque terris ante diem exulas;
Thomæque iam functus Lycæo
Emeritum calamum sacrasti
Secretioris tergemino tholo
Divinitatis. Nec satis est nova
Arcana, Signatum-*que Matris*
Virgineæ reserasse fontem;
Et mente acutâ non violabilis
Nodi relegisse ingenium, aut sacras
Evolvere ambages; supernè
Mens alias agitat latebras;
Totumque tranas Oceanum, in sinus
Quantùm recedit non remeabilis:
Interque divinas procellas
Pacificus speculator alti,
Pulchróque lætus turbine, nubilum
Spectas serenum: charta notat vias;

Tractatum de mysterio Incarnationis antea edidit.

Attendo

Attendo felici repertos
Circuitu per opaca tractus.
Scholæ hinc Virago, myſticá-*que hinc manu*
Bipenne virtus *remigium movet*;
Mixtique certatim lepôres
Naufragiis vada nota ſulcant.
Tuiſque PATRES *viribus additi*
Importuoſò Navitæ in æquore
Circumvolant, pulchriſque in altum
Agminibus benè mixtus inſtas.
Paßimque nervoſum eloquium iuvat.
Latinitatis præpete copiâ,
Arteſque mirè multiforme
Colligit ingenium refuſas.
Quàm denſa nox eſt! aggredimur, PETRE,
Lucem obſeratam Numinis; ô ſacrum
Conclave, Regis, qui tremendum
Obſidet ipſe iubar, ſedetque
Sui ſatelles non penetrabilis!
Obcæcat ipſo fulgure gloriæ,
Vnóque gaudens irreperto
Nomine, nominibus ſuperbit
Exaggeratis. Pingitur vndique
Latetque Numen, lux benè prodiga
Vbique & vmbra eſt, inque Sole
Ædificat latitando cryptas.
Quis ille inenarrabile permeet

De fonte nullo Principium *ſcatens ?*
Quis tentet anfractus ? vt in ſe
Continuò redit & quieſcit.
Origo, & idem terminus ; vt ſui
Antiqua ſedes , & novus incola
Exit manendo , pura vt vſque
Se beat , & recreat voluptas ?
Quis actuoſa dixerit otia
Fœcunda mentis ? Quis ſapientiæ
Vocalis auſcultauit artem :
Vivit, inocciduique Solis
Me vita terret. Perdimur heus ! PETRE ;
Vatis dehiſcit cymbula, & alvei
Iactatur vndantes per æſtus :
Nil trepido , pelagi peritus
Docta explicaſti vela voluminis ;
Mixti procellis mentis eteſiæ
Pericla vertunt , & profundum
Multiplici ſtatione ſedas.
Nunc tuta rerum littora radimus,
Mundi per oras irriguum Nihil
Conſcendimus, ſenſimque tota
Obiicitur breve terra punctum
Immenſitati velificantibus :
Nunc cæca luſtras artificis Dei
Miracla , nunc doctè modeſtus
Tranſgrederis, celerique curſu

Dei exiſtentiam primùm adſtruit.

Prælu

Præludis inter ſydera, & impetum
Mentis citatæ diſsimulas moris
Haud otioſis, moxque totâ
Numinis expatiaris aurâ.
Luctemur vltrà, non procul eminet
Sublimis vndæ gloria; nitimur
Oram recedentem tenere,
PETRE, *tuo moderante curſu.*
Quid ſepticollis pagina euntibus
Minatur? heu! Niliacum oſtia
Se fundit in ſeptem volumen,
Et ſuperum coëunt in æquor
Ferace lymphâ. Quot cita dividit
Divinitatis Ternio flumina!
Vbique pontus: quo feramur?
Iſte ratis Liber atque gurges.
Flexuſque torquens doctivagos, ſimul
Vehitque, mergitque, & variè æſtuans
Septemfluo Euripus recurſu
Attonitas trahit vſque mentes.
Hîc ſanctiori Palladiâ rate,
Quà dia ducit Te ſapientia,
Metiris æquor circulatim, &
Clauo habili reflui laceſsis
Interminatum Numinis ambitum,
Vbi quietus ſe Deus impetit
Suum ipſe littus, ſeque volvit

Hanc de Trinitate diſputationem ſeptem in libros diſtribuit.

In gremium, fugiens videri,
Semperque manat. Fluminis it sui
Fons ipse, totum sese obit, & suas
Dispensat vndas, seque complet
Prodigus, & retinens fluenti.
Hinc illa Patris nescij originis
Reflexa proles vnica, nec minor,
Reciprocato quam per ævum
Intuitu speculare Numen
Et Virgo gignit. Conditur in Patre
Æquævus hospes, nec variabilis,
Et Patris inconfusa vultum
Consimilem referat Figura.
Vetusta proles! perpetuò nova!
Concepta semper, semper & edita!
Vnóque ab æterno Parente
Absque atavis generose fœtus!
Dehinc ille cordis simplici anhelitu
Spiratus ardor, velivolam rapit
Mentem, serenatumque Pontum
Aura Deus sine nube sternit.
Confœderati Numinis impetu
Erumpit ignis, Numen idem, sacri
Suspirium affectûs, manumque,
PETRE, *regit, stimulatque pectus.*
Discriminatas Te per hypostases
Fax illa ductat. Nomina inambulas,

Ortus

Ortusque, processusque, & inter
Multiplices titulos pererras.
Tu sanctitatis munera divitis
Non parca monstras, limpida prospicis
Crystalla mentis: Tu liquentis
Perveheris bonitatis ignes.
Secum hîc disertus colloquitur Deus,
Haud flammæ avarus se redamat suæ,
Exercet intrà copiosus
Concilium, numerique damnum
Compensat vnus. Proh salebræ! ô freta
Mysteriorum! splendide Navita!
Securus in quascumque partes
Vela agitas, bolidemque mittis.
Alpes iugosas ruperit Hercules;
Frænato adoret tramite Bosphorus
Persam æstuantem; lacrimáque
Iactitet ambitiosiori
Pellæus ensem. Tu properas gradu
Feliciori; quid superest, Deo
Morante palmas, pervolandum?
Ipse tibi est via, meta, laurus.
Turrita mater iam feret altiùs
Tolosa fastum; Tectosagum fluet
Turma, & frequentabit volumen
Prona oculis, avidéque cernet
Doctrinæ Olympum; tùm iuga Numinis

Mollita

Mollita ſcandet: Teque Aquitania
Laudum coronabit pyropo, &
Lojolidum celebrabit orbis
Tropæa mentis; ſed malè tinniens
Camœna tractat materiem arduam:
Revertor, incertoſque tractus
Naufragus exſuperare tento.

Tibi addictiſſimus

IOANNES BOVZONIE
è Societate IESV.

APPRO

APPROBATIO.

EGo infrà ſcriptus teſtor me legiſſe Tractatum *de Adorando Trinitatis myſterio*, ſeptem libris contentum, à Reuerendo Patre Petro Debugis Societatis Iesv, in Collegio Burdigalenſi ſacræ Theologiæ multos annos Profeſſore conſcriptum, eumque reperiſſe tum Catholicæ doctrinæ, tum ſolidæ pietatis vſquequaque refertum; nec modicum lumen tot editis de eodem argumento voluminibus additurum ſi typis mandetur. Datum Burdigalæ die 8. Martij anno Domini 1670.

AMELIN Doctor Theologus, Rectorque Maieſtatis Eccleſiæ Metropolitanæ Burdigalenſis.

Approbatio PP. Soc. IESV.

NOs infrà ſcripti Societatis Iesv Theologi Tractatum hunc *de Trinitate*, à Reuerendo Patre Petro Debugis elucubratum, atque in ſeptem libros digeſtum poſtquam diligenter euoluimus, nihil in eo, vel Catholicæ Fidei, vel bonis moribus contrarium obſeruantes; imò difficillimas incomprehenſi huius myſterij quæſtiones exactè, dilucidè, ac eruditè pertractatas, nec minùs pietatis in conſiderationibus moralibus, quàm in ſcholaſticis ſpeculationibus ſubtilitatis deprehendentes; publicâ illum luce ad communem omnium vtilitatem dignum meritò cenſuimus. Burdegalæ, die 9. Auguſti, anno 1670.

CLAVDIVS BATIDE.

NICOLAVS LEGIER.

BERNARDVS CHASTELET.

Licentia R.P. Prouincialis Societatis IESV, in Prouincia Aquitaniæ.

PAulus Fontaine Præpositus Societatis IESV in Prouincia Aquitaniæ, potestate ad id mihi facta ab admodum Reuerendo Patre Nostro Ioanne Paulo Oliua Generali eiusdem Societatis IESV, facultatem concedo, vt Reuerendi Patris Petri Debugis, ex eadem societate Theologi Tractatus *de Trinitate*, trium ex Nostris Theologorum, aliorumque multorum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & Officij Nostri sigillo munitas dedimus Pictauij 31. Augusti. an. 1670.

Summa Priuilegij Regij.

NOs Paulus Fontaine Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Aquitaniæ, iuxta Priuilegium concessum à Christianissimis Regibus, Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1605. Ludouico XIII. 14. Februarij 1612. Ludouico XIV. 23. Dec.... quo prohibetur omnibus Librariis & Typographis, ne libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos, absque Superiorum permissu imprimant, Laurentio Arnaud, Petro Borde, & Simoni Boé Bibliopolis concedimus, vt hunc Tractatum *de Trinitate*, imprimere possint. Datum Pictauij 31. Augusti, an. 1670.

PAVLVS FONTAINE.

SERIES

SERIES

LIBRORVM ET CAPTVM,

Quibus totus hic de adoranda Trinitate Tractatus continetur.

CAPVT PROOEMIALE.

QVÆ ad naturam Dei pertinent, non esse confidenter puréque humano censenda iudicio; sed castè, sobriéque indaganda. Et varios in hoc peccasse circa Trinitatis mysterium Hæreticos.

LIBER PRIMVS.

Contra Atheos & Tritheitas, dari vnum, nec plus vno Deum. p. 10

LIBER SECVNDVS.

LIBER TERTIVS.

LIBER QVARTVS.

De processionibus & originibus diuinarum Personarum. p.197

LIBER QVINTVS.

De diuinis relationibus, subsistentiis, atque notionibus. p.277

LIBER SEXTVS.

LIBER SEPTIMVS.

TOTIVS

TOTIVS HVIVS MYSTERII *prospectus & dilucida ex Athanasij Symbolo expositio.*

QVICVMQVE vult saluus esse, ante omnia opus est, vt teneat Catholicam fidem.

Quam nisi quisque integram inuiolatamque seruauerit, absque dubio in æternum peribit.

Fides autem Catholica hæc est, vt verum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur.

Neque confundentes personas, neque substantiam separantes.

Alia est enim persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti. Sed Patris & Filij & Spiritus sancti vna est diuinitas, æqualis gloria, coæterna maiestas.

Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus.

Et tamen non tres æterni, sed vnus æternus.

Sicut nec tres increati, nec tres immensi: sed vnus increatus & vnus immensus.

Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus.

Et tamen non tres omnipotentes, sed vnus omnipotens.

Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres Dij, sed vnus est Deus.

Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres Domini, sed vnus est Dominus.

Quia sicut singillatim vnamquamque personam Deum ac Dominum confiteri christianâ veritate compellimur; ita tres Deos aut Dominos dicere Catholica Religione prohibemur.

Pater à nullo est factus, nec creatus, nec genitus.

Filius à Patre solo est non factus, non creatus, sed genitus.

Spiritus sanctus à Patre & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.

Vnus ergo Pater, non tres Patres; vnus Filius, non tres Filij; vnus Spiritus ſanctus, non tres Spiritus ſancti.

Et in hac Trinitate nihil prius aut poſterius; nihil maius aut minus, ſed totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales.

Ita vt ſuper omnia, ſicut iam ſuprà dictum eſt, & vnitas in Trinitate, & Trinitas in vnitate veneranda ſit.

Qui vult ergo ſaluus eſſe, ita de Trinitate ſentiat.

R.P.

R. P. PETRI DEBVGIS, E SOCIETATE IESV THEOLOGI TRACTATVS DE MYSTERIO SS. TRINITATIS.

CAPVT PROOEMIALE.

Quæ ad naturam Dei pertinent, non esse confidenter puréque humano censenda iudicio; sed castè, sobriéque esse indaganda. Et varios in hoc circa Trinitatis mysterium peccasse hæreticos.

1. NVLLA capitalior humanum genus afflare potuit pestis, quàm eorum profana sapientia, qui in rerum diuinarum inuestigatione cum summo quodam humanæ rationis imperio versantur; atque de Deo disputant, quasi de creando, suisque suffragiis constituendo Magistratu ageretur. Nimirum, non qualis Deus re existat, & qualem se ipse prodiderit, quærunt; sed qualis ipsis debere esse videatur; quod est Deum velle confingere, & velut sibi conflare, non autem agnoscere; nec tam, quomodo, quàm vtrum colendus sit, indagare. In quo quidem Numinis contemplandi genere tam sunt infelices, vt eorum cognitionem ab obiecti nobilitate vilescere, & ab illa, quam intuentur, purissima sanctitate profanari, sordidarique contingat.

2 Cùm enim diuina non tam sint discutienda, quàm credenda; & cùm (vt in quodam habetur Concilio Toletano)

letano) *Deus, qui non se iussit discuti, iusserit credi*; quæ autem ad illam fidem pertinent, tum difficulter intelligi possint, tum nullo nostro sermone explicari; nemo non videt, quàm superba sit illa rationis humanæ temeritas, vt qui puerilis esse consilij, vel etiam dementiæ iudicarent, velle totum illud mare, quo terra instar paruæ cuiusdam insulæ circunfusa est, oui, iuglandisve putamine includere, aut cochlearis complexu coërcere, ij tamen sperent immensum increatæ essentiæ Oceanum posse ingenioli humani capacitate comprehensum teneri. Certè cùm in omni facultate ad id quod propositum fuerit, congruis vti necesse sit principiis, non potest singularis non esse insaniæ fidem Christianam putare naturalibus demonstrari argumentis, aut rationis lumine, ceu Solem lucernâ illustrari. Sic nempe vt ratio naturalis, vel fidem antegressa, mysteriorum supernaturalium veritates conficiat; vel supremam antegressis reuelationibus diuinis authoritatem afferat, signo velut suo illas obsignans. Quando enim (vt eleganter canit Prudentius) de diuinis mysteriis agimus

——— exigua est vis
Humani ingenij, tantoque angusta labori.
Quippe minor natura, aciem si intendere tentet
Acriùs, ac penetrare Dei secreta supremi;
Quis dubitet victo fragilem lassescere visu?
Vimque fatigata mentis sub pectore paruo
Turbari, inualidisque hebetem succumbere curis?

3. Quod si apud Pythagoreos tãtùm præiudicata de suo præceptore opinio poterat, vt etiam sine ratione valeret authoritas; atque si quid affirmarent in disputando, cùm ex eis quæreretur, cur ita esset, hoc respondebant vnum, *Ipse dixit*: quis in rebus, quæ in nostram intelligentiam non cadunt, & quarum cognitio non aliunde quàm à Deo profecta esse potuit, putet humanum sensum quasi supremæ iurisdictionis iudicem appellandum esse; ac non potiùs superioris authoritatis, quàm inferioris rationis momenta esse quærenda? In eam rem scitè Cassianus lib. 5. de Incarnatione, cap. 6. *Rationem dicti quæris? non reddo. Interim Deus hoc dixit. Verbum illius summa ratio est. Remoueo argumenta. Remoueo disputationem. Sola mihi ad credulitatem sufficit persona.* Ex dictis id certum, euidensque conficitur, veram illam esse Theologiam, quæ, ne mens humana se immoderatè rerum diuinarum explicationi inferat, cauet imprimis; nec illius aciem acriter in aduersum Numen intendit, ne idem ei contingat, quod corporis oculo, qui aspectum amittit, dum totum Solem admittit. Nec enim minor pœna à curioso & procaci eius lucis quam Deus inaccessibilem habitat, intuitu expectanda est. *Incumbit volentibus supersapere stultitia* (inquit Hilarius) *& minus acre intelligentiæ lumen stupor hebetis intelligentiæ occupabit. Ratio cœlestis in tantùm intelligenda est, quantùm se permittit intelligi.*

4. Magnum scilicet ac verè supra hominem, de scrutanda diuinitate negotium est. In quo humanæ multorum sæculorum rationes, dum variantibus deliberauere suffragiis, vana quædam somniorum ludibria, deliræque mentis εἴδωλα sibi suum consecrauerunt in Numen, cuius religio omni foret impietate deterior. Adeò nimirum incomprehensum est ac humanæ rationi periculosum ænigma Diuinitas, quam nec Moyses nosse potuit.

potuit nisi in religiosa cœlestis nubis caligine per tonitruorum, fulgurumque terrores. Neque est quòd speret vllus nubis eius superare regionem, in qua Christianæ fidei splendet obscuritas, & per omnem terram manifesta tonat authoritas. Quam nec ipse transcendit raptus ac volatus Pauli, quem Dionysius vocat πετεινὸν τοῦ οὐρανοῦ. Nec altiùs ipsam Ioannis aquilam, ex qua omnis Theologiæ sumuntur auspicia, conscendisse censendum est; quæ satis habuit per nubem, speculumque fidei, Solem æternitate sua radiatum irretortis oculis contemplari. Quid? quòd ea Seraphinorum, apud Isaiam *cap. 6.* multitudo, quâ diuinum solium stipatum erat, alas ante Dei radiatam faciem, tanti vim obiecti non ferens, obtendebat? magnâ mortalibus admonitione, quantùm amet Deus scrutandi, inspiciendique sui sobrietatem, & religiosam in se intuendo verecundiam. Cùm enim periculi plenum sit velle de Deo etiam quæ vera sunt loqui, & vltra intelligentiam sermonemque mortalium diuina natura consistat; vtilius longè creatæ menti fuerit ea nescire, quæ inuestigari non licet; quàm definire quæ nesciat.

5. Quapropter veri, germanique Theologi, velut mundissima Ezechielis animalia, pennarum suarum oculos nusquam explicant, nisi vbi diuini flatus auram sensère; atque ita sublimè tolluntur ad Deum, vt ab obiecti sui latenti pendeant fide, & solius authoritatis increatæ pondere librentur. Ab iis longè diuersi Matæologis, quos hæretici spiritus aura vltra cœlos cum Ario, Sabellio, aliisque similibus per vestigia Luciferi super Aquilonem ascendentis extulit, & eius, quam scrutabantur, gloria maiestatis oppressit. Hæc verò tam certa esse debent apud veros Christianæ sapientiæ professores, vt ipsis etiam Ethnicis obscura non fuerint. Ecce enim quid in hanc rem Seneca scripserit 7. natur. quæst. c. 38. *Egregiè Aristoteles ait, nunquam nos verecundiores esse debere, quàm cùm de Diis agitur. Si intramus templa compositi; si ad sacrificium accessuri vultum submittimus; si in omne argumentum modestia fingimur, quantò magis hoc facere debemus cùm de Deorum natura disputamus, ne quid temerè, ne quid impudenter aut ignorantes affirmemus, aut scientes mentiamur?*

Trinitatis numen nec potest planè intelligi, nec debet planè ignorari.

6. Cùm omnia quæ hactenus diximus, vera sint in contemplandis iis ipsis perfectionibus Dei absolutis & essentialibus, quæ nobis aliquo modo naturaliter notæ sunt, & quas ipse creaturarum testatur aspectus; tum verò magis in iis perfectionibus relatiuis, quarum nullum apparet in rebus creatis indicium. Suum enim Creatorem, sapientem esse, optimum, & omnipotentem vniuersa natura prædicat. Trium autem in eo personarum nulla inter creaturas significatio apparet? Quare cùm de Trinitate disputamus, quicquid de ea dicimus, nisi ab illo discimus, qui de se quod nos scire voluit, reuelauit, non potest non esse sacrilegum, eiusque contumeliosum Numini. Neque verum est, Mercurium Trismegistum vllam, quantumvis tenuem, cognitionem huius mysterij hausisse ex consideratione mundi; quamuis ipse significare videatur ex ea intellexisse se *Deum Patrem*, quem νοῦν appellat, *genuisse λόγον, qui fœcundus, & opifex, lapsus sit in naturam fœcundam, & aquas fecerit esse prolificas.* Qualem Trinitatis adumbrationem inueniri apud Orpheum, & quosdam

quosdam alios testatur Theodoretus *opere de curatione Græcan. aff.* Sed quicumque inter Ethnicos geniti Verbi Diuini, ex quo res creatæ prodierint, meminère, longè abfuerunt à cognitione mysterij huius; cuius tantùm fœdam imaginem visi sunt perturbatis, confusisque lineis describere. Neque eò pertinet, quod tanquam à Trismegisto dictum iactatur: *Monas genuit monadem, & in se suum reflexit ardorem.* Nihil enim is voluit aliud, si verum aliquid voluit, quàm Deum, qui vnus sit, vnicum procreasse mundum, & ex illo opere tam perfecto, in sui ipsius amorem exarsisse. Quod si verum est, Ethnicorum aliquos ad Trinitatis allusisse mysterium; nequaquam id ex creaturarum aspectu nouerunt, sed fortè ex aliquorum congressu Iudæorum, apud quos Deus passim apparens hominibus (qui putatur fuisse vt plurimùm Filius incarnandus) vocabatur Verbum, Chaldaïcè, מימרא, vt in paraphrasi Chaldaïca occurrit sæpissimè. Palam est Platonem (qui propterea Moses Atticus dictus est) eiusque discipulos in Mosaïcis libris fuisse versatos.

7. Nemo non videt quantam æquitatem habeant, quæ de intemperantia disseruimus rationis humanæ, se insulsâ quadam ingurgitantis rerum supernarum scientiâ, velut cibo noxio, qui magnam inflationem, & cruditatem habeat. Certè Deum qui curiosiùs inquirit, iam negauit, aut reuocauit in dubium, dum Christianæ Religionis scrutans & excutiens sinus, suo iudicio singula probat, ac tentat. Nostra tamen illa superior de diuinis mysteriis sobriè inuestigandis admonitio non eò pertinet, vt mentis oculos nunquam ad diuinum Numen agnoscendum attollendos esse asseramus; quasi summæ illius naturæ, quam semper venerari, & ad cuius opem assiduè confugere debemus, ignoratio commendetur. Quemadmodum si quis negauerit Solem tibi oculis tam acriter, tamque diu intuendum esse, vt aspectum amittas; eum nequaquam existimabis te in cæcos speluncarum recessus amandasse. Neque dices ipsum cæteris populis, quos Solis lumen toto orbe exhilarat, præferendos putauisse Cimmerios, quos nunquam, vt ait Homerus, Ἠέλιος φαέθων ἐπιδέρκεται ἀκτίνεσσιν. Ita cùm Diuinitatis lucem Scripturæ testatur esse inaccessibilem, nec posse aduersam inspici impunè, non cômendat eos populos, apud quos diuinæ lucis exules nulla de Deo cogitatio suscipitur, quales fuerunt Brasili, & Canadenses, quos nequidem vllum in sua lingua nomen habuisse proprium, quo Deum significarent, proditum est.

8. Duos iam intelligimus diuersos esse, atque inter se pugnantes errores, quibus mentes humanas imbui non rarò contingit. Sunt enim, qui generatim de iis rebus, quæ in nostram intelligentiam non cadunt, ita sollicitos nos putant esse debere, vt illis, nisi enucleatiùs disputatæ, comprehensæque liquidò fuerint, nihil sit tribuendum: Quandiu nempe aliquid obscuratum latet, de eo in vtram partem cadat, cùm in vtramvis possit, neminem aiunt posse pronuntiare, nisi temerè, & cum eo (quasi micaret in tenebris) deceptionis periculo, quod præstare ipse nequeat. Præcipuè verò nihil putant esse alienius à recto iudicio, quàm in rebus ad hominum salutem pertinentibus humanum non adhibendùm esse iudicium. Sic nimirum isti conuellunt primum Christianæ Religionis fundamentum, quod in intellectus sub potestatem fidei subiectione consistit.

9. Sunt ex contrario alteri, qui omnẽ de rebus diuinis inquisitionem, summique veri inuestigationem omittant. Atque vt olim Protagoras se negabat

gabat *de summo Numine quicquam habere, quod liqueret*: sic isti nõ censent de Deo, eiusq; natura, sit, nõ sit, qualisve sit, quærendum; atque maiorem quàm pro mortalium captu illam esse disputationem. Quibus patrocinatur Plato, cùm in legum libris, quid sit omninò Deus inquiri negat oportere. Adstipulatur & Galenus, qui *lib. 5. de Hippocratis, Platonisque placitis*, sic scribit: *Speculari num hic mundus genitus sit, an ingenitus; sicuti etiam, an geniti ipsius Deus aliquis opifex fuerit, an Deus nullus quidem, sed causa quadam irrationalis & inartificiosa fortuitò ipsum adeo pulchrum effecerit; an etiam Deus mundi præsit structuræ. Huiusmodi, inquam, quæstiones nihil conferunt ad honestè rem familiarem administrandam, aut ciuitatis negotiis commodè consulendum, aut denique ad morales virtutes ac ciuiles adipiscendas*. Hæc ille parum sanus ex Medico Theologus.

10. Contra duos illos errores, qui Deum æquè tollunt, nec vllam eius ferè opinionem relinquunt, nos hoc opere præsertim (quod est de profundissimo, & ab omni creata intelligentia disiunctissimo mysterio Trinitatis) id primò quidem satagenus, vt de humanæ, naturalisque rationis authoritate, quantum opus erit, derogetur: carnalisque sapientia in captiuitatem, & obsequium fidei redacta, ne se altiùs efferat, comprimatur, iuxta preceptum Chrysostomi, *qui homil. 2. de incomprehens. Dei nat.* eam stultitiam, quam secundùm Christum ipse vocat, præscribit omnibus Christianæ veritatis indagatoribus, hac illam velut definitione declarans: Μωρία κατὰ χριστόν ἐστιν, ὅταν τοὺς ὀκνίας λογισμοὺς λυτῶντας ἀναίρως καταστέλλομεν. Sed & oppositum præterea vitantes extremum, satagemus, vt ad huius speculationem mysterij, quod in Christiana Religione primum ac summum est, quantam poterimus diligentiam, humanique solertiam ingenij conferamus. Neque committemus, vt per speciem cohibendæ rationis naturalis, ne suas confidentiùs in diuinis vestigandis arcanis diuinationes afferat, vllæ re, quæ ad Sanctorum Patrum ratiocinationes, subtilitatesque pertineat pro nostro modulo defuisse videamur, quando manus nobis cum variis aduersariorum copiis conferendæ erunt.

Antitrinitarij, qui Filio consubstantialitatem abrogarunt.

11. In omni enim Catholica fide nullum est caput, in quod hostes aut plures, aut acriùs insurrexerint: de quibus omnibus videri potest Petauius fusè ac diligenter de singulis eorum agens. Nam cùm Iudæi, Gentilesque, foris ac velut eminùs pugnantes conati semper sint Trinitatis fidem funditus tollere; seditionem intra Ecclesiam commouentes hæretici velut cominùs certarunt, atque huius mysterij dogma inficere saltem, deprauareque iam inde ab ipsis Apostolorum temporibus studuerunt. Quorum impietas occasionem dedit Apostolo Ioanni primum illud Euangelij sui caput de Verbi æterna generatione scribere, quod tonitrui instar totum orbem terrore perculit. Capitalem hanc hæresim voluit sanctus ille Apostolus in eius primis perimere parẽtibus Ebionitis, Cerinthianis, Nicolaitis, qui hoc ipso quòd Christum Deum esse, & ante Mariam extitisse negabant, haud dubiè Trinitatem (quicquid Maldonatus *in cap. 1. Ioannis* dicat) diffitebantur. Nullus enim repertus est hæreticus, qui aliquem alium Dei Filium consubstantialem, si talem esse Christum negaret agnouerit, Trinitatemque admiserit. Primorum illorum hæreticorum prognati, longis posteà successionibus, extiterunt Patropassiani,

siani, Noëtus, Sabellius, Artemon, Paulus Samosatenus, & qui præter cæteros ab hac impietate (quam ex Origenis scriptis hausit)nomen suum nobilitauit, Arius; quod deinceps inauspicatum nomen illi remansit hæresi varias in sectas sobolescenti. Arianorum quippe posteritas in multas est diuisa factiones, totidem distincta vocabulis.

12. Fuerunt enim imprimis puri putique Ariani, qui Filium Patri in substantia planè dissimilem, atque ex nihilo creatum; & tempus fuisse, quo tempore non is existeret, asserebant; in eam scilicet crudam iurati doctrinam, quam Arius illo tradiderat libro, quem Thaliam inscripserat: vbi, quemadmodum Athanasius *in opere de Synodis* refert, Patrem aiebat *nihil sibi æquale, neque simile, neque compar habere posse*: οὐκ ἴσον, οὐδὲ ὅμοιον, οὐχ ὁμόδοξον ἔχειν: neque Filio ipsum Patrem comprehensibilem volebat esse; negabat enim rationem pati posse, vt is, qui (quandoquidem est Filius) sola voluntate Patris extitit, illum, à quo extitit, comprehendat: υἱὸς ὤν, θελήσει πατρὸς ὑπῆρξεν τίς γὰρ λόγος συγχωρεῖ τὸν ἐκ πατρὸς ὄντα, αὐτὸν τὸν γεννήσαντα γνῶναι ἐν καταλήψει. His verò meris Arianis, quia, sicut à Doctore suo audierant, Dei Filium Patri absolutè dissimilem, seu ἀνόμοιον esse tenuerunt; Anomœorum nomen impositum est; quorum princeps fuit Aëtius cum suo discipulo Eunomio: Acacius item, qui tamen tempori seruiens varias in partes identidem se inclinare visus est: & in occidente Valens, & Vrsacius.

13. Quia verò plurimi ex Arij sequacibus tantam impietatis exuperantiam, quantam magistri sui dogmata præferebant, nullo modo tolerandam esse putauerunt, discessionem & ab Ario, & inter se ipsos alter ab altero fecère; sicque in plures tota illa schola est diuisa familias; dum horrendam illius Hæresiarchæ (quam Christianæ aures, & ipsæ nominatim aures Constantij, licèt Ariani, Imperatoris admittere non poterant) contra Dei verbum blasphemiam emollire variè sategerunt. Et quidem isti in eo Arium sequebantur omnes, vt Filio Diuino consubstantialitatem abrogarent; sed hunc, ab Ario dissidentes, Patri similem affirmabant; vnde Semiarianis nomen, quòd illum & negarent ὁμοούσιον, & non diffiterentur ὅμοιον. Qui nihilominus circa illud ipsum discrepantes, diuersis vexillis in se inuicem pugnauerunt. Nam cum aliqui ὅμοιον quidem, at non in substantia; alij κατ' οὐσίαν καὶ κατὰ πάντα ὅμοιον, hoc est, in omnibus, etiam absque ipsius exceptione substantiæ, Patri similem asserebant; ea tamen substantiæ similitudine, quæ nequaquam esset identitas. Quare non toto spatio dissiti erant à meris Arianis, quorum nempe vesaniam cum ipsis ita partiti sunt, vt sibi portionem eius vesaniæ non paruam reseruarent.

14. Illi, qui Dei Filium inficiabantur quoad omnia Patri similem, *solam ei*, vt Ruffinus testatur, *concedebant similitudinem in largitate gratiæ, non autem proprietate naturæ.* Ad hos pertinebant ij, qui ipsum quidem ἀχρόνως γεγεννημένον, siue ante tempus genitum dicerent; verumtamen esse συναΐδιον, hoc est cum Patre æternum, negabant. *Tempus autem* (inquit Epiphanius *hæresi* 74.) *intelligebant quod à cœli conditu elapsum est huc vsque.* τὸν ἀπ' οὐρανοῦ καὶ δεῦρο. Neque ab Arij ferè sententia discedebant; cum eo nimirum sentientes, fuisse quando nondum esset Filius, nempe ante cœli & naturalis temporis creationem. Horum ὁμοιαστῶν non parua turba (quam persequi longum hîc esset) ab authoribus Ecclesiasticis recensetur

censetur. Fuerunt & ij plurimi, qui (vt superiori numero dicebamus) tantillò magis ab Ario discedentes, Filium ὁμοιούσιον, Patrique similem quoad ipsam etiam substantiam, sed non identitate tenus, voluerunt. Hi ὁμοιουσιασταὶ non modò negabant fuisse tempus aliquod à conditu orbis, quo tempore Verbum Dei non extitisset; sed etiam ab omni æternitate, & ex infinitis, quæ ante mundi creationem imaginari possumus, sæculis productum illud esse autumabant. Denique in Anomæorum, merorumque Arianorum grege (in quo prima totius Arianismi stirps fuit) numerantur etiam quamplurimi, quorum præcipuos duces iam suprà indicauimus *num.* 12.

15. Semiariani porrò omnes non parum Christianæ rei nocuerunt eo temperamento, quod horrendæ Arij blasphemiæ adhibuerunt, cùm semicatholici, nec nisi moderatè impij esse voluère. Illa enim temperatione, & propiore ad Catholicos accessu non modò virus suum in imbecillos simplicium animos effuderunt; sed etiam non paucos doctos æquè ac sanctos viros relaxarunt aliquantum, reddideruntque in loquendi modo parum cautos. Exemplum sit in Meletio, qui sanctus in Ecclesia vsurpatur, vt videre est in Martyrologio, die 12. Februarij. Hic enim, vt est apud Epiphanium, disserens initio sui Episcopatus Antiocheni super illis Salomonis verbis, *Dominus creauit me*, Semiarianorum idiomate, institutoque locutus est, nec aliud quàm *Patris similitudinem* tribuit Filio. Sed nec Diuus Cyrillus Hierosolymitanus satis à Semiarianis semper abhorruit. Et in catechesibus suis nonnulla parum ad catholicam trutinam castigata protulit, vt cùm in vndecima catechesi dixit, *Authoritatem, absolutamque potestatem, quam Pater habet, inde prodi ac probari, quòd nutu suo voluerit omnia per Filium facta esse: ἵνα τὸ νεῦμα τηρῇ τῶν ὅλων αὐθεντικὴν ἐξουσίαν. Qua potestas* (subdit) *cùm valeret omnia per se facere, voluit tamen Pater conditarum rerum principatum Filio tribuere.* Qui loquendi modus inter Semiarianos vsitatus, linguam quam Ecclesia nouit, parum redolet. Fuerunt & in viri Sanctissimi Gregorij Thaumaturgi scriptis nonnulla de hoc mysterio non satis accurata; quæ Basilius *epistola* 64. excusat & interpretando defendit. Quædam & apud alios Catholicos Scriptores reperire est de hoc mysterio incautiùs & παρορατικῶς explicata illis temporibus, cùm Ariani horridam toti Ecclesiæ noctem offundentes, liquidum, lucidumque eripiebant aspectum rerum per se alioquin obscurarum, & ad fidem profundissimè pertinentium.

Pneumatomachi Spiritui sancto consubstantialitatem abrogantes. Et Sabelliani Spiritum cum Filio Patreque hypostaticè confundentes.

Sicut Ariani Trinitatem oppugnarunt irruendo nominatim in illius secundam personam; ita non defuerunt, qui magno impetu alias illius partes, sine quibus consistere non potest, aggressi sint. In tertiam personam inuasère non vno modo Pneumatomachi. Eam Valentinus, Athanasio teste, redegit in Angelorum ordinem. Origenes personas intra Trinitatem gradatim ita cõstituit, vt sicut Filium infra Patrem, sic Spiritum sanctum infra Filium collocaret tertiam dignitate & honore personam. *Hancque* ait (super Ioannem) *fuisse factum per Verbum, quandoquidem scriptum est: Omnia per ipsum facta sunt.* De Spiritu sancto non minùs impiè, quàm de Filio sensisse necessarium est omnes Arianos, & Semiarianos. Imò eos per se constat

censuisse

ſiani, Noëtus, Sabellius, Artemon, Paulus Samoſatenus, & qui præter cæteros ab hac impietate (quam ex Origenis ſcriptis hauſit)nomen ſuum nobilitauit, Arius; quod deinceps inauſpicatum nomen illi remanſit hæreſi varias in ſectas ſoboleſcenti. Arianorum quippe poſteritas in multas eſt diuiſa factiones, totidem diſtincta vocabulis.

12. Fuerunt enim imprimis puri putique Ariani, qui Filium Patri in ſubſtantia planè diſſimilem, atque ex nihilo creatum; & tempus fuiſſe, quo tempore non is exiſteret, aſſerebant; in eam ſcilicet crudam iurati doctrinam, quam Arius illo tradiderat libro, quem Thaliam inſcripſerat: vbi, quemadmodum Athanaſius *in opere de Synodis* refert, Patrem aiebat *nihil ſibi æquale, neque ſimile, neque compar habere poſſe*: ὢ ἴσον, ὐδὲ ὅμοιον, ὐχ ὁμόδοξον ἔχειν: neque Filio ipſum Patrem comprehenſibilem volebat eſſe; negabat enim rationem pati poſſe, vt is, qui (quandoquidem eſt Filius) ſola voluntate Patris extitit, illum, à quo extitit, comprehendat: ὑὸς ὢν, θελήσει πατρὸς ὑπῆρξεν τίς γὰρ λόγος συγχωρεῖ τὸν ἐκ πατρὸς ὄντα, αὐτὸν τὸν γεννήσαντα γνῶναι ἐν καταλήψει. His verò meris Arianis, qui, ſicut à Doctore ſuo audierant, Dei Filium Patri abſolutè diſſimilem, ſeu ἀνόμοιον eſſe tenuerunt; Anomœorum nomen impoſitum eſt; quorum princeps fuit Aëtius cum ſuo diſcipulo Eunomio: Acacius item, qui tamen tempori ſeruiens varias in partes identidem ſe inclinare viſus eſt: & in occidente Valens, & Vrſacius.

13. Quia verò plurimi ex Arij ſequacibus tantam impietatis exuperantiam, quantam magiſtri ſui dogmata præferebant, nullo modo tolerandam eſſe putauerunt, diſceſſionem & ab Ario, & inter ſe ipſos alter ab altero fecêre; ſicque in plures tota illa ſchola eſt diuiſa familias; dum horrendam illius Hæreſiarchæ (quam Chriſtianæ aures, & ipſæ nominatim aures Conſtantij, licèt Ariani, Imperatoris admittere non poterant) contra Dei verbum blaſphemiam emollire variè ſategerunt. Et quidem iſti in eo Arium ſequebantur omnes, vt Filio Diuino conſubſtantialitatem abrogarent; ſed hunc, ab Ario diſſidentes, Patri ſimilem affirmabant; vnde Semiarianis nomen, quòd illum & negarent ὁμοούσιον, & non diffiterentur ὅμοιον. Qui nihilominus circa illud ipſum diſcrepantes, diuerſis vexillis in ſe inuicem pugnauerunt. Nam cum aliqui ὅμοιον quidem, at non in ſubſtantia; alij κατ' ὐσίαν καὶ κατὰ πάντα ὅμοιον, hoc eſt, in omnibus, etiam abſque ipſius exceptione ſubſtantiæ, Patri ſimilem aſſerebant; ea tamen ſubſtantiæ ſimilitudine, quæ nequaquam eſſet identitas. Quare non toto ſpatio diſſiti erant à meris Arianis, quorum nempe veſaniam cum ipſis ita partiti ſunt, vt ſibi portionem eius veſaniæ non paruam reſeruarent.

14. Illi, qui Dei Filium inficiabantur quoad omnia Patri ſimilem, *ſolam ei*, vt Ruffinus teſtatur, *concedebant ſimilitudinem in largitate gratiæ, non autem proprietate naturæ.* Ad hos pertinebant ij, qui ipſum quidem ἀχρόνως γεγεννημένον, ſiue ante tempus genitum dicerent; verumtamen eſſe συναΐδιον, hoc eſt cum Patre æternum, negabant. *Tempus autem* (inquit Epiphanius *hæreſi* 74.) *intelligebant quod à cœli conditu elapſum eſt huc vſque*, τὸν ἀπ' ὐρανῦ καὶ δεῦρο. Neque ab Arij ferè ſententia diſcedebant; cum eo nimirum ſentientes, fuiſſe quando nondum eſſet Filius, nempe ante cœli & naturalis temporis creationem. Horum ὁμοιαςῶν non parua turba (quam perſequi longum hîc eſſet) ab authoribus Eccleſiaſticis recenſetur

censetur. Fuerunt & ij plurimi, qui (vt superiori numero dicebamus) tantillò magis ab Ario discedentes, Filium ὁμοιούσιον, Patrique similem quoad ipsam etiam substantiam, sed non identitate tenus, voluerunt. Hi ὁμοιουσιασταὶ non modò negabant fuisse tempus aliquod à conditu orbis, quo tempore Verbum Dei non extitisset; sed etiam ab omni æternitate, & ex infinitis, quæ ante mundi creationem imaginari possumus, sæculis productum illud esse autumabant. Denique in Anomæorum, merorumque Arianorum grege (in quo prima totius Arianismi stirps fuit) numerantur etiam quamplurimi, quorum præcipuos duces iam suprà indicauimus *num.* 12.

15. Semiariani porrò omnes non parum Christianæ rei nocuerunt eo temperamento, quod horrendæ Arij blasphemiæ adhibuerunt, cùm semicatholici, nec nisi moderatè impij esse voluère. Illa enim temperatione, & propiore ad Catholicos accessu non modò virus suum in imbecillos simplicium animos effuderunt; sed etiam non paucos doctos æquè ac sanctos viros relaxarunt aliquantum, reddideruntque in loquendi modo parum cautos. Exemplum sit in Meletio, qui sanctus in Ecclesia vsurpatur, vt videre est in Martyrologio, die 12. Februarij. Hic enim, vt est apud Epiphanium, disserens initio sui Episcopatus Antiocheni super illis Salomonis verbis, *Dominus creauit me,* Semiarianorum idiomate, institutoque locutus est, nec aliud quàm *Patris similitudinem* tribuit Filio. Sed nec Diuus Cyrillus Hierosolymitanus satis à Semiarianis semper abhorruit. Et in catechesibus suis nonnulla parum ad catholicam trutinam castigata protulit, vt cùm in vndecima catechesi dixit, *Authoritatem, absolutamque potestatem, quam Pater habet, inde prodi ac probari, quòd nutu suo voluerit omnia per Filium facta esse* : ἵνα τὸ νεῦμα τηρῇ τῷ πατρὶ αὐθεντικὴν ἐξουσίαν. *Qua potestas* (subdit) *cùm valeret omnia per se facere, voluit tamen Pater conditarum rerum principatum Filio tribuere.* Qui loquendi modus inter Semiarianos vsitatus, linguam quam Ecclesia nouit, parum redolet. Fuerunt & in viri Sanctissimi Gregorij Thaumaturgi scriptis nonnulla de hoc mysterio non satis accurata; quæ Basilius *epistola* 64. excusat & interpretando defendit? Quædam & apud alios Catholicos Scriptores reperire est de hoc mysterio incautiùs & παρορατικῶς explicata illis temporibus, cùm Ariani horridam toti Ecclesiæ noctem offundentes, liquidum, lucidumque eripiebant aspectum rerum per se alioquin obscurarum, & ad fidem profundissimè pertinentium.

Pneumatomachi Spiritui sancto consubstantialitatem abrogantes. Et Sabelliani Spiritum cum Filio Patreque hypostaticè confundentes.

Sicut Ariani Trinitatem oppugnarunt irruendo nominatim in illius secundam personam; ita non defuerunt, qui magno impetu alias illius partes, sine quibus consistere non potest, aggressi sint. In tertiam personam inuasère non vno modo Pneumatomachi. Eam Valentinus, Athanasio teste, redegit in Angelorum ordinem. Origenes personas intra Trinitatem gradatim ita cõstituit, vt sicut Filium infra Patrem, sic Spiritum sanctum infra Filium collocaret tertiam dignitate & honore personam. *Hancque* ait (super Ioannem) *fuisse factum per Verbum, quandoquidem scriptum est: Omnia per ipsum facta sunt.* De Spiritu sancto non minùs impiè, quàm de Filio sensisse necessarium est omnes Arianos, & Semiarianos. Imò eos per se constat censuisse

censuisse illum inferioris, quàm ipsum Filium, esse fastigij. Suntque hæc Eusebij Cæsariēsis verba 5. *contra Marc. c. 6.* τὸ δὲ παράκλητον πνεῦμα οὔτε θεὸς, οὔτε υἱὸς. Et Arium testantur Epiphanius *hæresi 69.* & August. *de hæresibus c. 69. Creatum dixisse à Filio Spiritum sanctum, & creatura creaturam.* Imò constat viros aliquos æquè sanctos ac doctos non minùs fuisse incautos in modo loquendi de tertia Trinitatis Persona, quàm fuisse quosdam ostendimus in loquendo de secunda. Fuitque tempus, cùm viri sanctissimi non auderent propalàm diuinitatem Spiritus sancti profiteri, ne grauem in se concitarent persecutionem. Ob quod periculum, & pacis causâ coactum fuisse legimus Diuum Basilium, cùm de Spiritu sancto inter concionandum loqueretur, tacere nomen Deitatis. *Quam vocem si protulisset,* inquit Nazianzenus, *eum arripere parati erant impij, vt illum sede pellerent.* Coactusque fuit idem ipse Basilius, etiam postquam libertatem nactus est maiestatem Spiritus sancti diuinam apertè prædicandi, scribere ad Presbyteros Tarsenses, vt studio alliciendi ad Ecclesiæ fidem Pneumatomachos nihil exigerēt ampliùs ab iis, qui ad partes Catholicorum transire vellent, quàm vt, nullâ Deitatis mentione factâ, Spiritum sanctum non esse dicerent creaturam. Porrò licèt omnes Ario prognati non minùs in Spiritum sanctum, quàm in Filium blasphemi essent; quia tamen inter illos Macedonius de Spiritu sancto sæpiùs quàm alij, & impudentiùs quàm de Filio loqueretur; hinc factū est vt speciatim Pneumatomachis Macedonianorum nomen adhæserit.

17. Trinitatis & illi Numen violarunt, qui physicam personarum inter ipsas distinctionem sustulere, & Patrem, Filium ac Spiritum sanctum non naturâ solùm, sed etiam personâ vnum asseruerunt; ita vt hi tres non tantùm vnum sint, sed etiam vnus. Vnde consequens est, Patrem ipsum carnem humanam induisse, mortemque pro humana redemptione passum esse. Quare illos Cyprianus *Patropassianos* vocauit. Hanc Tertullianus hæresin adscribit Praxeæ. Eandemque postea propagauit Noëtus, quem Ephesium Epiphanius, Smyrnæum Theodoretus facit. Tandem eius impietatis patrocinium Sabellius suscepit; & quamuis non primus in illam impegerit; ipsi tamen solus velut infami scopulo naufragagus nomen dedit. Prodiit hoc monstrum ex Libya. Et cùm Deum dici assereret, Patrem quidem, quatenùs substantiam & hypostasin habet Deitatis, Filium autem, quatenùs illius est ἐνέργεια; ipsum Patrem cum Filio, non re tantùm, sed voce ex vtroque sumpta, confundebat, nominans Deum υἱοπάτορα vt testatur Athanasius; quo modo nomina Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vt distincta inter se, & sigillatim sumpta, nihil poterant aliud esse, quàm cauæ, rebusque vacuæ voces, ac solo diuersæ sono. Hac Sabelliana hæresi, quam Nazianzenus appellat θεότητος συναλοιφὴν καὶ συναίρεσιν, Filius, & Spiritus sanctus contrahebatur in Patrem; & *Pater* (vt dixit Hilarius) *ita extendebatur in Filium, vt maneret vnitas personalis,* & τριπρόσωπον auferretur. Vnde absurdos & ridiculos oriri necesse erat hos loquendi modos; quòd scilicet Pater non alium, quàm se ipsum misisset in mundum, siue, quòd in mundum venisset missus à seipso; & quòd moriendi præceptum, seu mandatum sibi ipse imposuisset; quodque post passionem, qua sibi pœnas pro hominibus soluisset, ac post exantlatum redemptionis humanæ facinus, ad seipsum rediisset sessurus ad dexteram suam, &c.

Quæ

Quot & quibus modis Trinitas impugnetur.

18. Cùm totum adorandæ Trinitatis myſterium quatuor omninò veritatibus contineatur; primò vt naturam diuinam tanquam ſtirpem, fundamentumque perſonalitatum includat; deinde vt ea natura diuina vna ſit ac ſimplex; præterea vt ea ipſa in tribus perſonis ita ſubſiſtat, vt cum ſingulis identificata eas in ſimpliciſſimam vnitatem adſtringat; denique vt illæsâ,nec vllo modo violatâ eâ vnitate, ſimplicitateq; ſit realis inter ipſas perſonas diſtinctio, & ſine vlla conciliationis immediatæ poſſibilitate oppoſitio: contra illas quatuor veritates, impios contigit oriri totidem errores. Et quidem contra tertiam, quartamque veritatem, quæ ad perſonas attinent,Ariani,Sabellianique reſtiterunt. Nam quemadmodum Ariani (vt ſuprà vidimus) perſonas ſic diſiunxerunt,vt ſoli Patri Diuinitate conceſſa, Filium & Spiritum ſanctum in creaturarum ordinem redegerint per ſacrilegam, vt loquitur Athanaſius, θεότητος διαίρεσιν: ita Sabelliani per oppoſitam, vt vocat idem Athanaſius, θεότητος συναίρεσιν, καὶ συστολὴν, tantoperè Filium & Spiritum ſanctum Diuinitatis communione cum Patre copularunt,vt ab hoc illos nequaquam perſonalitate ſciungerēt,nullam realem in Trinitate diſtinctionem admittentes. Primam verò,& ſecundam ſuperiorem veritatem (quæ vtraque ad naturam diuinam pertinens,totius Trinitatis fundamentum eſt) euertere conantur; cùm Athei, qui omnem Diuinitatis opinionem reiiciunt; tum etiam Tritheitæ, qui triplicem in perſonis Diuinitatem agnoſcunt. Atque ita hi ambo ne quidem vllam Trinitatis vmbram relinquunt; quam tamen cæteri prædicti hæretici aliquo modo reliquère. Et quidem hæreticorum circa diuinas perſonas errores confutabit velut inſtructa acie totus hic de Trinitate tractatus. Et quoniam ad illum de perſonis tractatum præſupponi debet exiſtentia veræ Diuinitatis, quæ vna ſit in tribus (nec enim trinus Deus eſſe poteſt, ſi aut nullus verus, aut triplex eſt) ideò priuſquam ad diſputationes de perſonis diuinis veniamus, operæ pretium eſſe duxi librum vnum præmittere, quo Dei & veritas contra Atheos, & vnitas contra Tritheitas demonſtretur.

LIBER PRIMVS.

Contra Atheos, & Tritheitas, dari verum, nec plus vno, Deum.

QVONIAM Deum existere trinum ab eo nequit ostendi, qui Diuinitatem existere vel non supponat vt per se votum, vel euidentibus non conuincat argumentis; necessarium nobis est hoc libro, vt quod supponi tanquam certum non concedit obstinata quorumdam insipientia Numen Diuinitatis negantium, id multiplici conuincamus demonstratione, quam partim ex vniuersi huius mundi aspectu, partim ex ipsius humani cùm animi, tum corporis contemplatione, partim ex limatiori, subtiliorique ratiocinatione desumemus. Et quia mysterij Trinitatis interest, non modò vt verum Diuinitatis Numen existat, sed etiam, vt vnicum sit ac singulare & simplicissimum; demonstrabimus itidem nequaquam plus vno posse illud existere.

CAPVT I.

De Atheorum falsa illa sapientia quæ ex ipsa mundi perfectione argumentum contra Dei existentiam sumit.

1. VNiuersus hic mundus (vt ait Aug. *lib. 11. de ciuit. c. 4.*) *ordinatissima sua mutabilitate & mobilitate, & visibilium omnium pulcherrima specie, quodammodo tacitus proclamat, factum se esse, & non nisi à Deo ineffabiliter atque inuisibiliter magno, & ineffabiliter atque inuisibiliter pulcro fieri potuisse.* Cui simile est (quod dixit Chrysost. *homil. 9. ad pop. Ant.*) *creaturas omnes, ipso sui aspectu Deum prædicantes, vocem tubâ clariorem emittere; quam vocem & Scytha, & Barbarus, & Indus, & Ægyptius, & omnis hom, non per aures, sed per oculos in animum transmissam percipiat; ita vt possit oculis suis & idiota, & sapiens in hanc rerum pulcritudinem velut in librum apertum, palamque propositum intueri;* in eoque creaturas, perinde ac syllabas quasdam, aptè construere, atque sic naturæ verba percipere, eruditéque interpretari, ἐν ἀντορέουσιν ἱερὰ ἐκφράσαι τὰ κτίσματα, vt Pisidas loquitur. Quare sapientissimè Basilius omnem rerum hanc

hanc naturam aliud nihil esse dixit, *quàm Theologiæ scholam, diuinæ naturæ enarrationem, gymnasiumq; sapientiæ; τῶν δ' ἐυτήειον τῆς θεογνωσίας, ἢ ψυχῶν λογικῶν διδασκαλεῖον*. Videndus Athanasius in libro contra Gẽtiles, hac de re copiosè disputans. Nihilominus quorumdam reperimus tam peruersum Philosophiæ, Sapientiæque genus fuisse, vt ex creaturarum aspectu, & pulcritudine concluserint, nullam diuinitatis opinionem esse oportere. Ipsarum scilicet elusâ testificatione creaturarum, ac velut deprauatis elementorum publicis tabulis, se in iis legere affirmant ac deprehendere, superfluum Dei esse Numen, cum sibi ipsi rerum natura sufficiat, vt per se solam existens, se tueatur, æternumque vi sua cursum teneat, illarum conseruando seriem rerum, quibus potuit initium dare.

2. Quos Lactantius *lib. de ira Dei, cap.* 10. scitè reprehendit his verbis: *Natura, si mentem non habet, nihil tale efficere potuit. Si autem consilio vsa est ad incipiendum, ratione ad disponendum, arte ad efficiendum, virtute ad consummandum, potestate ad regendum & continendum; cur natura potius, quàm Deus nominetur* Quod ex Seneca idem Lactantius deprompsisse se ait, sic habente: *Deus ipsa natura est. Cùm igitur rerum ortum tribuis naturæ, ac detrahis Deo; in eodem luto hæsitas, versuram soluis. A quo enim fieri mundum negas, ab eodem planè fieri, mutato nomine, confiteris*. Tales nimirum erant illusores illi, quos commemorat Diuus Petrus 2.*c.*1.dicentes. cùm pro nihilo Christi verba haberent, & solam naturalem rerum seriem attenderent: *Vbi est promissio aut aduentus eius? Ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseuerant ab initio creaturæ*. Huiusmodi extiterunt inter Ethnicos quamplurimi, qui ingenij laude floruerunt. Sed dum naturales causas indagarent, in earum infimis & proximis hæserunt, atque ad supremam rerum omnium causam ascendere nequiuerunt.

3. In illis fuerunt Diagoras Milesius, Prodicus Ceus, Protagoras Abderita, Critias, Theodorus cognomento Atheus, & huius discipulus Bion Borysthenites, vt infinitos omittam, qui de Diuinitate Pyrrhonio, & Academico more disputauerunt, vt videre est apud Tullium in iis qui de natura Deorum sunt libris; atque Tullius ipse, cùm in illo opere, tum alibi addubitare se hac in re ostendit. Addendus verò illis imprimis Plinius *lib.* 2.*c.*7. qui sic in naturæ historiam, indagationemque se implicuit, vt aliquid supra ipsam naturam non viderit; cui naturæ potentiam, quæ omnem aliam superet, tribuit: *Per id*, inquit, *quod Deus non potest nec sibi mortem consciscere, nec facere, vt qui vixit, non vixerit; aut habere in præterita ius, præterquam obliuionis; aut facere vt bis dena, viginti non sint, declaratur haud dubiè naturæ potentia esse summa: idque est quod Deum vocare oporteat*. Hæc Plinius, qui dubitarat antè, aliusne præter Solẽ sit Deus his verbis: *Quisquis est Deus, si modo est alius, & quacumque in parte*. Cùm autem deliramenta puerilia esse dixisset, quæ de diuersis Numinibus apud antiquos peruagata erant, addit & ipse nihilo improbabiliùs deliramentum suum, quid sibi Deus videatur definiens, quemadmodum apud ipsum videri potest. Ex quo apparet, quàm nullum is fructum vtilitatis ex tam impensa naturæ contemplatione collegerit, dum creaturarum, quarum rimabatur arcana, vocem, quâ Dei commendatur excellentia, non attendit.

4. At quodnam illos, quos iam dixi, adeò peruersum Dialecticæ genus in eam argumenti concludendi fraudem impellere potuit; vt ex ipsarum specie contemplationeque rerum, quæ suum sonant, prædicant, & inculcant authorem, id conflari putauerint, nullum earum conditorem fuisse? Atque mundi perfectionem, pulcritudinemque ponant pro argumento, quò nullus sit illius effector, & molitor? Perinde ac si quis, verbi gratiâ, ex mirifica Hierosolymitani templi substructione, aut ex aliarum domorum lautiùs à Salomone ædificatarum splendida maiestate colligat, architectum posse esse nullum! Aut perinde ac si, dum cantu tibiarum atque neruorum personant ædes, vocesque ad suauem harmoniam modulatæ audiuntur, argumentum id esse asserat, cur nullus esse queat canentium chorus; nullus, qui certis modis, numerisque præeat magister. Aut denique velut si quis animum à tabella nollet ad Protagenem, vel Apellem traducere; sed omnem artificij gloriam soli ipsi tabellæ, propterea quòd optimè picta esset, mirificéque elaborata, tribueret; illam eò magis ad artificem non intelligens pertinere, quò plus haberet artificij; eóque longiùs à se ipsa, cùm nondum authoris beneficium senserat, abfuisse, quò posteà lucubratior appareret.

5. Vt verò constet, quàm à vera sapientia disiuncti sint illi, qui, postquam speciem, candoremque cœli suspexissent, & omnem naturæ admirabilitatem contemplati essent, non modo necessaria consecutione inde non intulerunt, esse aliquod Numen præstantissimæ mentis, cuius vi hæc & primò constituta fuerint, & deinceps assiduè regantur; sed indidem è contra peruersissimè collegerunt, nullam aliam esse Diuinitatem, quàm perfectionem & pulcritudinem ipsius naturæ; docet nos Scriptura in libro Sapientiæ, *cap.* 13. ex hac tanta rerum creatarum pulcritudine in promptu esse omnibus, qui cæcati vitiis non fuerint, primum aliquod Pulcrum, præpotentemque Causam existere, ex qua omnis hæc venusta, splendidaque mundi species promanarit: *Qua specie qui delectantur, sciant* (inquit) *quantò his dominator eorum speciatior est. Speciei enim dominator hæc omnia constituit. Atque à magnitudine speciei illius*, subdit, *potuisse cognoscibiliter Creatorem horum videri.* Quare Apostolus omnes illos antiquos gentilitiæ Philosophiæ Principes testatur, non potuisse nisi deditâ operâ Deum ignorare. *Quod notum est Dei* (inquit *Rom.* 1.) *manifestum est in illis. Deus enim illis manifestauit. Inuisibilia enim ipsius, à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; ita vt sint inexcusabiles.* Quamobrem ritè Nazianz. *orat.* 34. τὸ εἶναι θεὸν καὶ πάντων ποιητικὴν αἰτίαν καὶ ὄψις διδάσκαλος.

6. Considerent homines, quos ideo natura celsos, & erectos constituit, quàm pulcrum sibi, quàm insatiabile, cùm cœlestis, tum inferioris naturæ species præbeat spectaculum; cuius aspectu animus opiparè epulatur, inquit Philo Iudæus *lib. de mundi creatione*; sic vt famem nunquam depellat, sed insaturabiliter augeat sapida eius contemplandi voluptas. Ἡ ψυχὴ ἑστιωμένη θεαμάτων ἐπαλλήλων πολλὴν ἀπληστίαν ἔχει τοῦ θεωρεῖν: & simul sobriâ temulentiâ mens bacchatur, vi quadam, & velut impressione tentans ad ipsius Creatoris intuitum irrumpere. In hanc rem videri potest Athanasius eo libro, quo contra Gentiles disputat; necnon Chrysostomus

homil.

homil. 9. ad populum Antioch. Quo autem, & quàm excelso præconio creaturarum genera singula in superioribus, inferioribusque mundi regionibus sui prædicent excellentiam Creatoris, nos particulatim deinceps proximis in hoc libro capitibus ostendemus.

7. Clausulam interim hìc ex Philonis *lib. 1 de Monarchia*, imponemus. Is enim sapientissimè pronunciat, *nullum artificiosorum operum sponte prouenire: factum verò mundum arte summa: conditum igitur à peritissimo Architecto;* οὐδὲν τῶν τεχνικῶν ἔργων αὐτοματίζεται, τεχνικώτατος δὲ ὁ κόσμος. ὡς ὑπό τινος τὴν ἐπιστήμην ἀγαθοῦ καὶ τελειοτάτου πάντως δεδημιουργῆσθαι. Et certè cùm ex innumeris, quæ sine vllius causæ consilio & arte, sed fortunà euenerint, vix vnum, aut alterum rectè fieri, & eum quem oporteat exitum habere contingat; quomodo hæc omnia innumera, quæ quotidie tam perfectè effici, semperque sibi similia tanto concentu, tantaque constantia oriri videmus, poterit quis prudenter ad volubilitatem, & cæcum euentum fortunæ referre potiùs, quàm ad causam sapientissimam, quæ certas & erronis expertes habeat vias.

CAPVT II.

Quomodo cæli enarrent gloriam Dei.

1. NOn defuerunt, qui summum suum bonum in eo reponerent, vt tot, tamque variorum astrorum, quæ cœlis infixa sunt, decus, vim & æquabiles motus contemplari cominùs possent. Cuius spectaculi causâ natum se in terrarum solo Anaxagoras dicebat. Nec recusabat Eudoxus è vita discedere, postquàm propiùs ad Solem commodè spectandum accedere sibi licuisset. Præbent enim corpora cœlestia epulum illustre animo sapientis, qui tam speciosæ varietatis consideratione satiari nequaquã possit, sed vlteriùs inspiciendi maiore sẽper siti accendatur, & stimuletur esurie, aueatque scire, qua ratione tot æterna lumina cœlis fuerint infixa; quę sit horum materia, quæ forma, quæ virtus; quæ totius ætheris tot distincti signis constructio? Experti sumus nostris temporibus, quàm acre sit illud naturale studium cognoscendi, quæ supra nos in cœlesti regione fiant: cùm homines res tam dissitas, & sibi ob distantiã ereptas, fategerunt terris quodãmodo admouere proximè per mathematica instrumenta. Et quidem tubulatis conspicillis in cœlo deprehensa multa sunt recenter, quæ nihil ostẽdunt manifestiùs, quàm infinita nobis obscura in eo latêre: atque ita famem auxit non depulit, sapida contemplãdi voluptas. Quisquis puro mentis intuitu illud sublime candens, & cœlestium globorum pulcritudinem collustrat; ille, si Philonem Iudæum audiamus, astrorum velut afflatu concitatus, furit diuinum sapientiæ furorẽ, gestiens ad ipsius architecti intuitum, & summum omnium intelligibilium apicem ascendere; ad cuius lumen humana mens circumagitur tenebricosâ vertigine: ἐνθουσιᾷ πόθῳ τῷ πρὸς τὴν ἄκραν ἁψῖδα τῶν νοητῶν ἰέναι: ὡς ταῖς μαρμαρυγαῖς τὸ τῆς διανοίας ὄμμα σκοτοδινιᾶν.

Dei gloriam enarrant Cœli eo omni quod in se sunt; nimirum sua molis magnitudine, & specioso formæ aspectu.

2. Astrologica ratione exploratum est, cœli complexum tantum esse,

vt vnius diei spatio peragrari non possit; à Sole quidem nisi percurrantur horis ab eo singulis plus quingēta leucarum millia; ab iis verò stellis, quæ ad æquinoctialem in firmamento (quod tantò amplius est, quantò superius) fixæ sunt, nisi plus quatuordecim milliones leucarum horis item singulis conficianrur; tanta scilicet velocitate, quantam consequi mens cogitatione nequeat. Quid verò de spatiis eorum globorum, qui firmamento immensùm quantùm superiores, & quod consequens est, tantò ampliores sunt, argumentari necesse sit, non valet ingenij humani tarditas æstimare, neque imbecilli capitis angustia potest tantæ immensitatis speciem, expressionemque ferre vel capere, sine offusa quadam perturbatæ mentis caligine.

3. Atque quod de cœlorum interminata magnitudine, id ipsum de profundissima eorumdem sublimitate dicendum est. Quam tantam esse constat, vt quod Astrologi de illa compererunt, non modò captum nostrum, sed & omnem imperitorum fidem superet. Quis enim nisi stupore defixus, audiat Lunæ concauum millibus leucarum plusquàm quadraginta; concauum Solis millionibus leucarum quatuor; firmamenti, Concauum quidem octoginta leucarum millionibus, conuexum autem altero tanto à terra distare. Qua excelsitate, & (quæ hanc sequitur) quoquouersum immensitate admonemur quàm magna Dei sit domus, cuius collocatio supra hæc omnia est in Empyrei vertice. Sanè qui hæc sapienter attenderit, erumpet in illud Prophetæ: *O quam magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius, magnus est, & non habet finem: excelsus & immensus!* Neque vllus, postquam tantæ molis infinitatem admiratus fuerit, nisi effossum, aut vitiis occæcatum rationis oculum habeat, poterit non agnoscere Architecti potentissimi numen, qui nullis machinis, nullis tanti operis ministris, sed nec aliquâ comparatâ materiâ, tantam molitionem, constructionemque aggressus sit; at solo voluntatis nutu, & vnica prolata voce tantas corporum cœlestium immensitates fuderit, eduxeritque ex nihilo.

4. Verè nos ideò, supreme Conditor, celsâ & erectâ staturâ constituisti, vt cœli templa suspicientes assiduè nostræ admoneremur originis; & stupenda cœlorum sublimitate, ac in omnem partem amplitudine, quanta sit perfectionis tuæ celsitudo, quanta immensitas, per ipsam naturæ disciplinam doceremur. O mortalium pronæ in terras animæ, & cœlestium inanes! Vos terræ spatia, quasi ampla, metimini; in Prouincias, & Regna describitis; milliaria numeratis, & leucas; maria in vno mari, velut multa, variis diuiditis nominibus; neque intelligitis metatores imperiti totum id, quod per meram illusæ mentis operationem diuiditis; quodcumque terræ, quodcumque maris est, non nisi puncti instar mathematici ad cœli complexum obtinere. Quòd si in hoc ipso puncto omne, quod vastitate regionum incultâ, quod inhospitis & inaccessis æquoribus quasi inutile occupatur, subtraxerimus, vix aream exiguam relinquemus, in qua homines regnare, imperia definire, monarchias distinguere satagant; in qua bella agitent, de peruulganda fama laborent. Interim quicquid in cœlis amplissimum, & immensum micat, terrestres oculi vix aduertunt, aut consequi possunt. Illis iudicibus Sol vix pedalis est, qui terram

terram centum sexaginta; stellæ vix puncto maiores, quæ eandem terram plus nonaginta partibus superāt. Mortales omnia quæ propiùs à terris apparent, grandia; quæ longiùs, exigua iudicant. Nec maioris cœlestia faciunt, quàm quanta vident.

5. Non amplitudinem solùm, sed & pulcritudinem, quantam dicere nullus potest, cœlestibus globis concessam à Deo videmus. Sic enim illos affabrè cœlauit, vnde cœli nomen tractum; & stellis vndecumque innumerabilibus illustrauit, vt qui nocturnam cœli formam signis, imaginibusque radiantibus distinctam contemplatus, lumen suæ mentis tot, tamque puris luminibus adiunxerit, diuinam non possit pulcritudinem, claritatémque non venerari, cuius videat quasi scintillas. Ecquis syderum ordines tam aptè dispositis, & instructis velut agminibus incedentes conspicatus, non interpretetur Dei militiam, & stupefactus exclamet? *Verè castra tua sunt hæc, ô Deus sabaoth!* Totus collucentibus copiis tibi militat æther; & compositæ sub vexillis tuis incedunt syderum acies. Resplendent infernè montes interim ab eis, dum ipsæ supernè micant, vigilias noctis silentio, ordinatéque obseruantes, spectandâ omni mundo, in exemplum obedientiæ, disciplinâ. Quam sydereæ militiæ disciplinam ac fidem eucharistico cantico Debbora, & Barac, *Iudicum c.* 50. post maximum ipsis auxiliantibus astris confectum à se prælium victores celebrauerunt poëtico stylo, his verbis: *De cœlo dimicatum est. Stellæ manentes in ordine, & cursu suo aduersus Sisaram pugnauerunt.* Idem Habacuc cecinit *c.* 3. in victoriam, quam de Amorrhæis insignem Iosuë retulit, cœlorum sibi copiis velut adiunctis.

6. Vt compositis ordinibus Luna, stellarumque agmina per concubiæ silentia noctis cum ornatissima specie commeant; sic & Sol diurnis itineribus exultat ad currendam viam. A summo extremoque cœlo matutinus egreditur ex auroræ sinu, velut ex thalami sui, vt ita dixerim, conopœo, quod ipse miranda radiorum varietate sibi accessu suo depingit. Ac deinde quandiu mundi spatium perpetuâ luminis pompâ percurrit, cæteris obscuratis syderibus, solus principatum in cœlis obtinet, & ad se totius naturæ oculos, venerationemque conuertit, donec ad alterum cœli extremum occiduus perueniat; diemque non minore discolorum nubium apparatu componat, quàm eum manè intulerit. Noctem discedens relinquit mortalibus ad quietem: atque dies & nox omne inter se temporis spatium ordinatissimè sic partiuntur, vt sibi succedentes eructent alter alteri verbum ad eius laudem, cui canitur à Propheta Psalmo 73. *Tuus est dies, & tua est nox; tu fabricatus es auroram, & Solem. Cùm cogitaueris* (inquit Chrysostomus *homil* 9. *ad populum Antioch.*) *quomodo dies & nox quos suo Sol & accessu & recessu facit; totum per annum distribuantur, & tanquam in libra totius spatij longitudinem diuiserint; Deum qui eos sic ordinauit admiraberis. Velut enim sorores quædam paternam hæreditatem partitæ cum charitate multa; sic & dies & nox annum æqualitate tanta distribuunt. & proprios conseruant fines.* Sol nobis perfectione sua & pulcritudine Christum quodammodò sua luce adumbrat, & prædicat genitum in splendoribus sanctorum; & qui splendor paternæ gloriæ verus Sol terris exortus apparuit, vt de luce lucem proferens, lux lucis, & fons luminis, illuminet

illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum, nec occasum, nec defectionis labores admittens.

7. Totum illud prædictum decus naturæ cœlestis auxit nostra ætate innumerabilium stellarum accessio, quæ cùm ignotæ præteritis sæculis fuissent, tandem vi ocularium instrumentorum in apertum productæ sunt. Cùm enim Hipparchus (mirificè à Plinio, vt Astrologiæ facilè Princeps, laudatus) viginti duas tantùm stellas supra mille numerasset, nec plures ab orbe condito ad illam vsque ætatem apparuissent; nostrorum tandem temporum mathematici tubulatis vsi conspicillis maximam earum multitudinem, quas sua paruitas abscondebat, è latebris eduxerunt. In vno Pleiadum asterismo, qui sex tantùm stellas exhibebat, deprehensum est quadraginta latuisse, atque Chaldæorum, & omnium qui olim cognitione astrorum excellere putabantur, solertiam fugisse. In vno item, vel altero Orionis gradu plures quinquingentis testatus est Galilæus esse conspicuas. In eodemque Orionis signo facilè stellarum sexaginta millia numerari recentiorum Astrologorum authoritas fidem facit. Nec ex vano est coniectum, totum firmamentum infinitis sparsum esse, constiréque stellulis. Quod indicasse videtur Deus, cùm dixit Abrahamo: *Suspice cælum, & numera stellas, si potes: sic erit semen tuum.* Genes. cap. 50. Necnon cùm de stellarum perinde ac de arenarum multitudine locutus, *Genes.* 22. eidem Abrahamo multiplicaturum se pollicitus est semen eius: *sicut stellas cæli, & velut arenam, quæ est in littore maris.* Sed & in inferiori Planetarum cœlo, ad eorum septenarium numerum non paucos, qui hactenus latuerant, Mathematicorum industria exiguos Planetas adiunxit. Solem triginta stipatum esse assedis, qui veteres omnes Astrologos fefellerunt; sed & suis alios planetas comitibus non carere, telescopij vsus docuit, atque vulgauit. Quare cœlorum plurimæ voces nostro sæculo audiri cœptæ sunt, quibus infinita propè sydera sic tacito concentu per tot retrò sæcula enarrauerant gloriam Dei, vt nullas mortalium aures ferirent.

Dei gloriam enarrant cæli eo item, quod agunt, & operantur.

8. Perfectio, seu pulcritudo creaturarum (quæ summa est naturæ θεολογία, & religiosissimus in celebrando suo Creatore concentus) duobus omninò continetur: primò quidem illo, quod sunt; tum etiam illo, quod agunt concinnà, & ad certum finem appositâ operatione. Quæ duo in ipsarum creaturarum perfectione ac pulcritudine distinguit, nosque distinguere docet illarum conditor, dum contra Ethnicos cœlorum adoratores sic ait Sap. c. 13. *Quorum si specie delectati Deos putauerint, sciant quantò dominator eorum speciosior est: aut si virtutem & opera mirati sunt, intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior est illis.* Itaque in cœlorum perfectione non tantum id quod sunt, quodque eos esse iam ostendimus, sed etiam id quod possunt & agunt, quodque nunc ostendemus, considerandum est, vt quibus Creatorem suum laudibus efferant, intelligamus.

9. Quisquis mundum oculis perspexerit, facilè concedet cœlestia corpora suos ita peragrare, & conficere orbes, vt nunquam fracta, debilitatáve appareant; atque illorum conuersione perpetuâ, & diebus noctes succedere, & anni tempestates se subsequi: tanta

tanta verò incitatione Solem cum planetis ac cæteris inerrantibus ſyderibus ferri, quanta ne cogitari quidem poſſit. Neque verò illorum celeritas, vt reliquorum corporum, ad quietem demùm acquirendam inſtituta eſt. Non enim, dum ſempiterno terras luſtrant circuitu, quicquam aliud quærunt, niſi efficientiæ ſuæ exercendæ opportunitatem, ſiue lucem ſpargendo, ſiue ſuæ diuitias fœcunditatis vbique fundendo. Vt porrò ſummum Creatoris numen in ſyderum motibus veneremur, & quàm ſit mirabilis illorum pernicitas, cogitatione complectamur; pronunciare non verebor, celeritatem mentis humanæ, quam ſummam omnes prædicant, nequaquam poſſe cum cœlorum velocitate contendere. Cùm enim audis Solem horis ſingulis quingenta amplius leucarum millia conficere, id ſanè ita intelligis, nullam vt medij partem velut tranſiliendo omittat. Faciamus igitur illud quingenties mille leucarum ſpatium eſſe totum ſegmentatum, & teſſerulis ſtratum diſcoloribus. Illas vtique omnes, ac ſingulas diſtinctè, ſucceſſiuéq; teſſerulas Sol peruadet. Atverò tu celeritatem pariter experire cogitationis tuæ, num poſſis animo omnes illius ſpatij partes ita percurrere, vt cùm nulla ſit teſſera, quam cogitatione velut fluente, diſtinctè, ſucceſſiuéque non attigeris, leucarum tandem quingenta millia intra horam, & eodem, quo Sol, tempore percurriſſe comperiaris? Certè tantam deprehendes humani ingenij præ illo aſtro tarditatem, vt longè pluſquam mille partibus animi motus à ſolaris corporis velocitate ſuperetur. Quid verò ſi cum iis firmamenti, quæ ad æquatorem fixæ ſunt, ſtellis trigecuplo velocioribus comparatio fiat? Torpere præ illis, ac plumbea eſſe omnis humana mens videbitur.

10. Non in ſola pernicitate commendatio cœleſtium motuum ponitur. Eſt in illis etiam admirabilis, plenaque ſummi artificij varietas. Curſus enim ille, quo vniuerſi communiter orbes ſuper mundi polos ab ortu ad occaſum commeant, à ſupremoque cœlo rapiuntur, ſic in ſingulis inferioribus cœlis quadam velut retardatione, & iniecta mora diuersè temperatur, vt eorum vnumquodque retroagi ab occiduis partibus ad oriẽtales videatur, & contrarium atque ſuperiores orbes habere motum, qui nec iiſdem axibus, nec iiſdem temporum ſpatiis conficiatur. Ex diuerſitate axium errores eorum contingunt ſyderum, qui planetæ ideò dicuntur, quòd curſus ſui veſtigium geminà iam ad aquilonem, iam ad auſtralem regionem cõuerſione inflectant. Orbem quidem integrum Sol, qui planetarum medius principatum tenet, annua conuerſione luſtrat. Anno item vertente, cùm Mercurij, tùm Veneris ſydus eundem duodecim ſignorum orbem percurrit, iam quidem Solem antecedens, iam ſubſequens. Quem Luna circuitum breuiori circulo, vt potè, citima terris, intra menſtruum ſpatium conficit. Longè à terris ſupra Solem ſubmoti, Mars quidem duobus, Iupiter duodecim, & Saturnus triginta ferè annis eundem ſigniferi circuli orbẽ permeant. Cùm autem (ſi fortè id poſſibile ſit) omnium tãdem ſyderum conuerſio facta fuerit ad eandem, inter ſe confectis ipſorum ſpatiis, comparationem; tunc magnum compleri annum Platonici dixerunt: quod ſpatium nonnulli quadraginta nouem millium annorum definiunt.

11. Tanta verò eſt illorum omnium motuum conſtantia, tanta con-

uenientia, vt iis nihil possit esse dimensius, neque descriptius. Quare cùm nec vetustas quicquam in iis motibus mentita sit, nec vlla causarum vis vnquam aliquid immutare possit, illis natura metitur certissimè tempora. Eandem nocturnorum spatiorum æqualitatem toto tandem anno facit, quam diurnorum; ita vt vbique terrarum eadem proportione, qua noctes per æstatem à diebus, dies per hyemem à noctibus superentur; iisdem cœlestibus natura motibus hyemem reducit, ac æstatem: atque illi quidem senescenti ver, isti autem adiunctum esse voluit autumnum, singulisque sua tempestatibus astra præposuit.

12. Diuina in cœlorum conuersionibus gloria inde amplificatur vberiùs, quòd ea quæ de sydereorum cursuum disciplina, varietateque dicta sunt, tanto fiunt artificio, eaque palæstrâ, vt astra omnia choreas in cœlo celebrare, & velut ad numerum saltare videantur. Ita nimirum nunc ad se accedunt proximè, nunc digrediuntur longissimè; aliquando sibi occurrunt, antecedunt, subsequuntur; tùm sibi è regione aduersantur; tùm abeunt, & occultantur, tùm rursus aperiuntur & redeunt; nonnunquam celeriùs mouentur, nonnunquam tardiùs; nonnunquam vt nobis videtur, ne mouentur quidem. Est cùm longiùs à terra; est cùm propiùs absint; quæ vt Astrologi explicarent, cœlis eccentricos, & epicyclos inseruerunt. Est cùm Soli Luna ex aduerso facta, plenissima luce, ad quam incrementorum gradibus peruenit, illustretur; est cùm ad initia defectibus continuis reuoluatur: est cùm Soli officiat interposita; est denique cùm & ipsa, globo terrestri officiente, opacetur. Notant etiam Astronomi globos inferiores non à solo primo mobili, sed ab omnibus cœlis qui se superiores & eccentrici sint, pluribus simul implicatis motibus abripi.

13. Ex quibus, aliisque, quas persequi subtiliùs, facultatis meæ non est, motuum varietatibus, diuinam quandam existere symphoniam aliqui Philosophi putauerunt: ὁ δ' οὐρανὸς, inquit Philo, ἀεὶ μελῳδεῖ κατὰ τὰς κινήσεις τῶν ὄντων ἐν αὐτῷ τὴν παναρμόνιον ἁρμονίαν ἀποτελῶν. Quam harmoniam affirmat, si vsque ad hominum aures perueniret, omnes de cibo, potuque cogitationes illis erepturam. Profectò si per cœlorum harmoniam aliud nihil volumus, quàm mirabilem motuum actionumque in illis proportionem, eum nemo potest diffiteri in superiori natura concentum, & omnis musicæ velut archetypum, quem non tam auribus corporis, quàm mentis oculis percipiamus; quemque interpretemur non esse nisi religiosos syderum hymnos, quibus Dei, suorum patris luminum, excellentiam numenque celebrent.

14. Cùm tantam diuina prouidentia nobis admirationem efficiat in magna illa sydereorum motuum varietate; tùm verò maiorem mouebit, si cœlestium huiusmodi agitationum infinitos toto inferiore mundo contemplemur effectus. Quicquid enim hìc fieri videmus, cuius nullam proximam causam Philosophi post longam indagationem inuenire potuerint, id ad cœlorum vim occultam haud dubiâ coniecturâ prudenter debet referri. Sic æstus marinos accedentes, recedentesque, qui Aristotelem stupore fixum tenuère, Luna

Luna,occultis velut habenis,nunc adductis,quibus πλημμύραν; nunc remissis,quibus ἄμπωσιν inducat, moderatur. Sol verò tam animalium, quàm aliarum omnium rerum, in ipsis etiam terræ visceribus nascentium, generationibus præest. Irrequieti cœlorum ambitus, qui non aliò spectant, quàm vt sydera ad omnes terrarum partes vim agendi suam applicent, causarum inferiorum vniuersitatem ad agendum assiduè commouent, & ab elementari mundo (qui per se,si illorum cessaret effectio,squalidus torperet) amouent inertiam. Hinc efficitur nullam in hoc mundo inferiori creaturam esse, quæ non exerta sit ad agendum,atque si cui corpori appropinquet, illud statim actione sua non appetat,ac,vt se vicissim inuadat,non prouocet: inde rixa protinùs,& contentio vtriusque infestissima. Sic omnia in se inuicem corpora velut armata & erecta, maximè verò elementa, insitas inimicitias inter se habent & exercent. Atque hæc tantùm abest vt naturam bella fœdent, vt illis totus orbis decoretur, conseruetur que maximè. Continuas enim corruptionis clades præsentissima generationis lucra compensant:& corruptio vnius, quod vulgò dicitur, est alterius generatio.Hæc autem rerum sublunarium tam necessaria, tamque naturalis pugna & vis ad agendum,insurgendumque in se inuicem,maximè sanè ex cœlorum affectione,influxúque pendet.

CAPVT III.

Quomodo terrestres creaturæ Deum prædicent.

1 NOn solùm est mirabilis in altis Dominus, neque tantùm prædicatur eius gloria in excelsis, & magnificentia super cœlos, sed & in imis excelsus est,& in profundis altissimus. Neque humiliùs elementa infima, quàm cœli enarrant sui Conditoris gloriam. Indaget naturæ venator, quæ vel in terræ visceribus lateant metalla, vel in oceani vndis margaritæ, vel in obscuris recessibus gemmæ: quot fossilia in montibus miracula tegantur.Et in illis omnibus agnoscat singularem Creatoris prouidentiam,quòd ea, quibus hominum malesuada cupiditas in suam perniciem abutitur,abscondita voluerit,in cæcas amota elementorum altitudines, ne nocerent. Sed ea demùm in suam perniciem vulgauere mortales; inuisas opum fibras, & auri venas ad inferos vsque sectati, cuniculis in imum actis, montibusque fornicato opere sustentatis.

2 Ne copiam rerum cæterarum infinitam, quæ præter metalla, & gemmas in hac inferiore natura spectandæ se offerunt, persequens oratio fastidium pariat,vniuersa quæ nos vndique circunstant, liceat vno conspectu permistè intueri. Age ergò? Quæ manibus vilia contrectas,imò quæ nec manibus contrectare velis; quæ pedibus contemptim amoues,ea te totum ad se conuerterent, raperentque, si nosses. Qui vel vnius herbulæ, quam in agris ambulans proterit & conculcat, essentiam perfectè introspiceret, is in illa Deum apertè præsentem videret; atque cognitionem habiturus esset regnis, imperiisque potiorem, in qua vna plus iucunditatis inesset, quàm in omnium humanarum in vnum congestarum voluptatum cumulo.Si enim Pythagoras excogitatâ demonstratiunculâ geometricâ, quò quadratum lateris in rectangulo triângulo longioris, duobus quadratis re-

liquorum laterum æquale sit,tántam lætitiam inde percepit, vt hecatomben Diis gratulandi causâ obtulerit: si similiter Anaxagoras cùm existimaret nescio quid ad Philosophiam pertinens excogitasse, non potuit seipsum capere præ gaudio, nec tenere, quo minùs è balnearum solio, vbi lauabat, exiret nudus ingeminans τὸ εὕρηκα; quodnam fore putamus voluptatis genus, si quis in essentiam, proprietates, attributaque vel vnius herbæ, in qua multæ demonstrationes pulcherrimæ continentur, eo quo Angelus modo penetraret?

3. Nec sanè quòd inutilia nostris rationibus, quòd sensibus iniucunda, quòd contemptui sint quædam entia hominibus, qui suis commodis, voluptatibusque res metiuntur; censenda sunt ideò non habere maximam Sapientum admirationem. Quam in rem Plinius *lib.* 11. *c.* 2. hæc habet verba: *Orò ne nostra hac legentes, quoniam ex his spernunt multa, etiam relata fastidio damnent; cùm in contemplatione naturæ nihil possit videri superuacuum.* Non sunt rerum excellentiæ externorum æstimandæ iudicio sensuum. Quæ tetra, & μυόχοδα reiicimus, nihil minùs habent admirationis, nec essentialis excellentiæ, iudicio Angeli, quàm felis odorariæ (hanc Zibetum aliqui nominant) putris & excrementitia materia; quæ tamen esse magno solet in pretio propter odorationis voluptatem. Vnde constat nullam esse creaturam sic abiectam, quin lateat in ea mirabilis pulcritudo; quæ, vt sensu non deprehendatur, menti tamen sapientis Deum prædicet, ac per indubitata pateat argumenta. Neque verò generali illi obest pulcritudini, quòd, vt iam dicebam, nonnulla commendationem apud homines ex vtilitate non habeant, aut gratiam ex voluptate, sed ex contrario inuidiam sustineant, quasi insuauia, aut etiam noxia. Aliud enim est esse tibi quippiam vtile ac iucundum; aliud esse absolutè in se pulcrum atque perfectum. Quemadmodum longè diuersum est, Annibalem fuisse summum Imperatorem, & gerendi belli callidissimum; & eundem fuisse commodum, acceptúmque Romanis. Quæ nobis incommodant, id sæpè habent ex admirabili efficientia, & præsentissima, atque adeò excellentissima vi, vt in venenis experimur.

De virenti terræ pulcritudine.

4. Quod si ad Creatoris vberiorem laudem eas etiam perfectiones in hoc inferiore mundo quærimus, quas in promptu natura posuit, etiam sensibus iucundas; oculos per omnem terræ globum in media vniuersi locatum sede circunferamus (vt meteororum genera, & suspensam in nubibus tam dædalam pulcritudinem, cæruleum & purpurascentem splendorem, sparsas toto aëre luminis gemmas, siue in aurora, siue in iride, similiaque concreti aëris prodigia terris proxima prætermittamus) & montium sublimitates, immensaque tum camporum, tum marium æquora libero collustremus intuitu; dubium non est, quin tantam pulcritudinem, illiusque Creatorem supra cœlos laudibus efferamus. Terra in sese nutibus suis conglobata, omnium est elementorum depressissima, in quam totius vniuersi fæces desidunt, vt in imum naturæ fundũ, quem aptè Græci à putrefactione sordibusq; πυθμένα vocant. Et tamen in hac ipsa pingui concretaque colluuie tantam est cernere, quócumque te verteris, pulcritudinem; tam opulentam segetum

rum & agrorum amœnitatem; tam iucundam collium, atque montium, quos seu vites, seu arbores vestiunt, viriditatem; pratorum herbis, floribusque distinctorum varietatem; tantas hortorum delicias, tantas pomariorum diuitias, vt tam illustria diuinæ perfectionis, largitatisque argumenta necessariò nos ad primæ illorum causæ venerationem traducant. Si ratas anni tempestates, in quibus præstituto tempore reducendis constans est Solis, syderumque fides, attendamus, quanta in earum vicissitudine iucunditas? Quanta æstatis in messe? Quanta autumnitatis in pomis & vindemia vtilitas? Veris in viridicato terræ vestitu voluptas?

5. Prima cura veris sunt flores. Quantam quæso natura operam nauat in iis formandis, pingendis? Quàm in illo suo ingenioso, ac velut serio lusu lasciuiens gloriatur; idque ad solam, vt videtur, in materia tam fragili, tam caduca ostentationem? vides vt in areolis se calyculi explicent, & colorem in sinu exhibeant; alij candidum, partim flauum; quidam puniceum, purpureum, sanguineum, nonnulli giluum, flauum, ianthinum, luteolum; quidam miscellum, ex rubro pallescentem, ex croceo rubescentem, ex puniceo purpurascentem. Sunt qui folia proferant saturi coloris, sunt qui diluti; sunt qui interpuncta, virgata, stellata, segmentata; alij flammas emittunt aureas. Nullus denique qui non toto pulcritudinis velut impetu, ac furore cum alio certet. Vix vllus, qui seorsum non sit omnium pulcherrimus; qui aliis compositus non videatur superare simul, atque superari. Omnes denique flores miro radiorum concentu authorem suum deprædicant, seque totos in illius honorem spargunt: suâ quilibet formâ, figuráque ei gratulantur; extrorsum conuoluti, introrsum replicati, repandi, in orbem circinati, puluinati, falcati, rostrati, in spicam radiati, alati, cornuti, caudati, crispantes, explanati, collecti, surrecti, carminati, vmbellatim expansi, continui, dissecti striatim, crenatim, fimbriatim, radiati n. Longus sim. Tanta est naturæ lasciuia, tanta solertia, profusáque benignitas illius Sapientiæ, quæ cum Deo est cuncta componens, & delectatur in singulos dies ludens cum eo omni tempore, ludens in orbe terrarum; & deliciæ cuius vnæ sunt parare multiplices, etiam superfluas, delicias filiis hominum.

6. Quid dicam de odorum, qui afflantur è floribus, suauitate, & mira diuersitate? in qua illi qui graues & ingrati ex pulcerrimis sæpè, suauissimisque foliorum coloribus exhalantur, nisi delectationem, at certè vtilitatem, quæ voluptate sit potior, præbent hominibus sapientissimi documenti, non esse nimis colori, specieique credendum. Sunt & flores toti mortalibus disciplina, eosque admonent rerum omnium fugacitatis: cùm scilicet quis areolis ipsis adambulans, quos flores impensiùs admiratur, eos in sua media admiratione, & in ipso tempore aduertit cadiuis foliis deficere; & quos tanquam astra oriri stupet, eos simul intuetur occidere tabidos, velut in stuporis ipsius, admirationisque suæ censuram.

Inter illa quæ terra profert, maxima est admirabilitas in seminibus. Latet in glande, verbi gratiâ, vis occulta, quæ virtute proceritatem contineat quercus integræ. Ita vt in substantia minuti seminis intueatur Angelus velut in ideali pictura partes omnes arboris excelsæ, radicem, truncum, folia, fructus. In acino vinaceo

cernat integram occultari vitem, & in ea pampinos, sarmenta, capreolos, intortosque clauiculos, gemmas, florum odorem, vuarum gustum. Summæ profectò fuerit insaniæ, si quis ea omnia in minutissimo semine asserat includi posse, & è gremio terræ comprehendentis protrudi, explicarique foras, nisi causa quædam intelligens (qualis substantia seminis esse non potest) tali operi se immisceat ac præsit. Quare in seminibus quidem animalium sibi persuadet Hippocrates residere quippiam immortale, quod cuncta & intelligat, & videat, & audiat. Esse verò oportet cum proportione tale aliquid in virentium seminibus, ex quibus tot, tamque varias partes oriri videmus, multa proportionum millia inter se habentes, mirabiliterque commensas eo artificio, quod nullus valeat cogitatione assequi. Cùm in arboribus flores ex gemmis protrudi, formari ex floribus fructus cernuntur, perinde est, ac si penicillum videremus mouere se, & vultum exprimere perfectissimè certi cuiusdam hominis. In quo casu nullus sanè foret, qui non ad mentem quandam occultam dirigentem referre totum illud opus deberet.

CAPVT IV.

Ex animalium consideratione manifestum sumitur diuinitatis argumentum.

1. NEquaquam aberrabit ille, qui animalia etiam ratione destituta maximam diuinitatis agnoscendæ rationem præbere dixerit. Quanta eorum terrâ, marique multitudo, toto etiam genere diuersorum? Quanta in horum forma, compositione corporis, descriptione vsuque membrorum, & in ipsis ingeniis admirabilitas? Aliqua sunt quæ humi reptent, cæterisque animalibus callidiora non minùs iras, & astutiæ strophas, quàm corpora sua complicatis voluminibus agitare videantur; quando interim quem in morsu effundendum parant, veneni lentorem saliuant: aliqua etiam quæ saltibus micent, multa quæ bipedia, partim quadrupedia gradientur; in auras plurima volitent, & cœlo ferantur sublimè: denique cætera incolant aquas natantia; vel, si minùs perfecta, loco vni saxatilia affigantur. Porrò vt in illis multitudo, naturæque diuersitas; sic & in nonnullis magnitudo, in nonnullis etiam exiguitas admirationem habet singularem.

2. De duobus nominatim portentosæ magnitudinis animalibus, terrestri quidem altero, altero autem maritimo in sacris literis meminit eorum creator. Terrestre animal, quia plurium instar habetur ob vastitatem, ideò Hebraïcâ voce dici בהמות placuit, non scilicet bestiam, sed plurali numero bestias; elephantū verò intelligūt ea voce sapientū multi, altitudine nouem sæpè cubitos, latitudine quinque continentem. Illâ bestiâ, si oculorum iudicium sequamur, nihil vastius; atque non modò non pulcra, sed etiam deformissima & horrenda apparebit: at rationis suffragio nihil eâ inter animantes pulcrius, cùm illius videmus & membrorum compositionem, & partium cum omni corpore cohærentiam, aptam ad robur compagem, mirabilem manus industriam, quâ nodos etiam resoluit, aliaquæ memoratu incredibilia exequitur; prudentiam, & quasdam supra belluam virtutum adumbrationes. De hoc animali Philo-

sophiæ

phiæ Princeps pro magno adducit miraculo,quod ex ore eius erumpãt cornua ; cui etiam qui duo corda tribuat author non defuit, quorum altero ira incendatur, mitigetur altero. Magnis eius fortitudinem elogiis, quæ videre potes,Deus ipse Iobo describit *cap.*40.

3. Longè etiam immaniora in Oceano nasci non tam animalia,quàm portenta exploratum est.Quorum aliqua visa esse legimus, quæ corporis mole iugera etiam plura colligerent. Cetos sexcentorum pedum longitudine, & trecentorum sexaginta latitudine in flumen Arabiæ intrasse fidem naturalis facit historia.Certè Lusitanis superiori sæculo,cùm rostrata nauis repente in medio cursu, inflatisque velis substitisset, ac velut fræno equus adductio, hæsisset, visa est ingens bellua implexa alueo,quæ carinæ centum & quinque dodrantum applicuerat corpus,gubernaculum caudâ illigante,& alis immanibus latera ad summum vsque cingentibus. Ea vasto hiatu caput dolij magnitudine tollebat.Cumque Sacerdos,inquit Maffeius *hist. Ind. lib.*7. sacris carminibus & exorcismis ipsam delinisset,se placido lapsu,nullà cuiusquam noxà, in mare demisit, ingentem aquarum vim portentosis narium fistulis reflans. Sed vt firmiorem Prophetici sermonis authoritatem sequamur, prodigiosum,qui feruère quasi ollam faciat profundum mare, draconem describit Deus cum Iobo sermocinans, tanta granditate verborum, vt explicari maiore non possit amplitudo animalis,quod indomito elemento dominetur, & ipsos cùm se attollit, Angelos terrore, metuque conciter. Illud verò monstrum Leuiathan לוי nominauit, vel quia sine luctu, pauoreque magno videri cominùs non possit ; vel quia multas in se vno mensuras cæterorum animalium coniungat & cumulet.

7. Quod si nemo est,qui tantarum perspecta immanitate belluarum non exclamet, magnus est Dominus, & terribilis nimis, profectò admirationis nescio quid etiam maius paruitas habet in eis animalculis,quæ tam exigua, tam ferè nulla sunt, vt vix,ac ne vix quidem appareant, adeò magnum in illis est esse tam parua. Sunt quæ punctum exiguitate æquent, vt acari,qui ceræ vetustate corruptæ, vel etiam scabiosæ cuti innascuntur,quale item est animalculum nihilo maius atomo,& in suam paruitatem euanescens, quod ex inueterascentis pollinis corruptione æstatis magnis caloribus procreatur. In omnibus huiusmodi,quæ nec oculi nostri, pro eo quantula sunt, assequi, nec mens ferè diuidere potest; locum tamen inuenire potuit diuina solertia, in quo & caput, & pedes plures, cruraque poneret; in ipso autem capite quædam fortè velut interni sensus organa,oculos quibus gressus suos regant, os quo edant, rostellum, seu dentes, quibus rodant, & in pedibus cruribusve molles articulorum commissuras, ac flexus, ad currendi velocitatem pro illa paruitate mirabilem ; & in reliquo corpore stomachum, ventrem,viscera & aliquid cordi, hepatique respondens ; atque in omnibus partibus quosdam quasi humores, & spiritus, horumque ductus, queis membra alantur, & robur accipiant. Hìc, inquam, res ipsæ petit,vt non sine stupore artificium diuinæ mentis in tanto prædicemus corpusculo ; in quo tot organa, tot fibras, tot oportet inesse compages, tot musculos, tot particularum organicarum diuisiones, & (quod consequens est) diuersissimas earum particularum figuras,

figuras; alias in longum ductas, alias in latum fusas, partim in orbem collectas, acutas, hebetes; nonnullas solidas, quasdam fistulosas & cauatas; partim molles & vdas; duriores alias, siccas, cartilagineas. Ibi necesse est quippiam inesse instar cutis, quippiam instar pelliculæ; inesse alimenti & condendi receptaculum, & digerendi egerendique vim. Quæ omnia in puncto quod dirimi, distrahique in diuersa non potest, si quærere, vel mente describere, diuidereque velle, alicuius in nobis videtur esse dementiæ, quantæ in Deo mentis erit, quantæ solertiæ etiam inuenisse & exhibuisse; atque in entitatis velut apiculo, non secus ac in amplissima, sequacique materia, infinitis descriptionibus & varietatibus tanta subtilitate lusisse?

Animalia suis operationibus Deum prædicant.

5. Cùm ex vulgari Philosophorum adagio rerum omnium esse sit propter operari; consequens est, vt quæ animalia illo omni quod sunt, Deum testantur atque deprædicant, eundem etiam testentur illo omni quod agunt, & operantur. Nec fieri potest, quin ad gloriam celebrandam eius in quo, & per quem mouentur, motus illorum omnes effectusque referantur. Cùm volucre corui figurâ ferrum olim machinalis scientiæ princeps Archimedes exhibuit, illiusque expassas alas internis fidiculis agitari sic fecit, vt volatus huc illucque sublimè flecteretur, ac tandem ad destinatum locum desineret; ingentes non à spectatoribus tantùm Syracusanis acclamationes, sed etiam à posteritate admirationes exciuit. At quis non videt quàm infinitis partibus omnium machinaméta opificum superet naturæ illud artificium, quod latet, non dico in aquilarum & accipitrum, sed vel in muscarum & papilionum alis ad volatum? Quin & necesse est vt summa incedat sapientis animum admiratio ad omnes vniuersim operationes externas, quas animalia ex interno sensu, animæque motione exercent tam appositè ad suam quæque naturam, & ad eos quos sibi, ratione si vterentur, proponerent fines, vt nulla quicquam possit nec humana, nec Angelica prudentia vel statuere aptiùs, vel exequi conuenientiùs, & ad vniuersi perfectionem, pulcritudinemque venustiùs.

6. Et quidem vt homines ad sua prodenda cogitata orationem à natura acceperunt; sic & animantes noluit Creator mutas esse omnino, quin ore sua sensa, appetitionesque significare possent. Ideóque suam in earum vnaquaque vocem audimus; siue dolorem, timoremque testantur; siue aliquid discupiunt, & quodammodo petere videntur; siue amatoriè se prosequuntur & vocitant; siue amicè blandiuntur; siue hostiliter lacessunt, & insectantur; siue irascuntur, & minantur; siue se cantu oblectant. Idque non vno omnes animantes communi sono, sed quælibet suo proprio. Audimus garrientes aues: & quidem vernaculas in ipsa cohorte; glocientem gallinam; cicurantem gallum, & vt loquitur Pisidas ὀρθολογοῦντα τὴν εὐφρόνην, noctis scilicet horas cantus indicio notantem. In agris perdices cacabant; & aliæ volucres habent suas quælibet voces, quas refert author carminis de Philomela apud Ouidium. Luscinîæ superât omnes, & modulatam perfectâ musicâ figurant vocem; paruulis infantibus

omnia

omnia gerentes, quæ homines tanto ſtudio, tibiarum tormenta, fidiculariáq; organa excogitauerunt. Sonum ſpiritu nunc continuo trahunt integrum, nunc inflexo variant, nunc conciſo diſtingunt, copulant intorto, promittunt reuocato, infuſcant inopinato; tum ſecum ipſæ murmurant, tum cantus attollunt plenos, graues, acutos, crebros, extentos, vibrantes; tum minurizant curſu vocis per omnes ſonos, ſummos, medios, imos. Et ipſorum etiam inſectorum vocibus diuina prouidentia cantatur. Quis cicadæ pectus aptauit in cytharam, cùm fritinniens & ſtridens replet latè agros, & ſaltus cantibus velut ratione muſica temperatis? τίς δ᾽ οὐ τέττιγι, ait Nazianzenus, τὴν ἐν ςήθει μαγάδα, καὶ τὰ ἐπὶ τῶν κλάδων τερετίσματα, ὅταν μεσημβρινὰ μουσουργῶν καταςρωνῇ τὰ ἄλση. Habent & terreſtres beſtiæ ſuas voces non minùs quàm volucres; nec vllus eſt qui latratu canem, equum hinnitu, &c. non diſcernat.

7. Quibus animalium vocibus, licet nulla explicari negotia, nec aliud quicquam declarari quàm nudè illorum affectus intelligamus; nihilominùs ita ſunt aliquando nonnullorum animalium natiuæ voces, vt verba eſſe videantur, ſiue ſe in periculis ad auxilium inuicem vocent, aut ad cauendum moneant, ſiue ad prædæ, paſtioniſve communionem pullos inuitent, ſiue compares amatoriè accerſant. Quare aliqui affirmare non dubitarunt, eas inter ſe loqui ac ſermocinari. Quò pertinere poteſt quod apud Philoſtratum narratur *lib.3. c.3.* Paracæ vrbis Indicæ ciues beſtiarum linguas intelligere. Sed quicquid ſit ea de re, certum eſt tam multiplici voce animalium, præſertim verò auicularum, non modò totam rerum exhilarari ac velut animari naturam, ſed Creatori gloriam religioſè celebrari. Quod enim volucres aliquas, ad id edoctas, feciſſe quondam memorat Ælianus *lib.14. c.30.* vt aperto cœlo volantes, Annonem (qui vulgus opinione ſuæ quaſi diuinitatis imbuere conabatur) Deum eſſe concinerent; illud ipſum toto orbe & volucres, & omnes (quæ ad id vocales ſe præbent) creaturæ in laudem ſui Creatoris præſtant, vt veram eius omnibus Diuinitatem annuncient.

8. Sed in vniuerſo longè maior excellentia perfectionis exiſtit ab ipſis actionibus animalium, quàm ab eorum vocibus. Quis enim ſatis miretur quæ ab illis fieri paſſim videmus, ſiue cùm ſibi, pulliſque pabulum quærunt, ſiue cùm inuentam prædam arripiunt & capeſſunt, ſiue cùm inſidiantur, cùm pugnant, cùm repugnant; ſiue cùm ſui generis propagationi dant operam: cùm catulos, pulloſve per tela etiam & per ignes defendunt; cùm, ſua vt cubilia, nidoſve celent, & ne veſtigia ſua locum & iter oſtendant, ſaltu quàm longiſſimo in egreſſione, ingreſſioneque ſe proripiunt: cùm perdices & aliæ quædam aues, ſi aucupem videant nido propinquantem, ad eius velut pedes procurrunt, ſe prægraues aut delumbes ſimulant, ac poſt breuem volatum quaſi alis, vel cruribus fractæ cadunt, & quaſi capiendæ expectant hominem, quem iam prehenſurum effugiunt illicò; & ſic intercisis eum volatibus in diuerſum abducunt à pullitie locum, donec pauore, maternaque curâ vacantes, ſe ipſas effuſo volatu conditum eant.

9. Nidos quantâ ſolertiâ ex luto hirundines in domorum noſtrarum laquearia impingunt? Lutum, ſi non ſuppetat, madefactis aquâ multâ pennis puluerem ſpargunt, quo ſubacto deinde tantâ ædificant ar-

te, vt ab eis homines didicisse construendi formam Vitruuius *lib.2. c.1.* asseruerit. Nidum eâ formâ, vterique capacitate confingunt, quâ expedit; eâ plumarum, floccorumque mollitie, quâ tenerae pullorum infantiae commodissimum est; tantâ munditiae curâ, vt pullos circumagi doceant, & foras emittere (quod Tobias oculorum damno sensit) saturitatis reliquias. Summum specimen structionis nidi est in halcyonibus. Horum nidus (certissimo placidi per eos dies, nauigabilisque maris praesagio) fluctibus innatat; ea forma & arte, vt nec ferro intercidi queat; ea materia confictus quam nullus agnoscat. Vt fastidio occurram, infinita omitto, quae instinctu mirifico animalia rationis, consiliique expertia efficiunt cum quadam adumbratione prudentiae. Quàm prouidè morbos aut impediant, aut depellant, &c.

10 Salomon *Prouerb.*30. quaedam ait esse animalia minima terrae, quae sint sapientiora Sapientibus. Terna in exemplum seligam, vel quaterna; quae dum passim obuia occurrunt, sine applicatione animi mortales praetereunt.

ARANEOLAE.

Quem non totum ad se conuertere debeat aranearum textile opus, reticulatum, medio in aëre captandis muscis suspensum; tam indissolubilibus staminum, subtaminumque nodis; tantâ macularum gradatim à centro, vnde textus incipit, crescentium, & scutularum proportione; tanta filorum, quibus materiam lanigera alui fertilitas sufficit, pexitate; astutiâ tantâ viscosae, tenacisque textrinae; tam molli ad ventorum flatus, laxoque sinu; tanta contra ipsos irrumpētes ventos firmitate, vt nullum humanum in lanificiis, textrinisque opificium possit vel minimam eruditae illius operationis partem aemulari? Discere ab huiusmodi bestiolis potuimus nendi, texendique artificium; at quanto distiti, illisque inferiores interuallo? Quae mulier tam perito vngue, tam subtili labore, tam tereti, aequalique filo stamina diducit, atque hae bestiolae, nec fuso, nec verticillo vsae, nec alio quàm suspensis seipsis pondere? Sed multò magis discere diuinam prouidentiam ab iisdem homines possunt, qui quod illae laudabiliter, & natura duce praestant, id ipsi contra naturae rationalis instinctum vanissima captandarum velut muscarum occupatione distēti agunt. *Oua aspidum* (inquit Isai. *c.*59. *sibi rumpunt; & aranearum telas, quas texunt, non erunt illis in vestimentum, neque operientur operibus suis. Opera eorum opera inutilia; & opus iniquitatis in manibus eorum.*

FORMICAE.

11. Cùm ferè animantes nec rerum praeteritarum memoriam recordari, nec futurarum curâ percelli valeant, sed solis ducantur, teneanturque praesentibus; formica tamen, quae tam exigua est, memoriam & mentem habere cernitur, & animi prouisionem, ac in Republica politiam. Cùm aestas est, quasi de hyeme (quam, si iunior est, nunquam vidit) cogitat, in eaque futuram penuriam timet. Quare cibaria in illam infrugiferā tempestatem, imò & in annum integrū, summo studio quaesita condit. Atq; cùm non separatim vnaquaeque degat, sed ad coniunctionem sui generis, & ad vitae communitatem nata sit, non sui solius vtilitati, sed totius simul studet congrega

gregationis. Quantam maximam proprio continuæ frumentationis labore colligere annonam potest, illam certis velut nundinis, celebri gentis conuentu recognoscendam in publica importat horrea sub altam ducta terram, non naturali, sed ipso formicino opere fistulantem: non enim aliud sunt hæc horrea, quàm ipsarum formicarum; nullis aliis cunicularijs fossiones, & ad custodiendos cibariorum thesauros affabrè excauatæ cellæ. Errant sinuosè meatus, & sulci subterranei se radicum instar multiplici diuaricatione spargentes, obliquè euntes, ac flexuoso itinere in se ipsos redeuntes, ne intrare prædo valeret, si directi ac simplices essent; atque vt, si fortè intrò accedat, tot viarum fallaciâ, labyrinthoque inuolutus, nequeat penetrare ad scrutandas furaciter apothecas. Quarum in recessus abditos magnam frumenti vim nigra agmina effusorum huiusmodi animalculorum, densique concursus inferunt, non aliâ vecturâ quàm ipsorum: magnis enim laboribus, animisque vel mordicùs ferunt, vel pedibus totoque corpore moliuntur onera multis partibus se grauiora, itineris ac laboris assiduitate tanta, vt silices durissimos itionis, reditionisque crebritate videamus attritos; nec mirum sit si pigrum Spiritus sanctus ad formicosum gymnasium, vt ad officinam diligentiæ, mittat. Sed quisnam illas docuit bestiolas frumenti granum semen esse, quo terra, sub quam condunt, grauidata sit? quare impediendæ germinationi germen ipsum excedi, incidique oportere; vnde illis ab incidendo nomen Hebraïcum נמלים. Quis madefacta grana, ne mucescant, monuit proferenda esse apricioribus diebus ad solis vaporem? Quantum admirationis habet in eis pietas, qua extinctas funerant, sepulcroque condunt, vt testatur Hieronymus in vita Malchi; necnon Plinius, & Ælianus. Quæ omnia vel simpliciter narrasse, est probasse Dei perspicuam prouidentiam, creaturas instinctu, qui omnem hominum sapientiam æquet, aut etiam superet, dirigentem.

BOMBYX.

12. Multa vulgò feruntur de bombyce nendis Pontificum, Regumque vestibus inclyto. Is pluries in nouas renascitur formas. Primo quidem ortu vermiculus apparet, seu eruca; deinde fit bombylis; ex hac transit in necydalum; ex quo demùm perficitur in bombycem: sub quo nomine artem incipiens tractare admirabilem, ex aluo sua lanuginem promit, eruditaque carminatione subigens, pectit, extenuat, ac in subtilissima pretiosi velleris fila diducit, pari cum araneis peritia, sed hominum vtilitate maiori. Quibus filis compactis, & pressè admodum coactis sibi sepulcrum texit, seque inuoluens ouato includit globulo; vnde tandem post quadraginta dies, exeso septo, perfossoque pariete, alius ipse egreditur, paucis interiturus diebus, minutissimo semine relicto in spem posteritatis anno proximo nasciture. Compactilis filorum ille, quem dimisit, globulus aquâ feruidâ maceratur, & in serica explicatur vellera; quibus & aræ cum ipsis Sacerdotibus, & cùm Regibus throni magnificè vestiuntur; & (quod pudendum est, humanâ vecordiâ in prauos vsus omnia trahente) vanæ mulieres bombycinas sibi conficiunt tenuissimo textu, quibus non tam operiantur, quàm nudentur, ita vt quibus inuoluuntur velis conspicuæ magis fiant. Vnde ille apud Martialem versus:

Fæmineum lucet sic per bombycina corpus.

APES.

12. Apum gens populosissima longè maiorem admirabilitatem facit, in conferto numero ad Reipublicæ speciem, & ad operosæ vitæ disciplinam optimè constituta. Multiplex est in his volucribus admiratio. Nulla maior, quàm quod mores habent, & virtutum velut instituta. Pauci fuere Philosophi, qui politicam scriptis tantam cōprehenderint, quantam illę reipsa obseruāt eo exēplo, quod nullæ nationes secuturę sperētur. Vt tanta multitudo firmiore & societatis, & beneuolentiæ vinculo teneatur, colligātur omnes in vno capite seu Rege, qui magnâ pro summis Magistratibus, ne acerbi sint, monitione, aculeo in totis examinibus solus aut caret, aut non vtitur, sola armari maiestate contentus, vt scribit Plinius *lib.* 11. Nec alio, quàm monarchico, idest optimo, illa omnis populorum communitas imperio continetur. Quare semper in noua procreatione sobolis plures præcipuo nitore conspicuos natura producit, & quasi proponit toti genti Reges, vnum vt ex illis, egregium communi suffragio eligat, cæteris, quorum fortè ambitio examina distraheret, interemptis, propter id solum crimen, quòd plures sint, & possent dissidio peccare. Erga eum qui electus ac proclamatus est mira vulgi totius est obseruantia, & concessæ semel authoritatis tuitio.

13. Est & in iis supra cæteras animantes quarumdam velut praxis mira virtutum. Præparcæ cibi prodigas & edaces exturbant. Otium, quod in se fugiunt, in aliis, etiam pœnâ capitis, castigant; quas deprehendunt in officio non esse. Castimoniæ imprimis amantes, quæ nymphæ nascuntur, semper virgines sunt, si Virgilio fides. Obscœnum hominem si aduentare sentiunt, accessu prohibent, & intentis aculeis in eum inuadunt. Inde florum amor; inde odorum & prosecutio suauium, & reiectio tetrorum: inde omnium remotio immunditiarum. Aduersùs ægras officiosæ, vt & in sepeliendis mortuis piæ. Denique cùm sint naturâ congregabiles, charitate viuunt inter se tanta, vt id re obseruent, quod ideâ solâ tenus Plato præscripsit circa rerum omnium, ipsorumq; etiam liberorum, communitatem. Nam in hac Republica castissimarum, & fortè virginearum animantium, vbi soboles nullo coniugij generatur vel vsu, vel saltem flagitio, id sine infamia suspicionéve obseruari potest, quod non posset in Republica Platonica absque obscœnitate. Inter omnes animantes,

Solæ communes natos, consortia tecta
Vrbis habent, magnisque agitant sub legibus æuum.

Separatim nec vescuntur, nec laborant, nec quiescunt. Manè simul omnes vnius alicuius ad id destinatæ bombo, velut buccino, ad lucubrationes suas excitantur, & laborem capessunt, quem vesperè communiter vniuersæ intermittunt; quietique se dedunt eodem ferè admonitæ, quo manè, bombo, in speciem disciplinæ castrēsis, aut, quod sāctius, cœnobiticę.

15. Artificē in opere perficiendo vim contemplari qui volet, fauos consulat, nec in illis solam mellationis vtilitatē æstimet, sed in prædulci, cæloque delapsa vindemiâ; quo ea in alueos condita sit opificio, pręcipuè consideret, atque in tam erudito volucrum exiguarum labore summam Dei prędicet potentiam; cùm fauorum aduerterit constructionem ita dædalam & argumentosam, vt nec angelici subtilitate ingenij quicquā posset ad mellificiū excogitari

excogitari aptius. Instinctu Numinis habent & materiæ delectum,& formę descriptionem, quâ multicauatos construunt fauos. Eo instinctu, quantùm ad operis materiam attinet, docentur quo ordine, quo loco, & quatenus commosin oporteat ad prima fundamenta adhibere, quo pissoceron ad secunda; quo tandem ad tertia propolin: quando ab ea melligine veniendum ad ceræ artificium; quandiu, & quatenus huic insistendum artificio ceræ; quo alio labore cura ceræ mutanda; quando ad præcipuum denique opus, quò cætera spectarunt omnia, nempe ad mel condendum sint earum applicandæ cùm ingenij,tum corporis vires.

16. Si formam operis spectes, quid eo pictius? quid elaboratius, & ad propositum finem accommodatius? Quâta industria in dispositione cellarũ,quas velut circino descriptas,atque sexangulas, senis nempe cõmensas ipsarum pedunculis,elaborant? Pendet verò tota structura, nec ad imum pertinet solum,in quo tamen ad operis molem,si quando fatiscat, sustentandam intergerinos parietes pilarum instar fundant,sed diuiso,surgenteque fornicatim fundamento, vt sub arcu pateat aditus. Intra cellas mel condunt,siue illud syderum est saliua,siue naturæ sudor ætheræ, certè diuinum donum est, cœloque defluens succus tempore sublucano; qui nobis periturus erat, & in vapores ignotus inutiles exhalandus, nisi apes (quibus acceptas referre oportet has gustus delicias)eum nobis conseruarent.Illæ ex roscidis arborum, florumque foliis collectum,& in vterculos congestum, ore vomũt,deponuntq; in mellariis.Et quia id se agere conscię sunt quod cõcupisci possit,duos ideò,vel tres primos fauorũ versus vacuos,ieiunosque relinquunt,ne obuium sit quod furem inuitet; quâ causâ & totum ipsum illiniunt alueum amara gummitione, iniucundoque tectorio.Qui in recessu sunt cellarum ordines, ita eos nectare farciunt, vt ne redundans effluat liquor, membranam obtendant.

17. Quis earum studium & immoderatum ad modicas corpusculi vires, laborem explicet, quo spissum, & operosum illud suum aggrediuntur & conficiunt opus? Sûblucanâ,vt excitatæ sunt, horâ,omnis ilicet ex alueo effunditur iuuẽtus erudita laboribus, & in omnem partem (si quidem dies mitis futurus est,& nisi prædiuinentur imbres,in quo nunquam est apes falli) displicata euolat pabulatum, non,vt animalia cætera, edendi, seque saturandi cupiditate,sed vt quæ viuis(nec enim mortuum quicquam attingunt) foliis arborum, florumque insidendo collegerint, fideliter ad aluearia in cõmune importent,& suis maioribus, atque senioribus,quę domi velut emeritæ remanserunt, rationem suæ redędant industriæ,& labore parta repræsentent. Non plus sexaginta passus domo prædas factum digrediuntur. Quod si iter inire longius squalor fortè regionis cogat,id non nisi exploratore præmisso, eodemque authore fit.Si longinquo itinere ventus increbrescens illas periculosè agitet,lapillis vtũtur,ceu saburra, ne eius ludibrium fiât. Si noxa aut lassitudo oppresserit, medio campo subsistũt;sed, vt pinnulas à rore defendant, supinæ. Leucas ipsas aërea via directò conficiunt, nullâ locorum notâ vel signo. Ad mellaria vbi ventum est(quamuis centum sint ordine aluei omninò consimiles, nec nulla diuersitate distincti) vnaquæque suum (quod homo non faceret) discernit medio in numero alueum; & velut quotus is sit,

numerasset, ad eum teli instar recta inuolat. Ergo remeant singulæ, tardiùs, ocyùs, gerulæ supra vires onustæ; ipsorum vt ita dixerim florum (quos tamen illæsos relinquunt) florem deprædatæ.

18. Feruet vndecumque opus. Descripta sunt omnibus munera, pensaque. Nulla est, quę suam assignationem non habeat, exequaturque. Si aliqua fucos imitata cessat, capitale est. Sunt, quæ fessas, sarcinisque pandatas excipiant, & exonerent; flores ex seminum scabritie; aqueas guttas (extinguendæ siti earum, quæ se domi tenent) ex totius corporis lanugine excutiant. Fauos pars struunt, pars camerant, pars materiam suggerunt; singulæ curant singula, omnes omnia. Et, quod mirum est, in tanta operarum turba nihil turbatur: omnes doctæ; omnes artifices; omnes quid, quo loco, & ad quid opus sit, per se intelligunt: sciunt omnes quid agatur. Quandiu fauorum fundamentis opera datur, nulla est quæ de fauis ipsis ac cellis; quę de floribus, de melle cogitet: nulla est quæ in fundamenta loco melliginis, flores; in fauos loco florum, commosin vel pissoceron præpostera ingerat; nulla tam stolida, vt aliud agat: omnes agunt id quod agunt; & nouit quælibet quid ab omnibus agatur. Idque totum fit sine admonitione, sine vocis ac sermonis vsu. Quod eò in tot operarum millibus admirationem habet maiorem, quòd inter homines operarios, conductamque multitudinem omnino verbis opus sit; fierique vix queat vt quinquaginta, vel centum cæmentarij multis sermonibus atque clamoribus explicantes & inter se intelligentes quid velint, tumultum & confusionem euitent; quod multò magis necessarium foret si vsus, intellectióve abesset sermonis. Idque Gigantum in Babylonicis substructionibus dissipatum, quia nihil proderat sermo, consilium satis ostendit.

19. Denique ne infinitus sim, qui iam nimius fui; quantum in tot, tamque stupendis rebus oportet harum bestiolarum esse ingenium, cùm omne nostrum ita superet, vt quod illæ norunt & agunt nequiuerit vnquam vllius, etiam ingeniosissimi hominis non modò solertia agere, nec ars imitari, sed ne quidem mens percipere? Adeò vt periculũ sit ne quod nos hìc multis authoribus, experiẽtiisq; testatum retulimus. vacillantem fidem lectoris inueniat. Ad cõmendationẽ demùm prouidentissimi Numinis omitti non debet prodigio simile, quod ad internos sensus tam solertes, & ad externos omnes valdè perfectos (visu enim, & auditu, & tactu, necnon ad sectandam roris dulcedinem gustu, sagacissimo etiam odoratu pollent) organis hæc animalcula sint instructa consentaneis; idque in corpusculo vbi nec veræ sunt carnes, nec vera ossa, nec nerui, sed exiguum nescio quid arenti simile, in quo non sit alia quàm siccitatis firmitas.

CAPVT V.

Deum suspicati sunt, nec satis nouerunt Hippocrates & Galenus ex modo, quo sui corporis organis animalia vti sciunt.

1. VNum nominatim est, quod in omnium animalium corporis opificio significarunt Hippocrates & Galenus mirari se vehementer. Quando scilicet obseruarunt, tum pueros, tum bestias partibus sui corporis

ris etiam minutissimis atque reconditis, quas nec viderunt vnquam, nec se habere didicerunt, ad motum perinde vti, ac si partes omnes illas articulatim cognoscerent; suoque loco singulas collocassent. Ipsas animal diceres cogitatione habere præsentes, cum nunc has, nunc illas, prout iis indiget, eligens, ad agendum admouet. Id cùm Hippocrates diuturno ponderasset examine, naturam pronuntiauit, nullâ quâ doceatur, indigere disciplinâ; vtpotè à seipsa doctam, & sibi expedientem actionum suarum vias. Ἀπαίδευτος ἡ φύσις ἐοῦσα, καὶ οὐ μαθοῦσα, τὰ δέοντα ποιέει. *Aphorism. 2. sect. 5. lib. 6.* Quod & alibi testatur his verbis: Ἀνευρίσκει ἡ φύσις αὐτὴ ἑωυτῇ τὰς ἐφόδους, τὰ μὲν οἷον σκαρδαμύττειν, τὰ δὲ καὶ ἡ γλῶττα ὑπουργέει. Inuenit scilicèt, aperitque sibi natura vias agendi; vt nictandi, vtendique linguæ organo.

2. Sic bestias quaslibet videmus, suarum quasi conscias particularum, & positi in illis roboris, ad ea recurrere instrumenta, à quibus natura ipsas parauit. Aliâ se Taurus offert ad pugnam palæstrâ, qui caput intendit; in quo totum suum robur poni sentit: aliâ leo, qui mucronem vnguium exerit: aliâ molossus, qui mordicùs pugnat: aliâ elephantus & aper, qui ambo, licet diuersa disciplinâ, aduersarios dentibus figunt: aliâ equus, qui calcitratu rem agit: alia denique aliæ belluæ, quæ singulæ suam in pugna & norunt, & adhibent armaturam. Quam quæ nullam habent, vt lepores, cerui & damæ; eæ quasi & se nudas inermesque esse, & quid pedibus cruribusque possint, intelligant, in celeritate ponunt omnia, & in fugam effusissimam se conuertunt. Quam cùm aliquæ non satis velocem esse sentiunt, eò recurrunt, vt insequentem hostem intolerabili odoris fœditate depellant. Atque ignauarum etiam animantium genus quoddam veneficum est, quod virus spargit innatum, illudque vel vibrat, quasi mortiferam intelligens illius teli vim; vel alio, quem nouit, modo infundit: vipera quidem, serpentesque morsu; at scorpius vulnere, quod reflexæ, arcuatæque caudæ cuspide inflictum afferat mortem. Sunt etiam inermes aliquæ bestiæ, quæ quasi norint se nec ad pugnam instructas, nec ad fugam, se contra vim & metum occultatione tuentur. Sæpiæ se atramenti offusione obuoluunt, atq; primâ ipsâ, quâ nondū expertæ fuerant, vice iam norant, quid obscuritatis ex atramento, quid sperare possent ex obscuritate præsidij.

3. Pueros verò nondum ratione vtentes ait Hippocrates se mirari linguæ vti scire musculis, vt primùm fari incipiunt; seque id experiri scribit voluisse, cum verba expressu difficilia (quale est σμίλη, & alia quædam aspera, & sibilantia, ad quorum prolationem peculiaribus musculis opus foret) paruulo cuidam proponeret; quæ ille omnibus literis bellissimè appellatis, vario linguæ & labiorum motu, atque accommodatorum ad id musculorum vsu pronunciauit. Sed in hac ipsa re fluctuantem Galenum *lib. de fœtus formatione*, & *lib. 6. de locis affectis*, audiamus: *Summam*, inquit, *admirationem habet, quomodo infantes digitum iussi vel extendant, vel constringant, licèt mouentem musculum nullum agnoscant. Quod in lingua mirabilius est, de cuius musculorum multitudine anatomici dissentiunt, tantùm abest vt singulorum vsum certò norint.* Deinde post non-nulla subdit: *Cùm ex nullo Philosopho quicquam audire, quod satisfaceret, potuissem, mecum ipse tristis quærere rationem cœpi. At inuenire*

nire nullam potui. Id quod libro hoc testatum relinquo. Nam cùm paruulos videamus exprimere quacumque iusserimus, verbi causâ σμύ[ι]ναν, σμίλην, σμῆγμα; neque tamen musculos qui linguam ad has voces accommodati mouent, multò etiam minùs neruos agnoscere; probabilissimum puto, eum qui linguam nostram finxit, quicumque ille fuerit, vel ipsam adhuc in membris formatis permanere, vel membra ipsa animantia constituisse, qua voluntatem principalis animæ nostræ partis cognoscerent. Sed quibusdam in contrarium consideratis eò tandem descendo, vt putem me non probabili quidem commentatione, nedum certa cognitione aliquid de artifice, qui nos finxit, percepisse. Hæc Galenus.

4. Maiorem verò mouet admirationem, quòd animalia priusquam ipsis fabricationem organorum natura compleuerit, cùm nondum eæ partes perfectæ, aut etiam nondum inchoatæ sunt, quibus vel pugnare, vel alia munera exequi valeant; expetunt tamen illorum vsum, atque illum velut anteuertere conantur. Videmus enim & agnos nondum asperata, & vitulos nondum armata fronte velut arietare, oppositisque inter se capitibus coniscare; atque vtrosque nascituris fortes esse cornibus, eorumque vel spem intentare minaciter. Ita si oua bina, volucris vnum, serpentis alterum, modico calore foueris, & ruptis testis vtrumque fœtum excluseris, animaduertes, illum quidem quasi speratas agitare pinnas, & volatum ambire; hunc autem cum quadam reptatus meditatione complicantem se, reuoluentemque; cùm neuter sit quicquam aliud quàm informe aliquod initium sui. Omne siquidem animal suæ ipsius animæ facultates, & in quos vsus partes suæ maximè polleant, nullo Doctore præsentit; nec alia est, quàm creatio, disciplina illius.

5. Quæ cùm parentes illi medicinæ propiùs inspexissent, mirari quidem se plurimùm affirmarunt; Deum tamen in illis mirabilibus manifestum, & ferè aspectabilem non agnouerunt, sed in disquisitionibus, coniecturisque suis futilibus euanuerunt. Commentitiam enim aliquam suspicati sunt latère mentem, quæ suo velut afflatu animalia moneat, quorum musculorum, quarumve partium vsus vel admittendus hìc & nunc, vel omittendus sit; & velut sensum illis imprimat vtilitatis, naturæque singulorum membrorum. *Quæ mens* (inquit Galenus *lib. 7. de vsu partium*) *vim habeat admirabilem à Sole, lucem eius participans; quaque terras omnes peruadat, & in omnes orbis partes extendatur. Si enim in tanta colluuie, ex carne, sanguine, pituita ac bile mens humana gignatur adeò excellens, quantam putandùm est esse excellentiam in Sole, Luna, aliisque syderibus.* Ecce quos in errores necesse fuerit eum incurrere, qui velut noctuabundus, & tenebris humanæ sapientiæ offusus incederet. Nullam ille ex consideratione artificij, quo natura totam constructionem animalium fabricata est, vtilitatem percepit; præ rationis nimirum debilitate, ad Deum, quò tota illa admirabilitas ducebat, peruenire non potuit. Atque humani iudicij confidentiâ cæcatus, veri Numinis existentiam non probauit haberi in notitia; maluitque animas quasdam in elementaris mundi partibus omnibus comminisci, deriuatas ex perfectionibus & superioribus aliis animabus, quas putauit singulas in singulis syderibus ingenitas reperiri. At eundem oportuit harum ipsarum causam supremam

mam inquirere sydearum animarum. Verùm enim verò quid attinuit illum vaga per ambages circuitione ad elementares, sydereasque animas illas diuertere; quandoquidem eum res ipsa directò ad summum infinitæ mentis Numen deducebat?

CAPVT VI.

Humani corporis externa contemplatio, & partium, organorumque in eo varietas, atque vsus testatur euidenter Deum.

1. Diuinum in humani corporis fabricatione artificiũ vel ipsi Athei, vt ex Hippocrate, Galeno, Plinioq; constat, se non satis mirari posse testati sunt; adeo vt illorum vnus pronuntiarit: Si quis in nostrorum artuum, & partium vel minimarum commissura, contextu, situ, naturáve emendatum, mutatumque vellet, non posse pœna eum seueriore plecti, quàm si id eo modo, quo vellet, in suo mutatum corpore experiretur. Futurum enim esse tunc, vt & partibus imminutis, vsu plurima incommoda, difficultatesque sentiret, & ægris, affectisque grauiter, dolores haberet, cruciatusque acerbissimos. Ex quo apparet, quanta fuerit Alphonsi Castellani Regis insania, qui, vt refert Rodericus Sancius *in sua historia, part.* 4. *c.* 5. ingenij confidentià eò progressus est audaciæ, vt vulgò iactaret quasdam se in nostrorum membrorum fabrica prauitates deprehendere, quarum potuisset à se peti correctio, si Deus dignatus fuisset ea de re secum inire consilium. Resipuit nihilominus tandem. Cùm nempe nocte quadam creberrimo conflictu nubium fulgeret, tonaretque vehementiùs: non potuit ipse, cœlo, naturaque tota contremente, non extimescere, & suam impietatem, vimque simul diuinæ potentiæ in humani constructione corporis non confiteri.

2. Sanè non possunt homines, quibus corporis sui fabricatio perspecta fuerit, non audire sonoram, vt ita dixerim, partium omnium suarum perfectionem, qua summus Opifex celebratur. Omnia enim ossa nostra illum inclamant; & dicunt, vt admonet Propheta Regius, *Domine quis similis tibi?* Audiuit, at se non satis intelligere professus est Galenus, cuius verba placet adscribere: *Cùm sint*, ait, *in corpore nostro tot musculi, vnusquisque ipsorum & figuram decentem habet, & magnitudinem, & caput, & finem, & positionem, & nerui, venaque & arteriæ insitionem. Atqui si trecentarum partium structura decem habeant scopos, omnes vtique scopi ter mille numero fient. Cùm autem sit æqualis numerus musculorum in sinistris partibus ad eos qui in dextris sunt; vtique ipsi ter mille scopi geminabuntur. Idem etiam in ossibus est, quæ plura sunt ducentis. Nam & in his singulis scopi plures quàm quadraginta numerantur, quos palam est futuros plures octonis millibus. Eadem ars circa omnia viscera, & omninò circa quamcumque partem apparet. Quare si quis totius structuræ scopos numeret, in multas myriadas numerus ipsorum excrescet. Hos itaque scopos haudquaquam ipse crediderim citra sapientissimum, eundemque potentissimum Opificem factos esse. Supremam enim video in formatione sapientiam, & potestatem.* Hactenus nihil potuit Galenus, artuum suorum laudantium Deum vocem audiens, pronunciare sapientius.

3. At cum non satis se nosset, nec quod omnes artus sui loquebantur intelligeret, quàm inscitè, quàm impiè subdit! *Quis verò sit hic opifex, pronunciare non audeo, præ consilij inopia obmutescens. Itaque dubitare me fateor de opifice fœtus causa, non secùs quàm de substantia animæ; cùm de his nullam opinionē scientificè demonstrantem reperierim.* Sanè si Galenus satis se nouisset, earum rerum quas ignorare se profitetur, cognitionem reperisset in omnibus corporis sui partibus, & ab iis Deum esse suum opificem didicisset. Num enim diuinam esse humani corporis causam perspicuè testatur sanguis mirabiliter per venas, & spiritus per arterias diffusus in membra omnia? Num idem pariter testantur venarum, arteriarumque tam crebri, multiplicesque rami per omne corpus pertinentes? Num idem neruorum implicationes, qui è cerebro tracti per omnes artus ducuntur, eosque continent? Quemadmodum etiam ossium tam callidæ commissuræ, ad stabilitatem aptæ, & ad motum, actionemque omnem corporis accommodatæ? Omitto sensus externos, quos tanquam rerum nuncios accepimus. Omitto partes, quæ toti inseruiunt alimentario negotio, & esculenta, poculentaque, vel illo quod eis patefactum est, itinere admittunt; vel admissa condunt, coquunt, conficiunt, æqualiterque distribuunt. Mitto pariter vim illam vitalem in pulmonum raritate, & assimili spongiis mollitudine positam, quæ spiritu animam refrigeraturam ducit, eandemque reddit deinceps respiritu, cùm cœperit calescere.

4. Verùm quandoquidē duplex in nostro corpore admirabilitas inuenitur, ea nempe, quæ externarum, & ea quæ internarum est, reconditarumque partium; in iis nunc hærebimus quæ ad externam, & in omnium oculis positam conformationem pertinent; ea verò quæ natura intra corpus esse voluit, & abdito elaborauit artificio, caput sequens prosequetur. Primò igitur, quomodo per ea quæ foris apparent se Deus in corpore humano prodat, considerent Athei vel solo oculorum aspectu; & vel ipsam, quæ in promptu est, symmetriam singularum partium attendant. Cuncta commensa, & singula cum omnibus cohærere ea proportione comperient, quam nullus cogitatione artifex, nedum imitatione assequi possit. Ita Medici subtiliùs, dissectoresque explicant. Ego, ne miras omnes proportiones, quæ in singulis articulis humani corporis plurimæ, in vniuersis infinitæ sunt, persequar; omissis aliis membris, quanta opificis solertia eluceat, in ea tantùm symmetria enucleatiùs ostendam, quæ in capitis partibus notari facilè potuit. Ex illo præcipuo corporis membro perspicuum erit, quid sit de cæteris æstimandum.

5. Nullus est hominum, in quo (nisi mōstrosam habeat formam) non talis reperiatur partium, cùm inter ipsas proportio, tùm ad corpus totum accōmodatio, vt staturæ integræ partem octauam quidem caput contineat à mento vsque ad summū verticem; quintam verò circulus per supremam frontem, & imas radices occipitis ductus; quæ etiam est pectoris latitudo. Nonam facies à summa fronte ad imum mentum. Indicis quidem articulo maximo, altitudo frontis; duobus autem residuis eiusdem articulis ad extremum vnguem, nasus, ab interciliis ad summas nares, æqualis est. Spatium, quod ab extremo mento ad imas est nares, longitudinem parem habet cū digiti medij articulo maiore;

maiore;cum articulo autẽ medio,ſpatium quod mentum ipſum,& inferius continet labrũ.Cum tertio deniq; ſeu ſupremo,id quod ab ore ad infimas nares ſupereſt.Hiatus oris maiore pollicis articulo metiendus eſt: cui etiam ſpatiũ illud exæquatur, quod ab imo mento ad os pertinet. Imæ nares ab ore minorem pollicis diſtant articulum. Tantumdem aures ab extremis diſtãt oculorum angulis, ſiue hirquis, quantùm hi ab interciliis. Reſpondent ſibi altitudo frontis,longitudo naſi,& latitudo oris per ſupremum labrum. Latitudo naſi, eſt quanta latitudo oculi. Sunt & hæc in facie æqualia ſpatia: primò à ſumma fronte ad interſtitium oculorum: hinc ad imas nares: ab his denique ad imum mentum. Æquales & inter ſe circuli tum oculorum,tum aurium,tum oris aperti.. A ſummo vertice ad mentum in medio locati ſunt oculi.Totius deniq; faciei par eſt cũ manibus amplitudo.

6. Eodem modo nullum eſt in homine membrum, cuius partes non ſint admirabili modo, tum ſecum inuicem commenſæ, tum etiam vniuerſo cum corpore.In hoc enim nulla eſt pars, etiam perminuta, nulla vel fibra, quæ ad integram proceritatem ipſius non habeat ratam atque conſtitutam comparationis rationem.Quòd fieri ſine arte diuina non potuit, nec ſine attentiſſima Conditoris cognitione. In totius corporis longitudine latitudo eius ſexies incluſa eſt; craſſitudo decies, quæ à dorſo ad pectus eſt: cubiti menſura, quater: exporrecti pedis, ſexies; palmi quater & vigeſies; pollicis latitudo bis & ſeptuagies; at digiti ſexies & nonagies. Ne longius faciam, peræquam habet cum explicatis in crucem brachiis ſtatura tota proportionem.

7. Iam verò placet ex iis ſapientibus ſciſcitari, qui tam admirabilem deſcriptionem membrorum exiſtimant potuiſſe in omnibus hominibus effici merè fortuitò; ſi poſtquam Alexandrum aut Apelles pinxerat, aut finxerat Lyſippus, ſculpſeratve Pyrgoteles, repertus fortè aliquis fuiſſet, qui gloriam illis inuidens, animum in eo obfirmaſſet, vt effigies illas nullum effectorem diceret habuiſſe: tum verò defenderet, ipſis commouentibus ſe artificioſè, hinc quidem penicillis, inde autem ſcalpris atque ferramentis, quaſi animata eſſent, illas imagines ſponte ſua apparuiſſe, quæ lineamentorum conformatione vultum talis Principis, & omnem eius ſpeciem imitarentur eximiè?Quantis videretur inſanus ille conſcindendus fuiſſe ſibilis? quanto conuitio explodendus? Quòd ſi fortè fidem per teſtes ille idoneos facere potuiſſet,obſeruatum eſſe cùm ipſa pigmenta per ſe illinerentur, inſpergerenturque tabulæ;atque ſimiliter cùm cælum, ſcalperque inciſorius in æris, eboriſque ſculpturam ſpõtaneam illo moueretur modo, quo ſi cogitatè à ſtatuario perito;nullus eſſet qui prodigium illiuſmodi non ita interpretaretur, vt aſſereret occultum quendam genium, & vim latentem ſolertiſſimæ mentis ſubeſſe, quæ inſtrumenta illa inanima commoueret ac regeret. Quomodo enim penicillus, & ferramenta omni rationis conſilio, ſenſuque defecta potuiſſent facere, vt, verbi gratiâ, ſtaturæ totius pars octaua ſit caput; partem verò quintam adæquet latitudo pectoris; cubitus quartam, & cætera lineamenta faciei archetypo ſeu exemplari reſponderent exactiſſimè? Atque hoc argumentum eò magis premet, quò plures ponemus tales imagines vel ſtatuas Alexandri elaboratas quoti-

die prodiiſſe. Cùm enim quod caſu fit, rarò fiat; nullus caſum in iis omnibus ſuſpicari poteſt.

8. Quæ tanta igitur Atheum tenere poteſt prauitas mentis, vt inanimam tum ſeminis, tum fœdi ſanguinis colluuiem exiſtimet poſſe hominis membra ſingulis, non dico diebus, ſed momentis, caſu, nulloque conſilio fingere tanta artificij varietate, vt cùm pars vna corporis elaboratur, partes alias omnes eodem tempore cogitari, & ad illam comparari neceſſe ſit. Quis ſanæ mentis ſibi perſuadeat, ſemen, cùm ſimplex & vniuſmodi ſit, efficere potuiſſe tã multarum partium compoſitionem, implicationemque tam variam? Et quamuis humorem illum dicantur ſingulæ paterni, maternique corporis partes exſudaſſe, atque ſui quandam ſimilem vim, ideamque in illo impreſſiſſe; quemadmodum in medicamentorum compoſitionibus, & ſuccis ex multiplici herbarum genere ſtillatis videmus non vnam ſimplicem ſubeſſe ſub vno colore, ſimplicique ſpecie virtutem, cùm epoti tam diuerſos effectus vno tempore habeant, humoreſq; noxios non vno modo inuadant; illos quidem colligant, hos diſſipent; illos ſedent, hos irritent, ac laceſſant; hic flauam, hic atram bilem, non vna vtique vi eliciant, attrahantque: quæ omnia nunquam fierent, niſi ſub vnius ſucci ſpecie diuerſiſſimæ virtutes laterent; nihilominus intento animo conſiderandum eſt, quàm diſſimilis ſit ac diſiuncta à propoſito iſta, quæ affertur, comparatio ſucci medicati; cuius tota efficacitas ſimplicibus quibuſdam humorum attractionibus & eiectionibus facillimis, quas per ſe herbæ, quæ exſtillatæ ſunt, efficerent, continetur.

9. Etenim non hic de attrahendis, emittendiſque ſimpliciter humoribus diſputamus. De illa opificis agimus ſolertia, quæ naturam carnis & nerui, compoſitionem muſculorum, duritiem oſſium quidem ſummam, cartilaginum vero mediocrem & velut corneolam; venarum ex hepate, arteriarum ex corde, neruorum ex cerebro in totum corpus eductiones mirabiles, & alia infinita excogitare, efficereque potuerit; & accommodatam rebus ſingulis longitudinem, craſſitudinem, figuram, qualitatum principum temperationem, mollitudinem, robur, diſtantiam, vicinitatem, plurimaſque ſimiles perfecerit diſpoſitiones, vt tandem illæ mirè congruentes, ex quibus conſtamus, partes hac mente, qua vitam intelligentiæ participem viuimus, animari poſſent. Quarum omnium effectionem rerum cùm Hippocrates, & Galenus mirarentur, cui eam tribuerent, ſe hæſitare dixerunt. At quis non circa hoc in illis medicinæ parentibus ſapientiã deſideret? qui Dei tam expreſſa veſtigia legentes nequaquam ad eius notitiã peruenerunt. Certè illi morbos etiã ipſos faſſi ſunt præferre θεῖον τι. Et vel ex ipſarum febrium tertianarum, quartanarumque reuerſione ac motu conſtantiſſimo, quo nullum poteſt eſſe in metiendis, obſeruandiſque momentis horologium accuratius: ex criticorum item dierum fide, ac tam certis, iuſtiſque ſymptomatum temporibus, non minùs opificem corporis humani, tanquam machinæ cuiuſdam viuentis atque mirabilis agnoſcere debuerunt, quàm ex horologij in dimetiendis, deſcribendiſque temporum ſpatiis ſinceritate, peritum quendam ipſius horologij & artificem & moderatorem intelligerent.

CAPVT

CAPVT VII.

Euidens item Dei probatio sumitur ex consideratione partium internarum corporis humani.

1. LIcèt ex singularum partium externarum proportione atque condecentia mirabilem esse videamus corporis humani perfectionem; obseruant tamen Galenus *lib. 17. de vsu partium*, multò excellentiora inclusa intus esse prodigia, quàm ea quæ apparent extrinsecus. Non enim statuariorum more natura in extimis, sed in occultis præcipuè, intimisque, ac velut in sui operis penetralibus excellit. *Polycletus canem illum suum*, inquit, *tam celebrem affabrè faciēs, in iis tantùm imitatus est naturam, in quibus potuit; potuit autem in solis externis.* Curiosus quondam aliquis naturæ indagator, & inspiciendæ omnis apum disciplinæ cupidus, vitreum memoratur sibi fieri curasse aluearium, vt quid intùs agerent examina, cùm fingendorum fauorum causâ conuenissent, oculis perciperet. At non potuit ille quicquam ex animi sententia efficere. Nam politicæ illi genti, sagacibusque volucribus, quasi hominis importuni sensissent insidias, nihil potius fuit, quàm vt suis vndecumque parietibus se tegerent; crassumque ex commosi, pissocerôve tectorium perlucenti vitro inducerent, in censuram scilicet inurbanorum oculorum, qui erant in aliena Republica curiosiores, quàm iura gentium permittant. Similiter in hominis fabricatione, quamuis artificij diuini velut scintillæ multæ coloris bonitate, liberalisque totius speciei dignitate ad extima emicent; amat tamen natura obtento quasi velo suum opus moliri, & laborem ad humani corporis vitalia, partesque præcipuas ita cōferre, vt artem suam ipsa corporis, quod fabricatur, opacitate tegat: ita nec amant summi opifices artem suam vulgare, & in oculis omnium exercere.

2. Si tamen corporis totam fabricam perinde introspicere, atque si vitrea foret, concederetur, quomodo Beatorum in cœlo membra omnia, compagesque, viscera, venæ, ac medullę pulcherrimo spectaculo cernentur; non est dubium quin omnia, ex quibus constamus, diuinarum laudum cantibus intra nos ipsos personare audituri essemus. Quis religionis non existeret sensus, cùm ossa plusquam ducenta in conspectum venirent, quasi fundamenta membris omnibus egregiam præstantia firmitatem, & mirabiles inter se commissuras habentia; partim per articulos connexa, partim cohærentia symphisi? Articulorum, vt & συμφύσεως varia genera & nomina videri possunt apud Galenum in suo de ossibus libro. Quam varietatem necesse est esse maximam, cùm ossa diuersissimas habeant figuras, longa, rotunda, acuta, obtusa, plana, curua, recta, concaua, &c. Clauorum instar alia infiguntur; alia verò serratis pectinatim struuntur compagibus, & in suturæ modum committuntur; pyxidatim etiam aliis alia includuntur per ἐνάρθρωσιν; quædam cardinis in modum colligatione, quam γιγγλυμώδη vocant, inseruntur; aliis denique alia nexuum generibus coalescunt. Quanta verò diuinæ artis extant indicia intra corporis recessus intimos, in illis tribus præcipuis visceribus à quibus reliquorum omnium partium seu vis, seu vita dependet? Iecur & cor & cerebrum dico.

IECVR ET VENÆ.

3. Ex iecore quidem, in quo facultas est mirabilis in sanguinem esculenta, poculentáque conuertendi, & per venarum alueos in omnem corporis regionem transmittendi, oriuntur ipsæ venæ; & ab ea, quæ caua dicitur, estque velut aliarum mater, prodeuntes, sursum deorsumque facto duorum ramorum diuortio decurrũt, ac multiplici propagatione ad omnia pertinent membra. Ibi infinita rursum multiplicatione in minutissimas se diuidunt velut capillorum tenuitates, quæ toto, quo subter cutem decurrunt longulo itinere tubulatæ, & subtilissimo artificio cauatæ sunt in fistulas, per quas sanguinis liquor ita suppeditatur, nulla vt sit in toto corpore minima pars, quam possis vel acu pũgere, cruore venisque vacantem, nec iis huc illucque deriuationibus irrigatam, dum ad eam nimirum sanguinis defertur annona, quam trahunt, suguntque singulæ pro se partes, esurie sitique insatiabili.

4. Quòd si impasto corpore ieiuna membra vrgente calore naturali consumantur inedia, nutrimentum ex proximis trahere nituntur venulis, quæ & ipsæ, si ieiunæ sint, elicere quippiam nituntur à maioribus venis: hæ verò ad iecur acriore suctu confugiunt; iecur aridum petit opem à stomacho, qui extremus cùm sit, nullamque habeat in corpore partem ex qua succum possit exsugere, quid agat? Sensum scilicet habet acrem, qui vocatur fames, quo acerbo sensu hominem vt cibo potuque vires reficiat, admonet, atque remedium ita petit extrinsecus: homo autem eiu. cruciatus vitandi causâ, quem in illo necessitatis articulo natura voluit esse acerrimum, cogitur non sibi deesse diutiùs, & de sumendo cibo cogitare.

5. Huic facultati alimentariæ, vt præest iecur, sic & aluus ministrat. Quæ subiecta ventriculo, & ex neruis fere constans, multiplex, ac tortuosa, receptaculum est eius quod à se concoctum ventriculus demittit, & ex quo secretus succus ad portam iecoris, quod est efficiens sanguinis, permanat. Segregant se interim, alióque deriuantur bilis, cæterique homores; & partim ad fellis folliculum, partim ad lienem semigrant, partim excipiuntur ac profunduntur à renibus. Longus sim, nec possim, si cuncta velim persequi. Sed hæc de iecore venisque strictim & solùm exempli causâ poni oportuit, vt intelligatur, quantum in hominis fabricatione Numen appareat.

COR ET ARTERIÆ.

6. Alteri facultati, quam vitalem appellant, cor præest. In hoc præcipuus calor, & vitæ causa, origóque præcipua, atque inclusa, velut flamma viuens; ex qua Hebraïcè nomen לב tractum ést, quasi להב dicas. Vnde in animali palpitat velut alterum animal; idque ita mobiliter, æstuque tanto, vt verè igneam celeritatem imitetur, atque ad tantum refrigerandum calorem necessarium fuerit agitatione pulmonum admirabili à natura prouideri, in quorum raritatem & assimilem spongiis mollitudinem spiritu anima ducatur, & hausta mox, vbi ab ipso cordis calore incaluerit, expellatur respiritu; non inutilis, dum etiam efflatur, ob vocis conformationem. Feruore cordis in spiritum vitalem accenditur, tenuaturque sanguis, quem venæ cauæ propagatus ex

ex iecore ramus, ad illius dextrum ventriculum infundit. Quantam verò habet delectationem animi aperta illius, quod hìc se offert, operis contemplatio? Duos cauato corde sinuoso, specus natura struxit, nec illum tertium, quem voluit Aristoteles, inuenimus in homine, quemadmodum in magnis, si Plinio fides, animalibus. In illorum quidem dextrum, vt dicebam, sanguis per venam ad eum arrectam influit. Estque ea prima vitalium spirituum officina.

7. E sinistro autem exeunt arteriæ, quarum vna simplicior diuertit ad pulmonem, auram, quæ cordi æstuanti adspiret, exceptura. Crassior altera, & velut omnium truncus arteriarum; quæ quoquoversum propagata sobole, per omne corpus ducuntur, artificio mirabili contextæ; atque membra benigno fouent calore per vitalem illum spiritum, quem duplici tunica contra ipsius violentiam ac vim indomitam firmatæ, continent. Vbique verò micant iisdem, tam inter se, quàm cum corde (cuius nimirum sunt appendices, & quædam velut continuationes) interuallis, ac rythmis, quasi ad numerum, legemque metricam. Porrò cùm ad superiorem capitis partem, vbi metropolis est humidi ac frigidi, adrepserunt, ipsamque subierunt caluariam, se magno numero ad cerebri basim conuoluunt, ac torquent, crebràque implicatione, retis in modum, intexuntur, quò spiritus è corde præferuidus atque indomitus, aliquo modo sedetur, & diuturnâ in illis anfractibus frigidioribus morâ, ad cerebri temperationem mitigetur.

Cerebrum et Nervi.

8. In illa igitur suprema hominis regione, ac velut parui mundi cœlo, sedem habet ratio, quæ per cerebrum cordi dominatur & hepati, cùm & illius præferuida desideria, & huius voluptuarios sensus coërcet. In humano cerebro (quod, ni coquendo duresceret, medullam diceres) neque vena, neque sanguis extra ventriculos. Dupla meninge, tenui quidem proximè, tum crassa, denique obuoluitur pericranio. Spiritus ad illud delati vitales naturam & nomen mutare coguntur; atque animales, quòd animæ sentientis præcipuum sint instrumentum, vocari cœpti sunt, postquam in duos anteriores cerebri ventriculos admissi, illorum vim, affectionemque senserunt. Ex quibus duobus ventriculis ad tertium alium, demúmque ad quartum influunt, magis ac magis accurati, atque perfecti; vbi sensibus præsto sunt internis, ea suppeditare prompti phantasmata, quæ intellectum oporteat speculari. Tandemque totum deferendi per corpus, recipiuntur in neruos, destinata sibi vehicula.

9. Vt venæ atque arteriæ illorum, à quibus profectæ sunt, viscerum naturam trahunt, secumque deferunt; sic nerui diuersam à cerebro naturam non habent. Atque ita omne per corpus quodammodo tum iecur spatiatur, tum etiam cor, ac cerebrum. Nerui molliores ab anteriori cerebro propagati facultatem, quam animalem appellant, ad externos omnes sensus deducunt, rerum percipiendarum & multiplicis notitiæ causâ. Qui duriores, ij ex posteriori cerebro (cui παρεγκεφαλίς nomen) toto latè corpore disseminantur in musculos, & cum aliis ex medulla spinæ progressis præsunt motibus omnibus voluntariis. Propagantur verò cuncti distributi varias in coniugationes;

gationes; & per membra omnia implicati, vim quandam incredibilem artificiosi operis testantur. Porrò quàm admirabili peritia tum sensibus nerui, tum musculis inserantur; & quàm callidam solertiam natura persecuta sit in ipsorum opificio musculorum ac sensuum, ad quos animales spiritus per neruos deferuntur; quàm aptè oculum, verbi gratiâ, ex tot neruis, pelliculis, humoribus, venulis, musculis, arteriolis, ciliis, superciliis, palpebris; aliosque sensus suis partibus singulos fabricata sit, atque aptissimis locis collocarit; quanta denique diuersitate partium, & ad quas functiones, motusque singula membra, neruis per ea dispersis, compegerit, superfluum esset hîc commemorare, cùm ad institutum nostrum superiora sufficiant. Ex iis enim quæ hactenus, tam præcedenti quàm isto capite de corporis humani externis, internisque partibus dicta sunt, satis intelligitur, illum à cognitione sui, hoc est à sapientia remotissimum esse, qui corporis, ex quo constat, non nouit authorem esse Deum, neque hunc sentit in suis habitare membris, quæ ipse dum ea formaret, suis sibi digitis consecrauit in templum, in quo laudum suarum cantica non surdis ab auribus audirentur. Huc denique referendum est, quod in commendationem illius opificis, à quo membra humana elaborata sunt, Galenus disserens de pede (quæ est pars abiectissima corporis) pronunciauit *lib. 3. de vsu partium*; idem potiori iure de capite, aliisque nobilioribus membris haud dubiè dicturus. *Cutem*, inquit, *constrictam, & mediocriter duram subdidit pedi sapientissimus ille conditor noster, cui commentarios hos ceu hymnos quosdam compono; in eo veram esse pietatem existimans, si nouerim ipse primus, deinde exposuerim aliis, quæ sit ipsius sapientia, quæ virtus, quæ prouidentia, quæ bonitas. Ignorantia quorum, summa impietas est.* Ita Galenus sapientissimè quidem, si supremam illam causam, cuius vestigia tam extantia in humani pedis fabricatione mirabatur, tanquam Deum glorificauisset. Quod sanè facere debebat, cùm ipse aliquando dixerit, humani fabricam corporis esse totius principium Theologiæ.

CAPVT VIII.

Ipsamet anima & mens Atheorum euidens est, quod ipsos conuincat, Diuinitatis argumentum.

1. CVm Deus figuram illam corporis, in qua species inest tam honesta membrorum, concesserit solius causâ animæ, cui ædes eiusmodi instruebatur; consentaneum est, vt ex ipsorum venustate, condecentiaque membrorum, præstantiam humanæ intelligamus animæ; atque ita Dei perfectiorem cùm notitiam, tum amorem hauriamus ex consideratione diuini illius spiraculi vitæ, quod in limi massam suis digitis subactam Deus ipse almo immisit halitu tanti operis conditor, cuius agnitionem hoc libro conamur Atheis tradere, aut potiùs suscitare; postquam Diuinitatis informationem, quam natura in omnibus hominibus ingenuit, ex suis animis excusserunt. Naturalis enim notio Dei in nobis omnibus ingenita est ex eo maximè, quòd tam perfectæ naturæ nos esse sentimus.

2. Certè vel illam inferiorem & sensitiuam animæ partem, ex qua in carnem, sanguinemque immersâ animales,

males, psychicique dicimur, tam perfectam esse constat, vt ab ea omnis perfectio profecta fuerit, quæ in corporis totius coagmentatione summam admirationem habet. Nulla enim in omni membrorum compage fibra est, aut venula; nulla dimensio, nullus in tanti operis fabrica scopus, quem anima non exigat atque præscribat. Et quamuis illa simplex in se sit & indiuidua, infinitas tamen, ex quibus corpus integrum constat, partes mirabili quodam, atque vniformi intra se latentes continet modo. Quare si quis animæ sensitiuæ naturam oculis percipere posset, ille simul in ipsa, velut in vitali pictura, vniuersam corporis speciem, partium infinitarum compagem, membrorumque figuram omnium inspectaret; non penicillo coloribusque mortuis adumbratam, sed eminentem, idealique modo expressam. Neque aliud quicquam, aut alio modo, quàm ipsa anima exigat, potest in membris locum habere, nisi in iis prauitas aut distortio sit, atque deformitas. Cùm enim corpus nihil sit aliud, quàm velut vas, seu theca animæ; illud ad hanc, velut calceum ad pedem, habile & aptum esse oportet. In illoque monstrosum est, si fortè quid ad ipsius animæ commodum, officium, muneraque exercenda vel necessarium absit, vel adsit superuacaneum.

3. Quod si partem animæ superiorem, in qua mentis & rationis templum expressa Dei imagine consecratum est, dispiciamus, in ea comperiemus non quodcumque diuinæ sapientiæ opus, sed illud quod & ipsum sapientia dicatur, & rerum agendarum consilio diuinam ipsam, ex qua producta est, mentem æmuletur; iureque cælestis spiraculum vitæ siue quoddam velut suspirium Dei à Moyse fuerit appellatum. Cuius dignitatem apposite indicat ex Hebræa nomenclatura vox נשמה, qua Moyses in eo Geneseos loco vtitur. Illam enim vocem cæleste quid spirare volunt illius idiomatis periti, dictamque esse quasi מן-שמים; perinde ac si dixeris, à cœlis ortam. Quid enim excelsius? quid diuinius excogitari potest iis, quæ in hac excelsa animæ arce, & (vt ita loquar) acropoli continentur, facultatibus intelligendi, recordandi, & liberè quodlibet vel amplectendi, vel repudiandi?

4. Et quidem, quod ad facultatem intelligendi attinet, ea totum intra se mundum nobiliùs, quàm is in se subsistat, comprehensione struit, & cogitatione sustentatum viuere aliquatenùs facit: possibiles alios mundos cognitione sibi fabricat, & rerum pulcerrimarum picturas contemplatione perficit. Ipsos etiam sibi adumbrat, ac depingit spiritus, alienæ ad id specie mutuatâ ex rebus subiectis sub sensus. Rerum proportiones, & quos quidlibet habeat similitudinis dissimilitudinisve respectus concipit: concepta rerum similitudine, suppressa autem, nec concepta dissimilitudine, genericas, specificasque rationes suspendit. Entia percipit moralia; quod nulla potest facultas animalium rationis expertium: nam canis, plurimos licèt domi versatus annos, nunquam discernit, nec ad id eleuari potest, vt discernat, domesticorum (quibus quotidie caudam adulando iactat) quis nobilis, quis plebeius, quis virtute præditus, &c. De rebus facultas intellectualis censet, assentit, dissentit. De certis & euidentibus iudicium acriter facit; de verisimilibus non nisi timidè; de incertis dubitat, assensionemque susti-

net. Ex causarum cognitione cognitionem euentorum elicit: ex euentis rursus atque effectis ad ipsas causas ascendit, atque regreditur: coniecturâ auguratur; ducit, trahitque suspiciones ex rebus.

5. Per memoriam homo formas rerum infinitas, vt in tabulario, condit, ac notiones velut in thesauro custodit, quas in tempore depromat, & ad vsum proferat, non vniuersas simul atque confertim, sed eæ intra memoriam complicatæ euoluuntur (quod mirum est) continuata serie, & singulæ se offerunt, velut verbatim, suoque pedetentim ordine, vt in eo qui orationem ex memoria pronunciat, experimur. Ad memoriæ simul & intelligentiæ vim pertinet facultas (qua bestiæ carent) numerandi, & res ad calculos reducẽdi. Quæ tanta est in homine, vt qui sunt in Arithmeticis perfectè exercitati, summam subducere posse profiteantur numeri arenæ, quæ opplendo, referciendoque mundo sufficeret. Nemo non videt, quanta rebus humanis, & negotiorum rationibus confusio, perturbatioque afferretur, si mortales omnes Amphistidi illi similes forent, quem aiunt nunquam potuisse numerando peruenire ad quartum.

6. Per voluntatem homo de rebus statuit eligendis, aut repudiandis; vtendis, aut fruendis. Illi quid agere debeat præit ostendendo (quamuis non præscribat iniungendo) intellectus. Vt enim voluntas aliquid amplectatur, oportet singulas illius cognitas esse circunstantias. Vnde ab Aristotele voluntarium definitur, id cuius principium est in agente sciente singula, in quibus est actio. Quatenus enim aliquid ignoratur, nequit esse voluntarium. Potest verò quippiam ob rationes propositas sic esse volitum, vt ob propositas etiam rationes alias displiceat. Vnde actus dantur mixti voluntario, & inuoluntario. Porrò quantumvis intellectus causam vnius partis agat, & rationes per se efficaces, validasque proponat; potest tamen pro suo iure voluntas obstinata non moueri, si lubeat: vtque potentiam habet agendi, sic & habet non agendi potentiam; siquidem positis omnibus ad agendum prærequisitis, integrum illi est non agere, & optare quod maluerit; quod est illam verè liberam esse, & αὐτεξούσιον, hoc est suorum dominam actuum. Scopum sibi, quò collineet, pangit; ad quem exitum properet, sciscit; quid amet, quid oderit, decernit: quæ consentaneam sibi videntur habere proportionem ad finem, eligit media. Id omne, cum ex arbitrio fiat, nulla necessitate deuincto, est laudis, honestique, ac virtutum omnium fundamentum.

7. Per id autem dominium, quod in suos actus habet, cæterarum etiam dominatur voluntas humana potentiarum actibus, quos partim despoticè, partim politicè imperat. Sed & per dominium, quod in suos actus habet, toti ipsi dominatur mundo, & suo res omnes subiectas habet imperio. Quas vrbes, quas respublicas constitutas, & quidquid in iis priuatim, publicéque factum videmus; quæ suscepta, quæ gesta vnquam fuère bella; quæ gentium inita pacis fœdera, &c. solo ea omnia decreta fuerunt, ac scita voluntatis arbitrio. Spectat & ad absolutam humanæ voluntatis libertatem, quòd eam nulla vis quantacumque ad aliquid volendum cogere possit inuitam. Instet promissis, instet muneribus, instet minis, exquisitisque suppliciis tyrannus; quid possit contra illum voluntatis humanæ constantia ostenderunt inter ipsos Ethnicos non pauci:

sed

ſed inter Chriſtianos id prodidit infinita turba, quæ ne deficeret à ſemel ſuſceptæ Religionis propoſito, omnes tyrannicæ crudelitatis vires contẽpſit. Denique voluntatem humanam infinita quædam commendat deſiderij amplitudo; capax enim ſummæ beatitudinis, nunquam ſuum deſiderium in hac vita explere poteſt. Et vel ipſa experientia docet, quicquid magnum homo conſequutus fuerit, nunquam illum eò peruenire poſſe, vt naturali auiditate non optet ſemper noua vlteriùs, vlteriuſque conſequi: inexhauſtum illud deſiderium, & infinita voluntatis capacitas ſignificat exiſtere obiectum aliquod infinitum, quod ſit vltra omnem creatam cupiditatem, & cuius ſolius poſſeſſione, ac fruitione homo ſatiari poſſit. Illud autem eſt, quod Deum vocamus, quem Atheus nunquam ignoraret ſi naturam ſuam ſatis agnoſceret; nec impium vllum haberet appetitum elicitum, ſi ſuum (qui totus ad Deum religioſiſſimus vergit) innatum appetitum ſequeretur; nec enim potentius habet diuinitatis argumentum quàm ſemetipſum.

CAPVT IX.

Deum agnoſcere poſſunt Athei ex ea, quâ mundus ſapientiſſimè regitur, prouidentia.

1. CVm non poſſint, vt ſequenti capite oſtendemus, hominum, rerumque cæterarum generationes extitiſſe ab æterno; ſed vt ex diuina reuelatione habemus, mundi ætas à primo naturæ orſu non vltra ſeptimum ſupra quinquageſimum ſæculum, quod iam voluitur, proceſſerit; neceſſe eſt Deum infinito ſurſum, quod imaginari poſſumus, tempore antequam creaturas ex nihilo conderet, velut conſediſſe in ſeipſo, & in ſua ſolùm æternitate tranquilliſſimè habitaſſe, vſque ad ratum illud & decretorium momentum, quo dare initium vero & reali tempori, ac naturæ conſtituerat. Quod vbi aduenit, creaturas, quas mente gerebat, & ad exiſtentiam deſtinârat, produxit, potentiſſima eas genitalis Verbi virtute protrudens, velut ſapientiæ ſuæ, fœcunditatiſque germina.

2. Diuino ſcilicet nutui paruerunt omnes naturæ, & ad vnicam illicò vocem comparuerunt. Præſtò cœli, ignis, aër, maria, terra ex nihili velut antris emerſerunt. Veniebant accerſitu Creatoris ſydera, & voci dictoque illius reſpondentes ſtellæ dicebant occurſu ſuo, *adſumus*. Pari lux, pari virentia terræ germina, pari animalia obſequio emicuère, atque obuia prodière. Ludebat ſcilicet orbem terrarum condendo infinita potentia, ſuæ ſapientiæ, quæ cum ea ſimul omnia componebat, obſecundans, & cum ea belliſſimè ſe oblectans. Atque licèt ex tam facili, amœnoque luſu defatigationem ſentire non potuit; quieſcere tamen voluit die tandem ſeptimo, cùm perfectos vidit cœlos, & terram, & omnem ornatum eorum. In requiei ſuæ gloria (quam poſteris ſæculis prædicabilem, religioſamque ſub Sabbathi nomine eſſe voluit) omni operi, quod ad exitum iam perduxerat, acquieuit; cùm illud velut recognoſcens, ſingulaque obſeruans, laudauit omnia, & eſſe valdè bona pronuntiauit.

3. In requiem verò ſuam ſe recipiens Deus, & à rebus vltrà creandis abſtinens, non ita ſe in eam abdidit, vt creatum à ſe mundum negligeret

de cætero tanquam eiectitium partum, ac pereundi, suóque ipsius pondere collabendi periculo expositum vellet. Illius quidem perennitati consulens rerum naturas singulas ita instruxerat, & tantùm eis ingenuerat sui tuendi studium, vt sibi penitùs commendatæ nihil omitterent, quò se possent à contrariis, & ab extremo fato prohibere. Ad vniuersum hunc mundum per eas res ipsas, ex quibus constat, sartum tectum conseruandum, ratos Soli ac Lunę præscripserat errores, suo vt lustratu, alternoq; iam ad brumalia, iā ad opposita signa per gyrū appulsu terram fouerent, subiectamque naturam continerent: terræ item, cæterisq; elemētis legem posuerat, quâ inuiolatè suis res omnes (vt in automatis) ferantur sponte motibus. Ex quo factum est, vt inter elementorum pugnas omnis rerum natura ita subsistat, vt maior ei per illa ipsa corporum discordantium continua bella addatur firmitas. Temperat verò elementa prodigio perpetuo (inquit Pisidas) Creatoris prouidentia. δείκνυσα τάξιν τῆς ἀτάκτου τετράδ☉, hoc est, ordinans quod in iis apparet inordinatum; ita vt vires dum sibi adimunt, augeant; seque internecinis iuuent inuicem, foueantque præliis, & mutua strage conseruent. Quo nempe modo æqualia in duabus libræ lancibus hinc & inde pondera se mutuò, cum sibi obsistunt, firmant, & alterum sic suspendit, constabilitumque retinet alterum, vt neutrum cadere, neutrum assurgere possit. Adhibet Pisidas conicantium etiam arietum similitudinem; qui quò se impetunt ac pellunt fortiùs, vt se ambo de gradu dimoueant, eò firmiùs alter & sistit ipse, & in gradu figit alterum. Similiter Boëtius *libro* 4. *de consolatione, metro* 6. aduersantium sibi elementorum concordem discordiam elegante anapæstico exposuit.

Hac concordia temperat aquis
Elementa modis, vt pugnantia
Vicibus cedant humida siccis,
Iungantque fidem frigora flammis;
Pendulus ignis surgat in altum,
Terraque grauis pondera sidant.
Hac temperies alit, ac profert
Quidquid vitam spirat in orbe.

4. Summam etiam habet admirationem, quod animalia cernimus, tum fœtibus edendis, nutricandisque, tum quærendo pastui, tum suis operibus exercendis velut prouidentiali afflata esse instinctu, quo tam industriè, tamque appositè ad suæ naturæ conseruationem agunt aut aguntur, vt nihil ad eam aptius excogitari possit, dubiumque non sit, quin illis suus Creator in eo instinctu quoddam reliquerit impressum prouidētiæ suæ vestigiū. Consistit autem brutorum instinctus, non in finis, mediorumque liquida cognitione, & istorum cum illo comparatione: sed in quadam dispositione certa phantasiæ, quâ phantasiâ solam aliquam (ne multitudo vel turbaret, vel consilium electionemque requireret) seu rem, seu actionem hic & nunc apprehendente, demulcetur simul appetitus, & sic afficitur, vt ad illam rem, siue actionem (cuius nimirum vnicæ speciem & imaginationem sequitur) feratur illicò absque vllo planè consilio: appetitu porrò phantasiam ita sequente, appetitum ipsum sequitur potentia externa exequens, vt in infantibus videmus, præsentem ignem aduertentibus, manuque statim absque vllo consilio prosequentibus, ob nouitatem, & quandam in luce apprehensam iucunditatem.

5. Ad rerum denique perpetuitatem,

tatem, & naturarum immortalitatem, illas conditor viuificis imprægnauit ſeminibus; quibus ſeminibus vim infudit omni ſtupore maiorem; in iiſque incluſit diuinum formandi corporis organici artificium, ac diſtinctiſſimam partium diuerſiſſimarum (quot ſunt nimirum in proceris arboribus, & ingentibus animalibus) ideam, hoc eſt ſubtiliſſimam & intentionalem picturam; non inertem illam, & mortuam; ſed viuam, exemplarem, & ita efficacem, vt eius omnes ductus productis effectibus ſe prodant, & ab ideali ſtatu in realem exiſtentiam tranſeant. Atque hæc omnia, quæ in rebus naturaliter operantibus nemo eſt qui non aduertat, & quæ cuncti rerum indagatores mirari ſe profitentur, manifeſtè Deum Atheis prędicant, multò manifeſtiùs, quàm rotata horologia, & alia huiuſmodi automata per ſuos motus declarent aliquem opificem extitiſſe, qui ſibi vim tenſilem indiderit, ſingulaſque ſuas adducendo, contendendoque partes eo diſpoſuerit modo, quo fuit neceſſe ad hoc vt mirabiles ij qui cernuntur motus, ſua ſponte, & velut per ſeipſos exiſterent.

6. Porrò licèt Deus conſeruationi operis, quod patrarat, & à quo vlteriùs augẽdo ceſſans quieſcebat, conſuluiſſe per ipſa, vt iam dicebamus, naturæ principia videretur; non tamen ita in cauſarum naturalium fide requieuit, vt totum ſe in illis reponeret; rebus enim ſemper & conſeruandis, & regendis per ſe ipſum incumbit, quod ſi manum quâ mundum ex nihilo extraxit, reduceret; omnia ilicet defectu virtutis ſe in ſua exiſtentia ſuſtinendi reciderent in ſuum nihilum. Eundem ergo, quo ſemel creauit, influxum continuando conſeruat ſingula; nec ſuum illum almum radium (quem Dionyſius vocat ὑποστατικὸν ἀκτῖνα, hoc eſt ſubſtantificum) retrahit. Et verò Chriſtianæ fidei ſapientia talem eſſe aſſerit Dei ad minima noſtra deſcendentis prouidentiam, vt non ſolùm ea cognoſcat, ſed etiam cura & conſilio proſequatur, ſinguláque vel agat, vel permittat. Et quamquam res noſtræ ſæpe ſuſquedeque per ſortis temeritatem ferri videantur, & velut agitati fritillo tali cadere, ideóque fortunam dixit Philo ἀνθρώπινα ἄνω καὶ κάτω πεττεύειν; verè tamen nihil caſus, nihil in orbe fortuna cæca, ſed omnia Dei ſapientia regit, omnibus attendit, omnibus præſentiſſimam operam nauat; nihil boni ſuſcipitur, niſi illo primo authore; nec niſi illo promouente excutioni mandatur. Nihil mali conſcitum eſt vnquam, quod eum fefellerit, aut improuiſò perculerit. Ipſi præparantur cogitationes noſtræ, quas certiſſima præuiſione occupat: quæ permittit, limitibus definit certis, quos creaturarum nec cupiditas, nec furor prætereire poſſit. Quæcumque nos ſine vel nullo temerè, vel malo ſceleratè agimus, ea ille dirigit ad optimum; itáque crimina noſtra vertit in inſtrumenta virtutis, & quæ in noſtro vituperanda ſunt actu, in illius ſunt laudanda permiſſu. Qua mirabili fit prouidentia, vt ipſa etiam peccata quodam modo ſeruiant Deo, cui Pſalmiſta canit: *Quoniam omnia ſeruiunt tibi.*

7. Diuinam huiuſmodi prouidentiam eadem ferè argumenta neceſſariò probant, quibus diuinum numen demonſtramus exiſtere. Quare facilius eſt, vt notauit Auguſtinus, reperire Atheos, qui Deum non exiſtere, quàm qui exiſtentem nihil rerum noſtrarum curare aſſerant. Vix tamen vllus fuit veterũ Ethnicorum, qui dum veritatem

ritatem aliquo modo prouidentiæ agnouit, somnia non admiscuerit errorum. Aristotelem ipsum Ambrosius & Nazianzenus, Clemens Alexandrinus, & plures alij Patres constituisse testantur Dei, hoc est primi Motoris, prouidentiam in sublimibus tantùm partibus mundi, & cœlorum motibus; citimam verò naturam omnem casu fortunæque legibus subiecisse: idque colligitur ex variis illius Philosophi locis, vt cùm ait *capite* 19. *Metaphysica*, absurdum esse primam mentem de quibusdam cogitare; & melius esse quædam non videre, quàm videre. Item cùm in fine libri de mundo ad Alexandrum scribit Deum non omnia per se gubernare, indecorumque fore illi, si se immisceret singulis; vt non decet Regem Persarum omnia per seipsum curare, cùm id possit per Satrapas, &c.

8. Tam Athei, qui nullum, quàm alij, qui otiosum, nec rebus omnibus prouidentem humanis Deum putauerunt, eo potissimùm nixi sunt argumento à nobis nunc reiiciendo. Quia nimirum si Deus existeret, qui mundum regeret, humanisque rebus consuleret, non tot iniusta bella nasci, conflari, suscipi nefariorum furore hominum possent; nec ita frequenter, ac videmus, bonis malè eueniret, improbis autem optimè Quam ob causam Cynicus olim Diogenes fertur dicere solitus, *Harpalum quemdam* (temporibus illis felicem prædonem) *contra Deos testimonium dicere, quòd in illa fortuna tamdiu viueret.* Plerosque prouidentiæ diuinæ defensores Philosophos ait Lactantius *libro de ira Dei, cap.* 13. visos esse illo ipso, quod iam dictum est, conturbari argumento hac forma proposito: *Deus aut vult tollere mala, & non potest; aut potest, & non vult; aut neque vult, neque potest: aut & vult & potest: si vult, & non potest, imbecillis est: si potest, & non vult, inuidus: si neque vult neque potest, & inuidus, & imbecillis est. Quodcumque autem illorum sit, non existit verè Deus: si autem vult tollere mala, & potest, quod solùm Deo, si vllus est, conuenit; vnde ergo sunt mala? aut cur ea non tollit?*

9. At eo ipso Atheorum, & illorum qui prouidentiam negant, argumento, contra quàm ipsi intendant, confirmatur maximè prouidentia. Talesque homines, vt ait Gregorius Nazianzenus, similes sunt nauseantium, & vertigine laborantium, qui inuerti ac moueri omnia putant, cùm ipsimet inuertantur: ὃ πόῤῥω τῶν ναυτιώντων, εἴπῃ καὶ ἰλιγγιώντων, οἳ στρέφεσθαι τὰ πάντα δοκοῦσιν αὐτοὶ στρεφόμενοι. Quidquid enim ipsi perturbationem recti ordinis, confusionemque rerum interpretantur; id totum ad summam pertinet, perfectissimamque politicam supremi illius Principis, qui scelera publico consilio à Regibus populisque concepta, disturbationibus ciuitatum, & euersionibus Imperiorum vindicat. Qui singulorum dum scrutatur corda, in ipsis sanctissimis viris vel aliquam reperit, quam per improbos puniat prauitatem; vel summum aliquod intuetur animi robur, quod in spem immortalitatis exerceat; cùm illos ipsos improbos, temporaria prosperitate velut saginatos ad supplicia reseruet sempiterna. Quos etiam sæpe in hac vita non solùm furore scelerum suorum percutit, quæ pœna est omnium maxima; sed cruciatu summorum dolorum conficit, vt Antiocho, & vtrique Herodi, aliisque contigisse videmus innumeris.

10. Præterea illud institutum Dei est, vt quamoptimus bonos admisceat malis, & ingeniosissimus ordinem sæ-

culorum

culorum tanquam pulcherrimum carmen quibusdam quasi antithetis ornet,atque ita quadam,non verborum, sed rerum eloquentiâ, sæculi pulcritudo contrariorum oppositione commendatur. *Contra bonum malum* (vt monet Ecclesiasticus *cap.33.*)*& contra mortem vita: sic & contra virum iustum peccator. Et sic intuere in omnia opera Altissimi: duo contra duo, & vnum contra vnum.* Quacumque verò ratione se res nunc habeant, quæ in mundo videtur inæqualitas,summam habet apud Deum æqualitatem.Idque nunc agitur, quod tandem in cœlis, constituto Dei Regno, & velut perfecto opere,apparebit. *Nam & in artificis cuiuscumque materia, quod perturbatum erat,& inæquale* (inquit Nazianzenus *orat.16.*) *id artificiosissimum erat, cum ad structuram operis alicuius eam præparabat. Quod tunc animaduertimus, cùm absolutam perfecti operis pulcritudinem intuemur.*

11. Ex superioribus illud etiam quod Athei solent opponere,dissoluitur: naturæ scilicet vim solam absque diuina prouidentia in omnibus satis valere rebus. Dico enim ea quæ fieri videmus,ita esse à natura,vt diuinæ solius censeri debeant opera prouidentiæ.Quò spectant hæc aurea Senecæ verba: *Natura, inquis, hæc mihi præstat.Non intelligis te,cùm hoc dicis, mutare nomen Dei? Quid enim aliud natura, quàm Deus, & diuina ratio toti mundo, & partibus eius inserta? Ergo nihil agis, ingratissime mortalium, qui te negas Deo debere; sed naturæ. Quia nec natura sine Deo est, nec Deus sine natura; sed idem est vtrumque officium. Si quod à Seneca accepisses, Annæo te diceres debere, vel Lucio, non creditorem mutares sed nomen.Sic hunc naturam voca, fatum, fortunam; omnia eiusdem Dei nomina sunt, variè vtentis sua potestate.* Hæc ille sapientissimè. Quamuis enim natura, si propriè loquamur, non Deus, sed Dei sit opus; tamen idem est si à natura, atque si à Deo aliquid perfici dixeris, cùm idem vtriusque sit effectus.Atque idem censendum de fato, & fortuna; hæc enim extra fabulosas ineptias aliud nihil sunt, quàm Dei prouidentissima virtus.

12. Concludendum tandem, Atheos cæcos verè, ac surdos esse, qui nec tantæ prouidentiæ effectus, nec per hos Deum attendant.Cæcos quidem, cùm nec cœlestes orbes intuentur incredibili celeritate, artificióque volui;neque sydera tum errantia,tum inerrantia & fixa, sic ab ortu in occasum commeare, vt & sensim in ortum simul regredi, & mox ad sinistram, mox ad mundi dexteram flectere videantur. Surdos autem, cùm suauissimum illorum concentum non audiunt; sed nec eum alterum in elementis concentum, quem similiter ac in cœlis Sapiens audierat, cum diceret Sapientiæ cap.19.*In se elementa dum conuertuntur, sicut in organo qualitatis sonus immutatur, & omnia suum sonum custodiunt,vnde æstimari ex ipso visu certò potest.* Percurrit omnes eadem summa prouidentia, modulaturque creaturas; ad res etiam minimas,ac infimas *attingens à fine vsque ad finem fortiter. Operit enim cælum nubibus,& parat terræ pluuiam; producit in montibus fœnum & herbam seruituti hominum. Dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.* Psal.146. aliaque præstat innumera quæ fusè canit idem Rex Propheta *Ps.*103 Consideret Atheus lilia agri: *non laborant, neque nent.* Vnde igitur,nisi ex prouidentia Creatoris, eum decorem possident, qui sit supra gloriam Salomonis? Conside-

ret

ret vel ipsum, quod calcatur pedibus, fœnum: quis illud nisi Creator amœnissimo vestit ornatu? Quis ex quocumque graminum, olerumque semine herbescentem elicit artificio mirabil viriditatem? Deus scilicet (cùm orbem conderet) quam sapientiam siue prouidentiam assestricem, & adiutricem tunc asciuit; ei quas creaturas producebat, commendatas reliquit, conseruandasque commisit.

13. Quò possumus illam (vt Hebraïcè concepta est) trahere sententiam Prouerb. cap. 29. *Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens, & delectabar per singulos dies ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum; & deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* In hunc enim sensum concipiuntur Hebræa. Quasi nempe rerum Conditor vniuersum orbem, velut elegantissimum fœtum in lucem à se editum, apud suam sapientiam seu prouidentiam deposuerit, in nutritiam eius disciplinam tradens, vt ipsa in illius moderãdi curam sollicitudine materna incumberet. ואהיה אצלו אמון ואהיה שעשעים: hoc est, vt quidam in ea lingua versati interpretantur. *Eram apud illum tanquam pædagogus & nutritius, mundum tam perfectum in meam fidem suscipiens; & miris eram in deliciis, iucundabarque omni tempore* (addunt Septuaginta) *cùm & ille lætaretur orbe perfecto.* Constat igitur ea quæ in mundo admiratione digna occurrunt, effectus esse sapientissimæ prouidentiæ, qui Dei prædicent & in creando potentiam, & in conseruando regendòque curam ac studium erga rerum hanc vniuersitatem, quam Creator à se genitam despicatui non duxerit, nec abiecerit, vt esset ludibrium temporis; sed potius quam charissimam habuerit, & sartam tectam, integramque in perpetuum voluerit.

CAPVT X.

Metaphysica argumentandi subtilitate Athei conuincuntur.

1. SI summæ vituperationem impietatis illi non effugiunt, qui Dei veritatem non satis religioso perquirunt studio; sed iis, quas sibi fingunt, difficultatibus superati hærent velut in salo dubij, æstuantque ancipiti cura cogitandi, vtrum sit, necne sit summum aliquod Numen; quid de illis censendum est qui reiectis omnibus, quò Deus sit, argumentis, nullum fuisse mundi Architectum, nullum eius esse Rectorem præfractè defendunt? Vel qui frontis ostentatione occultare nitentes sua de Deo peruersa iudicia; eas censent in speciem tenendas esse religiones, quascumque à maioribus velut sortitò accepimus. Easque solius Reipublicæ causâ tuendas esse de Numine opiniones atque cæremonias, quas popularium instituta præscripserint. In quo, vt patet, aliud non est nisi mera velut Religionis alea. Et quoniam cum illis contendimus, qui humana sola ratione metiendum existimant summum istud de Diuinitatis veritate iudicium; ex iis tanquam præludendo sciscitor, quid sonare putent hoc Dei nomen, cùm Deum inficiantur existere? Illius vtique negant existentiam, qui possideat omnem absolutè perfectionem possibilem, qua frui melius sit, quàm carere. Deinde ex iisdem item peto, num existentia sit talis perfectio, quæ melior sit ipsa, quàm eius negatio. Denique requiro, num dicere audeant, illum, qui omnem possideat perfectionem

perfectionem, existentia carere, quæ perfectionum omnium est maxima? Sed ne velitari tantùm, & ludicra dimicare velle sciscitatione videamur, magis seria, pauloque grauiore vtendum est.

2. Metaphysica nobis agendum est argumentatione contra id detestabile sapientiæ genus, quod quasi philosophica subtilitate rē agit; & quācumq; foris religionem simulet, creaturarum pulcritudinem iudicat solis rerum ipsarum effloruisse viribus; quóque ipsa maior est atque perfectior, eò magis illam existimat potuisse sponte sua in lucem se proferre, vnaquaque scilicet naturâ se propriis ipsam motibus, ac mutationibus agitante ac ciente. Verumtamen longè illos opinione sua falli, à sanitate mentis alienos, atque primam rerum omnium quæ in natura existunt, dari causam, ex eo perspicuum est, quod omnia entia, quæ quotidie noua existunt, ex iis nasci videamus causis, quæ ab aliis similiter natis similesque causas habentibus extiterint; ita vt sursum ad supremam vsque causam continuata serie per gradus ascendatur causarum, quarum aliæ ex aliis nexæ, ortæque sint. Homines scilicet (vt exemplum ad rem ostendendam ex nostro ipso genere sumamus) sic in vitam introeunt, vt qui Noëmo natus fuit Semus, prognatus idem dicatur Lamecho; hic autem patre susceptus sit in lucem Mathusala, quem Henochus genuerat, vt hunc antè Iaredus, Malaleelis filius; sicque gradatim per Cainanum, Enosum, ac Sethum, ad principem denique humanæ genealogiæ Adamum deueniendum est, in eoque quiescendum, qui homine natus non sit, sed Dei manibus ex argilla & luto fictus. Atque nisi denique ad talem aliquem deueniretur totius stirpis humanæ principem ab illo susceptum, qui extra numerum hominum esset, iaceremus omnes in potentiæ obiectiuæ tenebris. Quis enim in toto nostro genere sibi ipsi, ac vniuersæ hominum congregationi afferre potuisset initium, cùm constet, priusquam existat, neminem quicquam posse. Iuuat Theodori Abucaræ verba consimili planè modo ratiocinantis afferre: Fingamus, inquit, homines omnes non nisi centum extitisse. Non possunt illi omnes esse geniti. Itaque genealogiam retrò nostra mens percurrens, planè ad vnum perueniet ingenitum, in quo quiescat; alioqui enim non quiesceret tanquam in primo. Ἀναποδίζων ὁ νοῦς τὴν γενεαλογίαν ἐπὶ τὰ ἄνω εἰς ἕνα ἀπαντᾷ πάντως ἀγέννητον. Sic ille in tertio dialogo.

Recursus ad generationum infinitatem (siue concedatur, siue negetur in omni infinito collectio) necessitatem primæ quæ ex se sit, causæ non tollit.

3. Neque verò effugient, aut Dei occursum vitabunt Athei cùm se in spatia infinitatis, ac æternitatis coniicient, & hominum, verbi gratiâ, seriem asserent in ætates sursum protensam innumerabiles; atque ita nequaquam recurrendum esse ad Deum. Si enim nemo non orsum & initium habuerit, nullum esse constat in omni æternitate, qui primus fuerit, & patrem hominem, aliosque infinitos maiores suos eiusdem secum naturæ non agnouerit. Nullum capient, inquam, ex ea (quam infrà constabit esse impossibilem) generationum infinitate fructum vtilitatis Athei. Qui enim fieri potest, vt cùm homines, siue singuli, siue quacumque multitudine designati, viribus iis careant, quibus ge-

 nerationem

nerationum humanarum series in mundum introduci posset; ea tamen series in mundum introducta fuerit non alia vi quàm humana? Id, inquam, impossibile est, siue collectionem omnium hominum (quod necesse est) dari supponamus; siue etiam per impossibile supponamus non dari.

4. Sanè primò si talem collectionem supponamus, & reapse omnes collectiuè homines, qui extitère, sumantur; talis collectio (cùm singuli in illa inclusi eam debilitatem naturæ habeant, vt causâ ex qua procreentur indigeant) non magis potest ab ea debilitate eximi, & causa, quæ se antegressa fuisset, carere, quàm aliquod corpus nigredine destitutum esse, cuius partes omnes sigillatim sumptæ forent nigræ. Vt enim albi aut nigri; sic etiam efficientem causam habentis vel non habentis nomen non aliunde toti, quàm ex partibus eius, imponitur.

5. Sunt quidem aliquæ notiones & nomina, quæ in solam collectionem, seu in totum illud, quod ex partibus constat, ita conueniunt, vt ad partes ipsas singulas pertinere non possint. Sic Apostolos dicimus esse duodecim, non singulos, sed vniuersos. Similiter denarium numerum parem esse affirmamus, cùm bina, ex quibus constat, quinaria talem nomenclaturam non habeant singula. Sagittæ sunt fasciculus, non seorsim, sed collectæ: resistent item ne frangere ipsas possis, non singulæ, sed simul omnes. Ratio est, quia debent coniungi, & mutuò (quod nequeunt si sumantur sigillatim) se iuuare; tum sagittæ, ne frangantur, & vt sint fasciculus; tum quinaria, vt paritatem, ac denarium; tum Apostoli, vt duodecim efficiant. At non idem est de cæteris quibuslibet rebus.

6. Quam clarè obseruationem tradidisse aduerto Aristotelem *lib. 2. Polit. c. 5.* cùm beatam probat eam ciuitatem dici non posse, cuius nulla pars beata sit: *Non enim eadem est,* inquit, *beatitudinis appellatio, quæ paris numeri; vt quemadmodum integer aliquis numerus (putà denarius) appellari par potest, licet neutra id possit eius medietas, sed qualibet earum medietatum sit impar; sic ciuitas ex gemina medietate constans, possit appellari beata, licet neutra medietas id possit; sed qualibet earum medietatum sit non beata.* Ἀδύνατον πόλιν εὐδαιμονεῖν ὅλην, μὴ τινῶν μερῶν ἐχόντων τὴν εὐδαιμονίαν: μὴ γὰρ τῶν αὐτῶν τὸ εὐδαιμονεῖν, ὥσπερ τὸ ἄρτιον. τοῦτο μὲν γὰρ ἐνδέχεται τῷ ὅλῳ ὑπάρχειν, τῶν δὲ μερῶν μηδετέρῳ. τὸ δὲ εὐδαιμονεῖν ἀδύνατον. Consimilem verò esse in nostra præsenti disputatione rationem affirmo. Nec enim illud prærogatiuæ genus (vt suis viribus, ac sine causa existât) habere magis possunt homines vniuersi, aut ad illud omnes simul se iuuare, si eo careant singuli; quàm ea Respublica dici possit beata, cuius partes singulæ sint miseræ; & quàm illud corpus possit dici album, cuius nulla sigillatim pars sit alba, sed omnes sigillatim sint nigræ.

7. Confirmatur. Nam si intra illam omnium hominum concatenationem à singulis hominibus singuli, infinito sursùm processu, homines producantur, ita vt nulla causa extranea, & quæ homo non sit, illis productionibus initium dederit: Ergo, cùm eorum qui producuntur, non sint duæ diuersæ hominum collectiones, sed vtrorumque vna sit, eademque collectio; negari non potest quin eadem collectio ex seipsa nascatur, & censenda sit totalis sui ipsius & causa simul & effectus. Quod ἀσυνάρτητον

ῥόωντον esse nemo non videt. Hactenus argumentati sumus supposita collectione infiniti.

Quòd si secundò collectionem in infinito supponas nullam totalem dari, sicque singulos homines ita causam habere defendas, vt quia infiniti sint, nulla eorum detur vniuersitas, quæ productiuam sui causam habere potuerit; te nihilominùs assero vim argumenti nequaquam effugere posse. Esto enim, quod infinitum est, in vnam non possit coaceruari (ne quidem mente) collectionem; at nego homines qui sint hominibus nati (quos tu infinitos fingis) infinitos esse posse. Et dico, in iis primum aliquem necessariò reperiri ex ea causa pendentem, quæ non sit homo. Quod si hæc causa, quæ non sit homo, ex alia causa pendere dicatur; ad supremam tandem, & primam, quæ ex se sit, nec aliunde pendeat (quam nos Dei vocabulo declaramus) ascendendum est. Idque deinceps sic ostendo, adductis quibusdam similibus, ad rem clarè ostendendam idoneis.

8. Fac, verbi gratiâ, & finge homines iam fuisse interminabili generationum continuatione vnos ex aliis ortos, ab omni, vt placet tibi, æternitate infinitos. Illam igitur hominum, generationumque catenam à primo nullo pendere ponis? ipsamque infinitis hominibus, velut totidem annulis, quorum alij ex aliis nexi sint, ad nos vsque descendisse? At quæro, quì magis fieri potuerit, vt ad nos illiusmodi catena descenderet, quàm si eosdem quis fingat homines inter se, non quidem generationum vinculis esse nexos, sed ita coniunctos, vt catenam alio quodam modo componant è cœlis, spatiisque supra cœlos infinitis ad nos vsque pertinentem. In qua nimirum ille, qui in serie supponitur esse nouissimus, & (vtpotè proximus terræ, nobis primus occurrere, pendeat à secundo proximéque superiore sibi imminente, ad eius putà pedes validè religatus; à tertio similiter secundus, atque ita deinceps inferiores à superioribus; casuri vtique si pedes superioris hominis inferior vllus dimittat: quare nullus est, qui non eius, cui proximè hæret, sustentatione atque beneficio contineatur à lapsu. Quis verò non videat necessarium esse, vt illa series, & continuatio hominum, qui singuli ex similiter pendentibus & ipsi pendent, stabilitatis ac firmitatis præsidium habeat ab aliqua re supra ipsam seriem per se firma & benè hærente, nec aliunde pendente; quam firmam is qui inter pendentes homines supremus est, apprehendat enixè, teneatque arctissimè? Alioqui enim illi omnes homines corruent; nec in ea serie vllus firmitatem dare potest, cùm nullus eam nec ex se ipso habeat, nec ab illo qui ex se haberet, accipiat. Quam enim homini in casum prono firmitatem dare is possit, qui est æquè pronus in casum, nisi illam acceperit ab aliquo non æquè in ruinam prono? Omnem sanè, qui soli ruenti innititur, necesse est corruere. Nec verò lapsus impedietur, licèt illam hominum inter se iunctorum lineam vltra cœlos sursum producas, eamque infinitè continuari fingas. Imo quò plures addentur homines, eamque sursum protrahes altiùs, eò grauior & pronior erit ad lapsum.

Pari modo euidens est substructionem ædificij, in qua lapides ita dispositi sint, vt superiores imponantur inferioribus, & ab his, ne præcelsi, editique decidant, sustineantur, consistere non posse, nisi eius tandem fundamenta in imo rupem vel superficiem, quæ per se firma sit, inueniant. Nec verò

 quæstionem

quæstionem solues, licèt infinitatem descendentis substructionis inducas, & lapidum, quos ita fingas aliis alios suppositos, vt nullus eorum sit infimus, sed interminato ordine singuli incumbant inferioribus, & subsint itidem superioribus, nunquam centrum, aut aliquod extra se firmitatis præsidium inuenturi. Certè quò maior atque profundi.r foret extra centrum substructio in qua nullus esset lapis, qui cadens cadenti non inniteretur; eò certiùs, grauiusque caderet. Ex dictis perspici potest, quàm sit non tantùm impia, sed fatua & amens illorum Atheorum sapientia, qui interminatam humanæ genealogiæ seriem, nec à Deo suspensam volunt, nec ad illum adniti tanquam ad centrum, firmissimumque omnis naturæ fundum seu παντοκρατορικὸν πυθμένα, vt sanctus loquitur Dionysius. Sed quanta sit eorum mentis prauitas, & quàm illis inutile ad generationum infinitatem perfugium, apparebit etiam clariùs noui huius insuper appositione exempli, atque argumenti.

10. Si ab infinitate id assecuti sunt homines, vt cùm eorum nullus priuatim, ac nominatim potuerit vnquam in vitam per se ipsum introire, eorum tamen series (nullo licèt primo fonte, atque sine vlla causa quæ initium illi dederit) iugis fluat, multique quotidie suscipiantur in lucem, omnibusque suscepti sint ætatibus; nihil obesse potest quo minùs affirmemus, tædarum multitudinem, si infinita sit, posse per se ipsam accendi igne, qui non aliunde prodierit, quàm ex ipsis illis tædi., innatum quidem lumen nullis habẽtibus, sed alias accendẽtibus aliis, quas aliæ similiter ab aliis consecutione interminabili accensæ inflamarint. Quo quid insanius? Nam quid ad id quantacumque multitudo iuuat? Columnas lapideas fac esse plures, fac esse plurimas, fac esse infinitas. Vtrum excrescens multitudo conciliabit tandem illis, vt aureæ euadant? Quomodo igitur tædarum per se ipsas frigidarum infinitudo inflammationem iis & ignem non alia, quàm ipsarummet ope inferre poterit?

11. Perspicuum est ex superioribus, nullam esse posse rerum ita continuatarum, vt ex aliis aliæ oriantur, seriem infinitam; est enim necessarium ad caput illarũ & fontem totius generis tandem peruenire; & vnam rem aliquam in ipsis reperiri, quæ proximè à Deo gignatur. Atque ita nullus in iis, vtpotè finitis, locus est negandi collectionem (quam aliqui ab infinitate fortè non improbabiliter remouent eo modo quo nulla concipi potest collecta omnium finitorum existere multitudo, quanta citra infinitatem possibilis est.) Si enim nulla res esset, quæ non ab alia nasceretur; & mens in infinitum syncategorematicè progrediendo nunquam ad aliquid tandem peruenire posset, in quo consisteret, & quod ex se, per seque esset; non foret omninò, vnde ea extare vnquam potuissent, quæ suam extantiam à semetipsis non habent nec habere possunt. Principium porrò illud primum quod per se sit, & ex quo cætera oriantur omnia, debuisse constat ex omni æternitate esse. Si enim aliquando existendi luce caruisset, nunquam potuisset illam accipere. Non enim ab alio, cùm de primo principio loquamur, ante quod nullum sit. Sed nec à se, nondum scilicet, vt ponimus, existente. Existentiam siquidem dare nihil, nisi habeat, potest.

12. Confirmatur totus huius probationis discursus. Si nullũ est ens necessarium, & ex seipso: ergo nullum est quod (vtpote contingens) non potuerit

potuerit non esse. Supponam ergo, cùm id cōtingere absolutè possit, omnes homines qui iam existunt, mutua cæde internecinisq; bellis se perimere, quomodo in aliqua insula vulpes omnes exterminatæ fuisse dicuntur. In eo casu, fierine posset vt humanum genus extinctum reuiuisceret per se ipsum absque vllo externo agente? Quomodo igitur fieri potuit, vt cùm humanum genus ab æterno ex sua intrinseca exigentia non magis determinatum esset ad existentiam, quàm ad non existentiam, determinatio ad existentiam facta fuerit absque vllo externo agente?

CAPVT XI.

Morali ratione ex primis, naturalibusque humanæ conscientiæ principiis ducta, Deum esse demonstratur.

1. HIstoriæ proditum est, Diagoram, qui ex impietate cognomen traxit Athei, cum omnem Numinis cultum opinionemque tollere niteretur, exilio ab Atheniensibus eà causâ fuisse multatum, itáque proscriptum, vt talenti merces publicitùs, si quis eum de medio sustulisset, constitueretur. Nec sanè iniuriâ. Quos enim ratio iustiùs, vnquam Reipublicæ hostes iudicari postulauit, quàm eos qui communis pacis, ac felicitatis fundamenta, quæ religione maxime continentur, euertunt? Si proditores esse Imperij ac publicæ Maiestatis reos declaramus illos, & nulla adhibendi supplicij parte relictâ excruciandos censemus, qui de interficiendo eo Principe coniurarint, cuius ex vita certum sit vitam pendere omnium: quid de illo statuemus hominum genere, quod impietatem nullibi quàm in Gigantum fabulis auditam consciuit vero nec fabuloso scelere, & voluntate suscepta omne Numen à mūdi gubernaculis deiiciendi, ac de medio tollendi? Quod quidem quanti sit facinoris, intelligitur ex illo præsidio, quod assiduissimè Deus rebus omnibus creatione, conseruationeque sustinendis exhibet. Quod subsidium sublato Deo necesse foret submoueri, atque ita naturam ipsam, mundumque vniuersum corruere.

2. Solitos fuisse quondam hostes legimus earum, quas obsidebant ciuitatum gentilitia Numina supplicationibus ad se euocare, vel (quod Palladio Troiano contigit) eorum simulacra, consilio clandestino cum proditoribus inito, suffurari, atque exportare; vt scilicet qui patriorum Deorum fuissent nudati auxilio, faciliùs subigerentur; victores autem illo firmarentur, ad se translato cœlesti robore. Ait Macrobius se *in lib. 5. rerum reconditarum*, Hammonici Sileni reperisse carmen huiusmodi, quo Dij euocabantur, quando aliqua ciuitas castris circunsepta tenebatur: *Si Deus, si Dea est, cui populus ciuitasque hæc in tutela sit, tuque maximè ille, qui eius tutelam recepisti; precor, veneror que, & veniam à vobis peto, vt populum ciuitatemque hanc deseratis, eique metum, formidinem, & obliuionem iniiciatis, & Romam ad me, meosque veniatis.* Quomodo Romani admissis in sua mœnia gentium omnium à se domitarum Numinibus, auxiliares se vndecumque Deorum copias comparasse, mixtaque ex tot barbaris sacris religione imbuitos euasisse putauerunt. Ne vero, quod sæpè aduersùs hostium vrbes fecisse se nouerant, idem quoque ipsi,

 hostili

hostili euocatione Diis suis nominatim imploratis, & extra Romam accersitis, paterentur, si tutelæ suæ Numen vulgaretur; Deum in cuius tutela erat vrbs Roma, & ipsius vrbis Latinum nomen semper clausum tenuerunt. Quæ satis ostendunt a nullo quàm ab Atheis, qui Dei tutelam præsidiumque mundo eripiunt, æquè funestam intentari potuisse pestem rerum vniuersitati; quare illos omni & studio insectandos esse, & supplicio coërcendos.

3. Sed quorum sceleratam sapientiã ostendimus, eorumdem fatuam atque amentem esse impietatem ex eo constat, quòd summam cum rationis humanæ principiis ac primis rectæ consciẽtiæ iudiciis habeat repugnantiam. Atheorum enim sententiæ, si vera sit, planè consequens est, nullam curandam esse religionem; & summam esse sapientiam, si Dei cùm venerationem, tùm timorem, quasi rem stultam & vanam ex animo quilibet eruat contra persuasionem cunctarum propè gentium, quantumvis immansuetarum, quæ sacrificiis & aliquo cultu diuinitatem, licèt variè nominatam, atque conceptam, prosecutæ sunt. Quod si fortè alicuius fuerunt regionis incolæ, qui Deum nequaquam cæremoniis, expressaque religione coluerint; non tamen vlli populi extiterunt, qui illum saltem confusè non timuerint; qui ad cœli tonitrua conterriti, authorem aliquem eorum tonitruorum non expauerint, &c. Est enim aliquis naturæ nostræ ingenitus Dei timor, & quædam religionis vmbra. Neque vlla potest reperiri conscientia, & quam Atheismus occuparit, quæ tanquam magistra pietatis Atheos ipsos, cùm dicũt in corde suo, *Non est Deus*, non reprehẽdat religiosæ seueritate cẽsuræ. Vnde patet quàm sit nonnullorum Theologorũ absurda sententia, qui volunt fieri posse, vt quis grauissima contra rationem, conscientiamque reclamantem scelera committat, Deumque interim sic ignoret vt non offendat, nec sit reus damnationis æternæ. Quod ego sanè plusquam absurdum, nec ferendum puto: certumque iudico nullum esse, quantumvis alioqui rudem ac feritate barbarum, qui agnoscens peccare se grauiter contra rationem, & contra internam conscientiæ vocem, non agnoscat sufficienter Deum sub confuso conceptu magnæ cuiusdam, cui parendum sit, authoritatis; cuius præco sit humana ratio, ipsaque conscientia; & qui non iudicet reum se constitui magnæ illius, quæ in ipsa natura interluceat, Maiestatis. Vnde quantumvis syluestres homines, dum cogitant se turpissimam aliquod ac detestabile facinus committere, licèt sine teste, impallescunt, noluntque deprehendi; atque stimulis conscientiæ vexati, si fortè vehementer tonet ac fulgeat, cœli extimescunt iram, &c. Itaque dicendum omnino est, impossibile esse, vt vllus inculpabiliter Deum penitùs ignoret; sitque ita inuincibiliter Atheus, vt non quantùm rationi, tantùm aduersetur Deo. Quem cùm negat, mentitur omninò, & peior est quàm sua ipsius conscientia, quę semper religiosa perseuerans, impietatem illi exprobrat. Ex is, quæ hìc annotare abs re non fuit, intelligitur quod paulò antè dicebam, Atheorum dementiam primis aduersari humanæ rationis conscientiæque iudiciis.

4. Item. Si nullum est Dei Numen, quod res humanas temperet, corruit fundamentalis ratio instituendæ vitæ; aperitur porta omnis impietatis, perfidiæ, iniustitiæ, tyrannidis, &c. Provt enim quisque Dei timorem

rem, & diuinorum iudiciorum cogitationem abiicit, nihil habet pensi, vt ostendit experientia, & monemur à Psalmista: *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus: corrupti sunt, & abominales facti sunt in iniquitatibus.* Vice versâ, quò quisque Deum religiosiùs veneratur, timet, amat; eò perfectiùs illum omnes officij humani partes exequi videmus. Quare ipsos experimur Atheos sic in suis velle intimis sensibus diuinitatem negare, vt illius tamen opinionem, qua ciues in officio contineantur, Reipublicæ causâ conseruatam velint exteriùs; eamque à Principibus fronte saltem, & vultu foueri præcipiant.

5. Atque hinc nascitur valida consideratio. Nam si verum esset, nullum esse Deum, ex hoc colligeretur, primam ipsam & præcipuam omnium (quam certò credimus) veritatem, eiusque persuasionem esse hominibus omni errore perniciosiorem. Et vera illa, quæ Deum negaret, sapientia modis foret omnibus (si felix, si saluum, si quietum genus humanum vellemus) occultanda, prohibenda, punienda. Consequens esset, omnes qui vnquam extiterunt homines laudabiliores, qui doctrina, qui sanctitate, qui etiam miraculis floruerunt, delusos fuisse in re maximi momenti, & inane opinionis idolum virtute religionis merè chimærica coluisse. Nam Deus, si nullus existeret, nullus esse posset omnino, nec aliud quàm chimera: eique, si quis existentiam semoueret, essentiã omnem, veramq; naturam simul abrogaret. Atque ipsum repugnaret existẽtiã ab vllo habere posse principio: cùm nec prodici posset à se, nondum scilicèt (vt ponimus) existente; nec ab vllo alio, perfectionem nimirum infinitam, quam daret, non habente. Quare qui Deum coleret, is vmbram entis sequeretur; ac ne quidem vmbram entis, sed meram fabulam, & stulta consecratum superstitione mendacium. Atque ita flagitiosior foret, quàm si religione summa lutum veneraretur, ac sordes. Illi verò contrà soli saperent, apud quos nullum iusiurandum, nihil sacrum, nulla fides, & vt experientia docet, nullæ internæ, solidæque virtutes. Qui, vbi leges humanæ vigere non possint, & vbi externi testes defuerint, nihil habent quod timeant.

6. Peto autem, si Deus nullus est, quomodo concipi possit, vt Numinis, hoc est meræ fabulæ, persuasio, causa sit & fundamentum omnis virtutis; opposita verò tali persuasioni veritas omnem bonitatem extinguat, hominesque efficiat pessimos? Illis ego solis, qui perditissimè vixerint, detectam esse putem verã sapientiæ, & reuelatũ veritatis primæ mysteriũ? Cæteri autem omnes, etiam virtute præstantes, qui necessariam, & quæ declinari nequibat, ignorantiam excusare possent, ne vel minimum illius susurrum audiuisse? Hæc certè omnia non modo nullam similitudinem veri habent, sed amentiæ plena sunt, & furoris. Tenenturque Principes, ac Politici Magistratus tantum sæculi sui opprobrium arcere, vt quod syllogismis Theologus non potest, ipsi armata manu obtineant, suppliciorumque terroribus, quæ est ratio vltima Regum contra contumaciter improbos. Habet enim in hac causa quandam cum Theologia subalternationis affinitatem vindicatiua iustitiæ humanæ seueritas. Ibique aliis quàm argumentorum laqueis debet incipere carnifex, vbi Doctor re infecta desinit.

CAPVT

CAPVT XII.

Demonstratur plures vnâ diuinitates esse non posse.

1. NOn magis Athei dum nullam admittũt diuinitatem mysterium Trinitatis euertunt, quàm Tritheitæ qui per contrarium excessum diuinitatem asserunt esse multiplicem. Trinitas enim constare non potest, nisi tres personæ, vt veram, sic & vnicam omnes diuinitatem habeant; & distinctæ inter se realiter in hypostasi, in vna simpliciter identificentur diuinitate. Quæ ratio est quare cùm hic de Trinitate instituamus tractatum, postquam superiùs Atheismum oppugnauimus, nunc Politheismum inuadere debeamus. Quamquam, si verè loquimur, quod Atheismus, illud idem & est, & facit Polytheismus: æquè enim diuinitatem omnem funditùs vterque tollit; ille quidem negando, iste per excessum asserendo; quia dum multiplicem diuinitatem asserit, omnem negat; Ἀνάγκη γὰρ πολυθεότητα ἀθεότητα εἶναι, ὥσπερ καὶ πολυαρχίαν, inquit Athanasius contra Gentes. Nempè, vt in plurium, qui se singuli pro summis vnius eiusdemque Regni Principibus gerant, dominatu & gubernatione, nullus verè summus est Princeps, Rex nullus: sic in Deorum multitudine nullus Deus. Et optimè Tertullianus lib. contra Marc. c. 3. *Deus si non vnus est, non est; quia dignius credimus non esse, quodcumque non ita fuerit, vt esse debebit.* Atque nos verum id esse, & non posse nisi vnicum posse existere Deum præsenti capite ostendemus.

2. Sanè quàm falsa sit, stolidaque illorum sapientia, qui numen omne multiplicatis numinibus sustulerunt, nullus ambiget, qui aliquam numinis informationem habeat. Cùm enim inter omnes conueniat, Deum esse summum ens, qui de se proferat: *Ego sum* (per excellentiam scilicet) *qui sum*, debet is necessariò summè vnus esse, quandoquidem ratio vnius, proprietas entis est: & quò aliquid magis fuerit ens, magis vnum esse debet: itẽque quò perfectius habuerit esse, longiùs distare à non esse, & consequenter à diuisione quæ est via ad non esse. Quare sapientissimè Dionysius Deum appellat c. 2. de Diuin. nom. ὑπερηνωμένον πάντα. Adde illa sua vnitate aut superunitate Deum habere non tantùm vt vnus sit per suæ indiuisionem naturæ; sed etiã vt sit vnicus & solus; participando scilicet supereminenti modo rationem vnius, quod definitur, indiuisum in se, & diuisum à quocumque alio. Sanè si indiuisus in se sit, diuinitas eius multiplicitatem intra ipsum non habet; atque si diuisus eminentissimè ac perfectissimè sit à quocumque alio, nullam cum aliquo alio identitatem, ne quidem similitudinis, habere extra seipsum potest; cùm intra se omnia continens, nihil extra se vlli alij relinquat. Atque ita vnicus Deus manet, ac solus.

3. Prætereà cùm illum nullus esse Deum credat, quo aliquid existat vel altius, vel non inferius (*Deus enim*, vt Scriptura *Ecclesiastici cap.* 1. alibique sæpè ipsum vocat, *Altissimus est*) patet meram esse mentis insanitatem, plures Deos asserere; quasi illud multiplicabile sit, cui nihil æquale, & par esse posse constet. *Deum vt scias vnum esse debere*, inquit Tertullianus lib. 1. contra Marcion. c. 3. *quare quid sit Deus. Quantum humana conditio de Deo*

Deo definire potest, id definio, quod & omnium conscientia agnoscet, Deum summum esse magnum. Quæ erit iam conditio ipsius summi magni? nempe vt nihil illi adæquetur; idest, vt non sit aliud summum magnum: quia si fuerit, adæquabitur; & si adæquabitur, non erit iam summum magnum, euersa conditione, & (vt ita dixerim) lege, quæ summo magno nihil sinit adæquari. Ergo vnicum sit necesse est, quod fuerit summum magnum, par non habendo, ne nō sit summum magnum. Duo ergo summa magna quomodo existent, cùm id sit summum magnum, par non habere? Hæc Tertullianus. Simile vrgeri potest argumentum de summo bono; quod cùm statueris esse duplex, vnum non erit alterum. Atque ita neutrum poterit esse summum donum. Neutrum enim bonitatem omnem possibilem continebit; eaque alterum carebit bonitate, quæ in altero reperietur. Potest & idem non minùs validè effici ex ratione primæ causæ, quâ quod posterius non sit (cùm ex ea pendere debeant omnia) constat nihil existere, atque ita multiplicabilem illam non esse. Nec potuit quicquam χριστιανώτερον dici, quàm quod libro de Diis & Mundo Salustius Philosophus Ethnicus pronunciauit: *Primam causam vnam esse oportere; atque ita multitudini præire monadem, & ab omnibus participari*: τὴν πρώτην αἰτίαν μίαν εἶναι προσήκει παντὸς γὰρ πλήθους ἡγεῖται μονάς, καὶ πάντα μετέχειν ἐκείνης ἀνάγκη.

4. Et certè cùm diuinitas immensum sit essentiæ pelagus, quod omnem penitùs perfectionem absorbet; quemadmodum repugnat duo esse maria, quorum quodlibet humorem omnem, qui in mundo est, ita contineat, vt nec stillam extra se relinquat; sic & duas esse diuinitates. Nam si duæ essent diuersæ, liquet alteram non futuram, quod foret altera: quare neutra posset perfectionem omnem continere. Quod enim afforet alteri, alteri deforet. Ac perspicuum quidem est, si duos fingat aliquis Deos, quorū quilibet suis notetur, distinguaturque perfectionibus; melius quiddam, perfectiusque ambos fore, quàm singulos. Atque ita illorum neuter separatim erit Deus, cùm reperiatur aliquid, nempe complexum amborum, quod sit vnoquoque completius.

5. Præterea nullus est, qui dum cogitationem Dei suscipiet, mentem non figat in summa quadam rerum omnium potestate, cui nihil possit obsistere. Quis igitur mentis furor, plures Deos inter se pares inducere? Quorum vnus alterius consiliis, atque conatibus obuiam ire vel poterit, atque ita solus ipse Deus impotentem alterum fastigio diuinitatis euertet; vel non poterit, atque sic, dum alteri succumbet valentiori, totam ei Numinis possessionem relinquet. quod si neutrum altero potentiorem, sed paribus vtrumque pugnantem, repugnantemque opibus fingas, suspensis vterque viribus hærebit. Atque ita dū erit in ambobus æqua potestas, & æqua imbecillitas, ad hoc tota vtriusque potestas solùm redigetur, vt alter alterum impediat, ne quid possit aliud, quàm mutuò impedire. Interim verò vterque æterna suæ potestatis interdictione, ac tanquam æqualium ponderum libratione pendebit. Ex quo nemo non videt, in quantas mundi gubernatio ex Deorum pluralitate perturbationes coniiceretur. Cùm enim plures illos Deos oporteret esse sine principio, plura forent disparata prima principia, quæ mundum in varias partes distraherent, atque pessimo publicio comproba-

rent quàm verum illud sit *ἐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη*. Quare Aristoteles effatum hoc habet Christiano dignum homine: *Non sunt multa principia: entia nolunt malè gubernari. Non est autem bonum multorum principatus: vnus ergo Princeps.*

6. Quod si quis fortè obiiciat plures posse tales animo & mente concipi Deos, nullum vt in iis queat esse dissidium, aut repugnantia voluntatum; sed ita conciliati inter se compositique sint, vt quod vnus non probet, cæteris placere non possit, & ex naturali quadam necessitate in idem semper omnes conueniant; in promptu est, quod respondeatur, non hic nempe inquiri, quid à quolibet excogitari possit, nam possunt & chimærarum commenta; sed quid ratio suadeat. Hæc profectò non suadet plures tales esse Deos posse, qui nec naturam, nec voluntatem numero eandem habentes, in easdem semper cogitationes dilabantur, & se omnes, sine vllo aliorum ad alios respectu, ad eadem semper obiecta conuertant, & seu casu, seu naturà, non secus ac si condixissent, ad idem semper arbitrium, consiliumque se fingant, atque accommodent. Quàm expers rationis? quàm inutile? quàm stultum? seu naturas supremas, inter quas nullam esse posse constitueris dissimilitudinem, multiplicare; seu constitutà naturarum illarum multiplicatione, tantam omnimodè, quanta est vnius ad seipsum, inducere similitudinem.

7. Et licèt quis in actibus necessariis, & naturalibus eam vellet concedere similitudinem, non certè item posset in liberis. Nam quomodo possunt duæ voluntates intelligi liberæ, quarum neutra consilium aliud possit vnquam capere, quàm quod altera nullo modo sibi obnoxia cœperit? Non intelligo, quomodo voluntates illæ non impeditura se, suspensuræque forent, si eius vtraque conditionis esset, vt qualibet deberet velut expectare aut prærogatiuam, aut consensum alterius. Illa enim mutua expectatio ambas in æternum sollicitas, ac suspensas haberet; nam sic vtriusque sequi deberet authoritas. Quomodo quippiam incipi poterit vnquam ab illis, qui mutuò, vt inchoent, alter alterius inceptionem, aut nutum intelliguntur expectare? Quod si plures ita ponantur Dij, vt omnes sine mutua expectatione, vel respectu idem semper statuant, & seorsim apud se idem deliberent, ac exequantur, tollitur eis libertas, si concipiantur (vt concipi ab aduersariis debent) id facere non casu, non etiam consilio, & velut ex condicto; sed ex naturali conditione, & quia sic necessariò exigeret diuina eorum perfectio, ita vt penitùs eorum diuino statui repugnaret à se inuicem vel in re minima discrepare.

8. Hactenus à nobis disputatum est aduersùs illud solum Polytheismi genus, quo Tritheitæ in tres diuinas personas, quas fides Christiana colit, inducunt totidem diuinitates. Neq; ad nos hic de illo alio Polytheismo agere attinet, qui apud Ethnicos infinitam Deorum fingebat multitudinem, & fœdissimas etiam belluas, aut ex ligno marmoreque simulacra consecrabat. Neque illa Ethnicorum Theologia, quæ tota ferè Homeri, & Hesiodi, aliorumque Poëtarum authoritate continetur, de Diis agit sub eo diuinitatis conceptu, qui, vt ait Augustinus *lib. de doctrin. Christ. c.7.* vulgò habetur. *Omnes*, inquit, *de excellentia Dei certatim dimicant; nec quisquam Deum hoc credit esse, quo melius aliquid est. Itaque omnes Deum consentiunt*

tiunt esse, quod cæteris rebus omnibus anteponunt. Conceptum sanè Dei talem illi non habuerunt, qui iurium, ac numinis inter suos Deos inæqualitatem, consiliorum discrepantiam, flagitia, sceleraque non diffitebantur qui eorum canebant & rixas, & contumacias, & pugnas, vulnera, sanguinisque effusiones. Quæ omnia tam puerilia sunt, atque ridicula, vt ea qui attenderit, mirari satis nequeat veteres illos suæ turgidos opinione sapientiæ tantam potuisse irridendi sui facultatem præbere.

9. Vbi tamen aduertendum est, quod ait Tertullianus in libro quem scripsit de testimonio animæ aduersùs Gentes; *Homines tam pronos naturaliter esse in hanc veritatem de Dei vnitate, vt se vel ipsi Ethnici in sermone communi tenere non possint, quominus in sensus labantur Christianos: sicque naturalis de singularitate Dei habetur consensus. Audio vulgus* (inquit similiter Octauius apud Minutium) *cùm ad cœlos manus tendunt, non Deos, sed Deum dicere.* Id verò scribit Lactantius *lib.2.c.1.* Ethnicos confiteri, quoties grauis eos necessitas presserit. *Si belli terror infremuerit; si morborum pestifera vis incubuerit; si sæua tempestas, non ad Deos, sed ad Deum confugiunt; Deus vt subueniat oratur. Adeo ipsa veritas, cogente natura, etiam ab inuitis pectoribus erumpit.* Sed & Philosophi suis in scholis, quamquam (vt scribit Prudentius *in Apoth.*) illos alioquin idololatras labyrinthus & error circunfusus agat:

> *Cùm ventum tamen ad normam rationis & artis,*
> *Turbidulos sensus, & litigiosa fragosis*
> *Argumenta modis concludunt numen in vnum.*

Castigat suorum Ethnicorum dementiam velut Christiana libertate Euripides à Cyrillo citatus *lib.1.contra Iul.* & ab Athenagora *orat. pro Christ.* hos proferens versus:

> *Vnus profectò est, vnus est tantùm Deus,*
> *Qui cœlum, & amplum condidit terræ globum,*
> *Marisque fluctus, vimque ventorum grauem.*

Mortales deinde reprehendit acriter, quòd in miseriarum solatium ex lapide, auro, ebore simulacra erexerint, quibus sacra faciant. Castigat minùs piè, at æquè vehementer Plinius *lib.2.cap.7.* infinitas Polytheismi nugas, obscœnissimasque impietates, vt & Cotta apud Tullium *lib. 3. de nat. Deorum.* Ex dictis intelligitur qualis vel ipsorum iudicio Infidelium fuerit ea idololatriæ sapientia, præ qua Christi Religio habita fuit stultitia, & quam fuso Christiani sanguinis velut Oceano sancire laborauit tot Imperatorum furor, & anhelata ex imo pectore crudelitas.

10. At quid nunc tandem nobis dicendum superest de quorumdam hæreticorum, Christiano nomine gloriantium, idololatria, & super omnem Gentilitiam impietatem impura sapientia? qui verum Deum, & eius singularitatem exosi, eadem cum Ethnicis plurium Deorum opinione ita inquinabantur, vt id etiam turpius adderent, duorum, quos agnoscebant, Deorum alterum esse penitùs malum. Quam quidem Deo Hebræorum, & mundi Architecto inferebant infamiam primo post Christum sæculo Cherinthus, Basilides, Saturninus, necnon eos deinde imitati sæcundo sæculo Cerdon, huiusque discipulus Marcion, & infame nomen Ophitæ. Triginta Valentinus Deos, Hesiodum imitatus, induxit, quos vocauit Αἰῶνας; mares quindecim, fœminas

minas totidem, ex quibus Deorum turbam propagatam; Christum vero ex iis omnibus, Pandoræ instar Hesiodiæ perfectum fuisse finxit. His successit Manes, qui tertio demùm sæculo vetera de primis duobus rerum principiis, altero bono, malo altero, somnia reuocauit. Et à malo quidem corpus hominis, à bono autem animam fuisse procreatam defendit. Quæ omnia non tam errores dixerim hominum impiorum, quàm illius diabolicæ sapientiæ partus, quam formâ serpentis indutam Ophitæ affirmabant mysticis humanum genus sibilis res diuinas docuisse.

CAPVT XIII.

Mystica circa creaturas existentiam perfectionemque Dei prædicantes consideratio.

1. QVod Iobi capite 8. significari censetur, Angelos, primitias scilicet creaturarum, & primogenitos filios Dei, iubilasse, Creatoremque suum laudasse cùm primùm orti tanquam astra matutina apparuerunt; id de cæteris par est asseri suo modo creaturis. Ipsæ enim ita suæ pulcritudinis linguis religiosas conditoris sui laudes cum ipsis Angelis reciprocant, vt gemino choro cœlestibus terrestria, & summis ima responsent. Dum enim omnia, quæ in hoc mundo nobis occurrunt, suam pulcritudinem exhibent, quid aliud quàm prædicant archetypi excellentiam, & opificis artem, vnde prodierunt? *Ista pulcra mutabilia* (inquiebat olim Augustinus serm. 143. de tempore) *quis fecit nisi incommutabilis pulcher? Pulcritudo eorum, confessio eorum est.* Omnis scilicet mundi decor non fluxâ verborum, sed constante rerum eloquentiâ testatur authorem suum esse (vt ait Dionysius *c.4. de diuin. nom.*) πάγκαλον, ὑπέρκαλον, εἰδο . οιδρ. ἢ καλλοποιόν, & summum ac primum esse pulcrum: quod, cùm sit ipsa per se pulcritudo, est, vt idem dixit, *per omnia pulcrum semper & vbique, eodemque modo pulcrum, & pulcri omnis principalem pulcritudinem excellentissimè in se ipso ante omnia præhabens.*

2. Itaque illi, qui verum in notitia Deum habere nolunt, maximam non solùm eius numini, sed ipsis etiam creaturis iniuriam inferunt, cùm earum pulcritudinis sermonem, contrà ac ipsarum voces sonent, sic interpretantur, quasi sua, quam ostentant, pulcritudine homines ad idololatriam sollicitent, ac significare intendant tantæ se perfectionis esse, vt solæ omni alio, prætermisso Deo, coli debeant. Quam interpretationem secuti multi, numen eis, diuinitatemque tribuerunt; siue mundum ipsum integrum loco Dei haberent, nec aliud quàm totius naturæ potentiam, vt loquitur Plinius *lib. 2. c. 7.* id esse quod Deum vocamus, censerent; siue partes mundi singulas, provt in iis admirabilitatis aliquid elucebat, in totidem numina consecrarent. Ita Clemens refert Alexandrinus delatos primùm fuisse ante omnes alias religiones, Soli, cæterisque syderibus diuinos honores ab Ægyptiis: quódque ea, raptu nusquam intermisso, θέντα circunferantur, orbemque concitatione incredibili peragrent, inde θεῶν vocabulum illis inscriptum fuisse. Sic & alia ferè omnia in toto orbe, quæ commendationem haberent excellentiæ vel vtilitatis, diuinis variæ gentes insigniuere nominibus. Eóq; cæcitatis in sui pœnam, hæc εἰδωλομανία processit, vt etiam omissa rerum pulcritudine

tudine & vtilitate, quædam pro Diis habita fuerint animalia obſcœna, atque noxia, quæ, vt Sapiens ait, *Dei laude benedictioneque Creatoris caruerunt*; eò monſtroſiora, quòd Numina.

3. At longè puriori luce pulcritudo creaturarum oculis eorum reſplendet, qui omnia quæ tanto fulgore ornata cernunt, ad ſuum referunt authorem. Qua quidem in parte rerum ipſarum naturam ſequuntur, quæ aliud nihil ſunt, quàm quædam ad Deum viæ, vt nos eò ſecum ducant, vnde ipſæ prodierunt, & quò tandem, flexo velut circulo, reuertuntur. Atque (licèt mutæ, omnique ſenſu deſtitutæ) enarrare gloriam Dei tunc dicuntur, cùm nos ſpecie ſua ad cogitandum eius numen mouent, & ad ipſius laudem excitant. Id enim eſt quod diuinus Pſaltes ait, cœlos varietate, ornatu, motu, ac vtilitate multiplici, ſiue (vt habent Hebræa קום) canone, linea, proportione, deſcriptioneque ſua, tanquam voce excelſa, Deum celebrare.

4. Porrò creaturæ omnes, licèt diuinæ pulcritudinis, ad cuius ſimilitudinem effictæ ſunt, lineamenta, vt infrà dicemus, præferant, tantamque formoſitatem habeant, vt nulla ſpecies ne excogitari quidem poſſit ornatior; ſic tamen Deo, cui ſuum decorem acceptum referunt, gratas ſe præbent, vt eadem ſua pulcritudine qua Deum extollunt, fateantur ſe & decolores eſſe, & meræ deformitatis aſpectum habere præ ſubſtantiali pulcro, cui totius huius aſpectabilis naturæ decor in canticum cedit; noſque admonent, vt Deo ſolo tanquam omnis & ſpeciei authore, & exiſtentiæ fundo nitamur; ſe autem ipſas, vt ſuperficiariam tantùm pulcritudinem oſtentantes, prætereamus, & ſibi tanquam fluxam ac futilem exiſtentiam habentibus diffidamus, atque in ipſis eius nihili, quod relinquere integrum per creationem nequiuerunt, notas ac velut reliquias aduertamus. Ex quibus nihili reliquiis prouenit illa, quam in ipſis experimur, agendi imbecillitas, naturaliſque conditio, qua ſemetipſas perpetua viciſſitudine retexunt, commutationeque diſſoluūt ob latentia in earum viſceribus ac medullis ſemina & incentiua corruptionis. Vnde fit vt res omnes, quas videmus, cenſeri debeant entis tantùm euanidæ ſcintillulæ, ſi cum Deo conferantur; nec habeant plenam, & (vt ſic loquar) ſaturam rationem entis, ſed dilutam atque decolorem.

5. At mens chriſtiana, vt id quodcumque eſt pulcritudinis in natura intelligere poſſit, altiùs, ac magnificentiùs, quàm ſoleant eius adoratores, aſcendit ad primam eius originem: concipit Verbum ac Principium ęternum, in quo & à quo creati perfectique ſunt initio temporis cœli & terra, & omnis ornatus eorum. In ipſo Verbo tanquam in mundo archetypo per omnem æternitatem mundus hic noſter aſpectabilis, & omnes res poſſibiles aliquo modo habitabant, factæ velut diuinitatis contubernales. Nec verò illæ, tanquam hoſpites odioſæ, cum ingrata quadam & indigna peregrinitate, ſedem tam auguſtam fortuitu occuparunt. Tam arctam enim habent cum Deo neceſſitudinem, vt nec Deus illis in ſua omnipotentia latentibus, nec Deo illæ carere poſſint. Sed ne aliquid quod ſacrum illud domicilium dedeceat, ſecum inuehant, diſcedunt illic à ſe totis, & id omne exuūt quod in ſe ſunt; atque ita in Verbum diuinum ipſæ, iam non ipſæ, ſe induunt; & in eo non formaliter, ſed eminenter cum digna Deo ſublimitate includuntur. Viuebant per omnem retrò æter-

 nitatem

nitatem in ea regia tanquam ſua, interminatam, & beatiſſimam degentes ætatem cum Deo : quin & ipſa Dei vita erant, cùm necdum propriam in ſeipſis extantiam haberent. Eoque ſenſu omne quod factum eſt, in ipſo vita erat. Igitur ex Verbo tanquam ex ideali theſauro, in quo recondita erat omnis poſſibilium creaturarum & diuinæ ſapientiæ plenitudo, prodiit, ac depromptum eſt in tempore quicquid in rerum natura expoſitum & explicatum videmus. Non quòd, vt Stoicorum & quorumdam tulit hæreticorum deliratio, creaturæ eſſent increati entis particulæ, & velut diuinitatis ἐκτυάδες, quas Deus à ſe creatione decerpſerit; ſed quòd in eminentia diuinæ notionis tam perfectè continerentur, vt in verbo (abſentes needum productæ) non magnificètiùs tantùm, ſed etiam quodammodo veriùs, quàm in ſua exiſtētia, ſi per creationem accepta eſſet, conſiſterent.

6. Cùm enim eas Deus verbo virtutis ſuæ conceptas, tanquam vtero, portaret in omni æternitate poſſibiles; ſic ipſas per ſimplicis intelligentiæ ſcientiam iis lineamentis quæ ſibi velut ſupremo exemplari conſentanea eſſent, informauit, vt diuinitatis apud illum aſperſæ aut imbutæ radiis, non potuerint, quin per creationem foras prodeuntes eum formæ præ ſe tulerint florem, eoſque velut oris ductus, quibus ipſam, à qua conceptæ conformatæque erant, diuinitatem referrent. Si enim nullum in viuentibus fœtum videmus, qui non ſeminis ex quo progenitus ſit, vim, ideamque ſub aſpectum ſubiiciat : ſi riuos experimur eius à quo deducti ſunt referre fontis & colorem & ſaporem : ſi vniuerſim aquas conſtat earum contrahere, ac ſecum deuehere virtutem affectionemque fodinarum aut venarum, ſiue eæ ſulphuris, ſiue chalcanthi, ſiue cuiuſlibet ſint metalli, per quas ſubterraneis meatibus aliquandiu profluxerint; ad quantam diuinæ pulcritudinis ſimilitudinem neceſſarium eſt creatas omnes naturas accedere, quæ in illius velut vtero per infinitas æternitatis ætates, tanquam in nobiliſſimo, ad quod fingerentur, proplaſmate, conſederunt?

Colloquium cum Deo encomiaſticum.

7. Conſideraui opera tua, ſumme Artifex, & expaui. Magna ſunt omnia & exquiſita in omnes voluntates tuas. Sunt hæc mirabilia teſtimonia tuæ ſiue magnitudinis, quà magnus es in magnis, in paruis maximus; ſiue ſapientiæ, quà tantum in iis artificium elucet; ſiue bonitatis, quandoquidem eorum exiſtentiæ ratio non aliunde peti poteſt, quàm quia voluiſti. Illius ſingula exiſtunt modi, ponderis, atque menſuræ; illius & omnia numeri, cuius fore definiiſti : qui omnia in numero per fœcunditatem omnipotentiæ; in pondere per propenſionem nutumque voluntatis, & in menſura per finitionem deſcriptionemque ſapientiæ operans, *numeraſti multitudinem ſtellarum, menſus es pugillo aquas, & cœlos palmo ponderaſti, appendiſti tribus digitis molem terræ, & libraſti in pondere montes, & colles in ſtatera.* Tot ſunt opera tua, quot deſtinatione ab æterno numeraſti; tanti ſunt, quanti ea appendiſti; tanta denique, quàm latis ea funiculis circunſcripſiſti. Nec pauciora, nec leuiora, nec minora, ſed ἐξειργασμένως, exquiſita in omnes voluntates tuas, & examinata ad amuſſim ſapientiæ, bonitatis, potentiæ tuæ. In illis omnibus ac ſingulis experimenta habeo certiſſima, quomodo ſapientiæ tuæ non ſit numerus, quàm bonitatis infinitus

ſit

ſit theſaurus; quanta ſit omnipotentiæ tuæ gloria & magnificentia.

8. Fieri non potuit, quin creaturæ, quandoquidem ſunt ſupremæ tuæ entitatis quædam velut decolorationes, & ex perfectionibus tuis infinitis(ſi fas ita loqui)velut exſudarunt; quippiam ſecum traxerint, per quod infinitatem iſtam, vnde fluxerunt, oleant,ac teſtentur.Nec à vero procul ille aberrarit, qui eas affirmarit eſſe velut naturalia ſacramenta; vtpote ſigna rerum diuinarum &ſacras Verbi tui effectiones; quæ vocales totæ ac ſonoræ,interno quodam,eſſentialique murmure inuiſibilia,& ſublimiſſima de te Conditore ſuo declarent, nobiſque incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtent. Da tantorum mentem ac ſenſum,Domine,interpretari ſacramentorum, quorum fructum illi ſoli percipere poſſunt, quibus fidei oculos tu aperueris. Qui enim ſine lumine fidei & ſolo prophanæ lumine Philoſophiæ creaturas attendunt,*ij veritatem tuam in iniuſtitia detinent:ſuntque inexcuſabiles*; *quoniam per ea quæ facta ſunt*,non transferunt animum ad inuiſibilia; *cum poſſit Creator à magnitudine ſpeciei non tantùm cognoſcibiliter videri*, ſed & amanter, ſtudioſéque coli. Ad idque nos vniuerſa natura hortatur, ſi eam in tua effuſam præconia velimus attendere. Etenim te Deum laudant omnia;te Dominum cœli confitentur; te Patrem ſuum omnis terra veneratur. Et quæcumque in rebus pulcra, perfectaque ex te primo pulcritudinis,atq; perfectionis fonte riuulorũ inſtar fluxerunt, ad caput ſuum non abſque dulci laudationis ſuſurro recurrentia, inceſſabili voce tibi proclamant, bonitate ſanctus, ſanctitate perfectus,perfectione pulcher.Tu cùm n rebus omnibus infinitâ ſubſtantiæ, & præſentiæ, & potentiæ reſideas amplitudine, illas plenitudine conſecras maieſtatis tuæ. Te glorioſus ſyderum chorus; te ſtellarum infinitus numerus; te firmamenti vibrans laudat exercitus; te per orbem terrarum mutæ etiam animantes, & ipſæ creaturæ ſensûs expertes linguis ſuæ pulcritudinis diſertiſſimè confitentur.

9. Tu cœlos extendiſti tanquam pellem, nullo ſcilicet rugantes ſinu, & tanquam infixis diſtincta gemmis vela ſyderea explicuiſti, vt mundus hic totus, qui nobis velut in alieno hoſpitibus non niſi tabernaculum quoddam eſt, eorum circunflexu tegeretur.In aërei caliginem cœli te induis, & in circuitu tuo tempeſtas valida, cùm interim ſuper pennas ventorum ambulas. Ibi humorem colligis, quo terram augeas: ibi ſiccos anhelitus in aqueos vapores includens, intonas de cœlo Dominus, & altiſſimus edis vocem tuam, qua Olympus contremit, totaque natura extimet:Nubibus diſruptis fulges;multiplicatis fulguribus conſilia impiorum,comitiaque inauſpicata diſſoluis, eoſque terrore conturbas: imperterritam autem obſtinatorũ impietatem tyrannorum fulminis iactu percutis, vt ſaltem cùm deflagrant de cœlo tacti, ipſius vim cœli agnoſcant, & ad teli,quo percuſſi ſunt,authorem oculos attollant,atque ſciant,quòd dominetur excelſus ſuper regnum hominum omnemque potentiam.

10. Tu fundaſti terram, humani generis ſedem, ſuper ſtabilitatem ſuam, cui paribus vndecumque momentis in ima tendenti centrum idem aſſignaſti, quod mundo. Et licèt eam, vt grauiorem deberet aqua circunfundere; magna tamen illius pars, te naturæ legem perrumpente, habitationi relicta mortalium eminet à mari. Il-

lam

lam, cœlo tibi reseruato, dedisti filiis hominum, vt materna charitate eos ex se formatos excipiat nascentes, natos alat, viuos conseruet, mortuos & à reliqua natura abdicatos gremio recipiat, operiatque in tuto, nunquam obturbanda sepulcri solitudine, quieturos. Illa omnia tuæ sunt beneficia prouidentiæ, qua cœlestia simul & terrena moderaris.

11. Sed quid, quod inter omnia elementa tam deformis, quin & visu tactuque sordida terræ natura fœcunditatem admirabilem habet? Quod grauidata seminibus fingit, & efficit in suo quidque genere? Quod non tantùm gremio mollito & subacto, semen aliunde iniectum excipiens, tantam vim fructuum prouentuumque parit in hominum vtilitatem; sed etiam passim nullo cultu fundit ex sese, tùm gramina & herbulas, quibus se consternat; tùm etiam truncorum ramorumque proceram, qua montes vestiat, viriditatem? atque ita visendam se vndique magnifico & amœnissimo præbet ornatu. Inde tanta illi, tam consentiens, & continuata cum cœlestibus cognatio, vt à sydcrum vi aspectuque tota pendeat: & ad illorum velut nutum se immutet, ac fingat? Ad Solis accessum & discessum floreat, iã vicissim horreat. Æstatis & veris, aliarumque tempestatum, quas plasmasti, permutationes legesque sequens, vno tempore profundat flores pulcro ad fructus prælusu; dein omnis generis fruges. Atque ne eorum quæ è terra nascuntur, Solem creatorem existimarent illi qui te ignorant (inquit Basilius *homil in hexam.* seruorum tuorum aliquis) ideo sapientissimè dum orbem conderes, perturbato creationis ordine, germina pridie quàm Sol quarto die crearetur, existere è terræ gremio iussisti. Sic nimirùm intellexit natura, quàm ei superflua sint, si velis, sydera; & illam, quam cum cœlis connexionem inferior hic mundus habet, non ipsis fuisse debitam cœlis, sed tuo solius instituto atque imperio inductam.

12. Verum enim verò animalium quantam continet terra diuersitatem, in hominum siue escam, siue indumentum, siue morborum remedium, siue obsequium, siue documentum, siue oblectamentum? Quis vtilitates dignè prosequatur, quas humanum genus ex animalium rationis expertium infinita multitudine atque diuersitate percipit: siue ad commoditatem vitæ, siue ad morum etiam conformationem? Cùm agnoscant omnes creaturæ se in necessariam & sibi honestissimam seruitutem à Conditore suo traditas homini: agnoscunt præcipuè animantes in homine summi cuiusdam dominij characterem; in se ipsis autem infimi naturalia stigmata famulatus. *Dedit enim Deus homini* (vt habetur *Ecclesiastici cap.* 17.) *potestatem eorum quæ sunt super terram: posuitque timorem illius super omnem carnem, vt dominaretur bestiarum & volatilium.* Cùm scilicet dixit Geneseos 9. *Terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ.* Et sanè quis belluas à natura robustissimas & armatas, quarum vel ipsius aspectus toruitas metu nos exanimare possit, non miretur ab homine inermi, eoque sæpe puero, in omnem partem, cum vocis etiam contumelia, duci ac verti, atque permittere non tantùm onera grauia, & iugum, sed etiam plagas sibi imponi? *Videbatur* (ait Ambrosius *lib. 6. hexam. c. 6.*) *elephante nihil habere natura procerius atque robustius, nihil fortius leone, nihil sæuius tigre. Verùm hæc seruiunt homini, & naturam suam humana institutione deponunt:*

nunt; obliuiscuntur quod nata sunt; induuntur quod iubentur. Quid multa? docentur vt paruuli; seruiunt vt famuli; adiuuantur vt infirmi; corriguntur vt subditi: in mores transeunt nostros quoniam motus proprios perdiderunt.

13. Sed propter cæteras ex animalibus perceptas vtilitates plurimi æstimanda sunt quæ nobis simul præbentur ad componendos mores documenta. *Vade* (inquit Sapiens *Prouerb. c.6.vers.6.*) *ad formicam piger, & considera vias eius, & disce sapientiam: quæ cùm non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate sibi, & congregat in messe quod comedat.* Post hæc verba, sequens adiungitur versus in eandem sententiam de apibus, apud Septuaginta Interpretes, qui versus sic habet in editione Romana: *Aut vade ad apem, & disce, quomodo operaria est: operationem quoque quam venerabilem facit. Cuius labores Reges & idiotæ ad sanitatem afferunt.* Vel, sicut Hieronymus legit in caput 3. Ezech. *Vade ad apem: disce quomodo operatrix sit; & opus suum castum faciat. Cuius laboribus Reges & imperiti pro salute vtuntur.* Est verò apum schola, quàm formicarum longè sublimior. Cùm enim formicæ ἀναρχίαι, & ad summum prudentiam tantùm œconomicam habeant, quæ non supra subterraneam condendæ & coaceruandæ reî diligentiam assurgat, atque suæ solarum vtilitati studeant; cibos enim reconditos absumunt ipsæ totos, nec eorum quicquam ad homines transmittunt: apes excelsa quadam politica disciplina, vt in monarchia, sub legibus, & quidem iustissimis viuunt; & laboris sedulitatem non se nutriendis solis definiunt, sed maiorem partem sustentationi voluptatique hominum reseruant. Nec suum viris etiam principibus indignum munus æstimant, si quod sibi superfuerit offerant. Quod edule in earum opere est, regales ipsas & honestat mensas, & superat dapes: quod cereum dumtaxat inuolucrum est, tegmenque mellis nō esculentum, id quas non onerat mensas Regum, luce collustrat. Splendori etiam est Christianorum altaribus, eorumque lucet in sacrificiis. Ceræ enim, non minùs quàm mellis priuilegium omne cùm Deus legi Mosaïcæ ademisset, illud integrum Ecclesiæ Christianæ reseruauit, apud quam solius ceræ lumen in Eucharistico sacrificio legitimum ac licitum est. Pulcherrimis eadem Ecclesia cæremoniis in Paschalis cerei benedictione mysticum eum ignem veneratur, *qui* (vt ipsa tunc loquitur) *liquantibus alitur ceris, quas in substantiam pretiosi funalis, apis mater eduxit.* Atque cereum illum eadem Ecclesia exoptat petitque *supernis misceri luminibus: eiusque flammas cum eo confundi Lucifero, qui nescit occasum, qui regressus ab inferis humano generi serenus illuxit.*

14. Dubium non est, quin nos vt ad formicam apemque Scriptura; sic & interna numinis admonitio ad alias omnes animantes, sapientiæ & eruditionis causâ alleget. Vade igitur ad aranеam peccator: vade ad serpentem inconsulte & imprudens: vade ad columbæ simplicitatem astute, ac versipellis: vade adulter ad turturem: vade voluptarie & Epicuree ad porcum, atq; tuam in fœdissimo, quod imitaris, exemplari turpidinem auersare. Vade ad cæteras animantes homo; & ex singulis morum, officiorumque præcepta collige. Vade ad ouem Christiane; & in ea te Pastoris tui reportatum humeris agnosce. Vade ad agnum; & in eo Agnum adora mysticum, qui sublatis & expiatis peccatis

catis mundi stat in cœlo tanquam occisus; cui Sancti concinunt ab eo redempti; *Quoniam occisus es & redemisti nos Deo in sãguine tuo; sedēti in throno, & Agno benedictio & honor & gloria & potestas in sæcula sæculorum. Amen.*

15. Non minor in aquis apparet, quàm in terra, ò Deus, prouidentiæ tuæ cura & liberalitas; nec minora in iis magnitudinis tuæ documēta. Mirabilis es in altis, Domine, siue tranquillum mare officioso vndarum obsequio se fragili ligno ambulanti substernat; dum se mortales nauigationi committunt, & à terræ conspectu abstracti insulas alitum æmuli peruagantur: siue idem inhorrescat, & feruore vndarū mirabiles elationes habeat, naufragiis se nobilitans. Quod si efferent se insolentiùs, ac super montes stabunt aquæ, ab increpatione tua fugient in sua receptacula. Terminum exigua descriptum arena pones, *quem non transgredientur, neque conuertentur operire terram.* Atque licèt immensum ipsum mare venti & syrtium, variorumque pericula infestum habeant, *audebunt tamen mortales exiguo ligno credere animas suas, eosque transeuntes mare per ratem liberabis.* Apostolici viri non dubitabunt spiritu appulsi tuo se in vastum oceanum dare, totumque orbis cingulum diuturno circuitu conficere in honestissima inuisarum nationum commercia, quæ euangelicis expeditionibus concilian tur, exercenturque; cùm tuarum legum interpretes per vorticosam fluctuum vastitatem, per insidiosa & inexplorata vada intrepidi, alacresque ad supremos vsque Sinas, Iaponesque, & ad rerum vltima penetrare non dubitant, insulas, & oras maritimas aquis per baptismum sanctioribus consecraturi.

16. Quod porrò attinet ad animalia, quę longè plura in aquis latent, quàm in terris appareant; non videtur omittendum, ad illa etiam id pertinere, quod est in cap. 9. Geneseos: *Terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ.* Vt enim *notauit hom. 9. in Genes.* Basilius, *cùm ad aquam aliquis accedit homo, Pisces visa eius vmbra territi subitò huc illucque cursitant, & summa trepidatione fugam timidi capessunt, velut serui lasciuientes inopinato heri aduentu aspectuque deprehensi.* Qui sanctus Doctor cetos etiam immanes eo artificio quod ipse describit, capi, domarique posse asseruit; addit & *hominem, principatu per opulentam vim rationis in quauis animalia donatum, illa quæ indocilia & præferocia se exhibent, posse quasi facinorosos ac refugas seruos ad obedientiam seruitutemque sibi debitam reuocare.*

CAPVT XIV.

Circa hominis speciatim naturam, quatenus Deum testatur ac prædicat pia consideratio.

1. DVm, in meæ naturæ conditionem oculos cōuerto, summam in ea reperio Deus meus & vilitatem, ob nihilum, ex quo prodiji; & simul nobilitatem, ob eam, ad quam euectus à te fui extantiæ sublimitatem. Vtraque infinitè me deprimit, tibique subiicit vtraq; te infinitè ob potentiam æquè ac bonitatem extollit; qui me & à tenebricosa nihili voragine, in cuius fundo per omnem æternitatem iacens latueram, extrahere (quod infinitæ virtutis est) potueris, & ad naturæ intellectualis excellentiam euectum, erigere vlteriùs (quod

(quod immensæ bonitatis est) ad supernaturale consortium diuinæ tuæ naturæ volueris. Distenditur, si fas ita loqui, ac turget possibilitate rerum vehemens omnipotentiæ tuæ fœcunditas; ἐξ ἑαυτῆς τὰ ὅλα καθάπερ ἐκ ῥίζης παντοκρατορικῆς προάγουσα, inquit testis tuus fidelis Dionysius. Quæ scilicet fœcunditas velut principalis radix omnia in se continens, pullulascere ac gemmascere quodammodo videtur vndecumque, creaturis foras protrudere se velut gestientibus. Licet autem creaturæ, quandiu nihil sunt, ortum velut ambire, existentiamque appetere videantur; non quidem ob verum appetitum aut elicitum aut innatum, quem habeant nondum natę; sed ob summam suam paratamque in tam potenti, & expedita causa possibilitatem, & ob maximam facilitatem, qua vel vno Creatoris verbo, seu nutu possent, etiam simul omnes, accipere existentiæ lucem: tamen, cùm nullus omnipotentiæ partus aliter, quàm per sui conditoris liberam voluntatem maturescere possit, dubiâ eas fuisse necesse est expectatione suspensas, & indifferentes, vt ad omnipotentis arbitrium vel aliquando producerentur, vel nunquam.

Natura hominis Deum testatur, ac prædicat per nihilum sui.

2. Attendat anima pia, Deum in suæ libertatis æquilibrio potuisse, pro summo in rerum omnium possibilitatem dominio, velle omni carere creatura producta; cùm solus αὐτάρκης, sibique sufficiens omnia in se eminentissimè præhabeat, veriusque contineat, quàm res vlla se ipsam: ὅλον ἐν ἑαυτῷ συνειληφώς, καὶ προειληφώς, inquit Dionys. *c. 5. de diu. nom.* Poterat & mũdorum creare velle myriadas: poterat & omnem rerum possibilitatem ad actum reducere. Igitur quas res creandas, suppressis aliis, elegit, eas tanquam verè dominus produxit. Quò pertinet explicatio Tertulliani, qui *libro contra Hermogen.* sic Mosen initio Geneseos interpretatur, quasi voluerit, Deum *in principio*, hoc est in principatu, in regia summaque potestate (ἐν ἀρχῇ) *creasse cœlum & terram Deus*, inquit Procopius, *qui est Rex Regum, & plenissimè sui iuris existens*, excitauit hoc vniuersum. Et Theophilus Antiochenus ait *lib. 2.* λόγον, quem Deus Pater ante omnia eructauerat, dictum esse ἀρχὴν, siue principium, quo ipse Pater creauit vniuersa; quòd in ea quæ per ipsum creabantur, principatum & dominatum haberet, οὗτος λέγεται ἀρχὴ, ὅτι ἄρχει καὶ κυριεύει τῶν δι' αὐτοῦ δεδημιουργημένων.

3. Vsus es hic (æterne & omnipotentatui dominans Deus) tuo isto iure, quod summum habes in ea etiã entia quæ non sunt. Nec omnia placuit produci possibilia, nec nihil. Si quæ produci poterant omnia produxisses, quàm plenus futurus fuisset, quàm celebris, tibi existentiam suam gratulantium naturarum chorus, infinitorumq; mundorũ cõcentus! Quando mundus, resonantibus vndique intermũdiis mũdo religiosè succineret; atque omnes vna voce creaturæ παιάνιον tibi communi suo parenti modularentur. At celeberrimum illum tot mundorum panegyrismum aspernatus, ex omnibus mundis, qui se possibiles offerebant, placuit assumi vnicum hunc, vt in eo quæ existunt, creaturas produceres; sanè pauculas si cum infinitis, quas prætermisisti, comparentur. Erat ius istud, quod exercebas in creaturas, plusquam vitæ & necis quando aliquibus vitæ & existentiæ, qua carebant, beneficium conferebas; denegabas infinitis, quas

nolebas vel nasci. Agnoscant igitur creaturæ omnes naturalem sui nihili conditionem: & quæ ad existentiam electæ, quia spem existendi nullam, nisi ex arbitrio tuo, habere potuerunt: & quæ non electæ, quia, spe illis in æternum adempta, ineluctabilem sui nihili, æternamque necessitatem experiuntur. In quibus & ego numerandus fuissem, nisi ex inerte illa, inefficaceque mea possibilitate ad hunc me vitæ statum creatione promouisses. At cùm creaturæ omnes nostro marte nihil simus, & in nihilum semper nostro pondere subsidamus; nostræ Religionis officium est, vt omnipotentiam tuam velut existentiæ nostræ basin ac radicem momentis singulis veneremur, atque nostri nihili, quod relinquere integrum per creationem nequiuimus, velut reliquias in nobis agnoscamus.

4. Porrò illud nihilum velut residuum, quo creaturæ quasi dilutæ sunt, pedetentim has corrumpit & ad se reducit in dies; quod in humano nostro genere experimur. Non viuimus, nisi in singula moriendo momenta, ætatemque ipsà eius vsurâ perdendo. Et ecce, quòd loquor, inde est. Quos annos habere nos dicimus, eos ereptos amisimus; & quãtum quis vixit, tantùm delibauit, gustauitque mortis. Quid enim aliud est (si latinè veréque loquamur) aliquem vixisse, quàm mortuum esse? Scitè igitur Heraclitus (teste Socrate apud Platonem) dicebat, *Interit vir facto sene, vt iuuenis priùs interiit in virum, puer in iuuenem, infans in puerum. & qui heri fuit, mortuus est in hodiernum, hodiernus moritur in crastinum.* Id lumen Philosopho Ethnico sola natura suppeditauit, mortalitatis suæ, suique conscia nihili. Nec tamen is quicquam ideò supra naturæ lumen edoctus est; neque vltra illud ita sapuit, vt de illo statu cogitaret æternitatis, vbi fluxum hoc non reperitur tempus, quod nos per quotidianas mortes absumit. Tua verò christiana fides (summe rerum Conditor) & altioris disciplina sapientiæ sic nos fluxa hæc omnia quanti sunt, tanti, nec maioris esse facienda edocet, vt per varios fugitiuæ gradus ætatis ad interminabilis vitæ totam simul & perfectam, immobilemque possessionem properemus.

5. Ex dictis conficitur, Deum non clariùs posse, neque sonantiùs à natura humana prædicari, quàm quòd ea per se ac sponte sua nihil omnino sit; atque ita nequiuerit aliter, quàm per creationem, & vim potentiæ, quæ diuina & infinita sit, ex nihilo extrahi; & ne in nihilum recidat, conseruari. At verò nobis restat, vt ex hoc nostro, quod contemplati sumus, nihilo fructum triplicem decerpamus. Primus est humilitatis atque modestiæ; cùm scilicet me sentiam proximè abesse ab ea nihili voragine, in qua per omnem æternitatem absorptus consepultusque iacueram, & velut in extrema eius crepidine ad prolapsionem esse expositum: quinimò totam ferè videam ipsius nihili, quàm latissimè patet, amplitudinem intra essentiæ meæ angustias contineri. Tam copiosè enim sum nihil, quàm multæ sunt, quæ in me non sint, entitates. Sed & hanc ipsam existentiam, quam nactus sum, quasi declinare ad nihilum, & ad illud pronam vergere in dies experior. Sentiunt teredinem ligna nautica sibi peculiarem; sentiunt & ligna domestica suum vermem, qui θρὶψ à Græcis; suum & tritici grana, qui κὶς dicitur: sentiunt vestes

veſtes librique tineas; arbores ſuam patiuntur vermiculationem; & quidlibet ferè propriam, cui obnoxium ſit, cariem. Sed omnibus communiter creaturis ſua ipſarum eſſentia caries eſt, & teredo, & tinea. Πάντα κόνις, πάντα γέλως, καὶ πάντα τὸ μηδέν. Quod longè grandiùs ſignificauit Iſaias *cap.*40. cùm orbis nationes omnes dixit negationis inſtar obtinere כאין מאפס ותהו: hoc eſt, quaſi non ſint & minùs ſint quàm nihil, quàm vacuitas & ſolitudo. Igitur quid ſupereſt, quod ad me quidem attinet; niſi vt Apoſtoli monitionem audiens, non me ipſe ſeducam, exiſtimans aliquid eſſe, cùm nihil ſim.

6. Alter fructus eſt, timidæ aduerſus Deum reuerentiæ; quem nihili mei conſideratio & natura omnis, quatenus è nihilo excitata, teſtatur eſſe totius fundum, ac radicem exiſtentiæ. Sanè in ſuum ſemper authorem conuerſi maieſtatem eius laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Poteſtates, Cherubim quoque atque Seraphim ſocia veneratione concelebrant, nec ceſſant clamare quotidie ſuum τρισάγιον. Quanta nos pariter reuerentia ſuſpicere, quanto nos pauore conuenit venerari Creatorem, qui tenui ſuſpendam filo noſtram exiſtentiam tremulam, & profundiſſimæ nihili abyſſo imminentem ſuſtinet, ita vt ſi vel momento eam deſerat, ſit in præceps ruitura? Peto autem quiſnam ille ſit, qui, ſi terræ facta labe, ſuſpenſus equinæ ſetæ funiculo ſubiectum hiatum videret immenſum, non pro Deo penè veneraretur hominem quemcumque, à quo ſe teneri & à cuius arbitrio magis quàm ab ipſo filo pendere cerneret? nec vllus eſt qui amentia præditus incredibili non iudicaretur, ſi eo periculi conſtitutus conaretur, ex quo penderet, vel filum præcidere, vel hominem verbis, contumeliiſque violare. Cùm igitur Deus me teneat ſublimem atque incolumem, velut quadam lucidâ cauſarum inter ſe nexarum catenâ cœlitus demiſsâ, qualem inducit Dionyſius *c.*30. *de diu. nomin.* ὥσπερ πολυφώτῳ σειρᾷ ἐκ τῆς οὐρανίας ἀκρότητος ἠρτημένῃ: quanta æquum eſt εὐλαβείᾳ & pietate timori admixtâ me oculos in illum ſemper habere intentos? Quis verò furor eum verbis, eum factis, ſacrilegoque contemptu laceſſere, atque prouocare?

7. Tertius fructus, quem condere ex hoc ſterili alioquin nihili noſtri fundo poſſumus eſt, vt quandoquidem vniuerſas creaturas non ſatis ad innitendum ſolidas, ſed infidas atque futiles inuenimus; confugiamus ad Deum tanquam ad locum editum, firmum, atque tutiſſimum: ne vniuerſali ſubmergamur ipſius velut eluuione nihili; quod inundans abſorbenſque omnia nos implicare pergit in dies. Quid mihi ſupereſt, cùm omnia fluctuent inſtabilia, & aſſiduè euaneſcant; cùm etiam peſſum me pondere meo ferri, atque intra memetipſum mergi, perireque naufragum ſentiam, quàm (quod ſolum expedit naufragis) vt in medio infidi velut elementi aliquid arripere tentem, quod non & ipſum demergatur, omni deſtitutum præſidio ſoliditatis; & vel rupem, vel quid huiuſmodi firmum ac ſtabile apprehendam. Quid verò illud inter omnia tandem eſſe poteſt præter vnum te, Deus, firmamentum, & refugiũ meum, ſtatioque fidiſſima? Tu ſolus non modò immota firmitate perſeueras ἀραρότως ἐν ἀκινήτῳ πύργος; ſed & immotas perſeuerare facis res omnes quæ tibi adhærent, vt ait Dion. *c.* 1. *de cœl. hier.* Propterea in Scripturis paſſim amas dici velut proprio no-

mine Rupes ac Petra creaturarum. Quæram te Domine fortitudo mea. Tu sis(quodPropheta tuus orabat Ps. 17. סלעי מצודתי צורי: petra mea, rupes mea, arx mea, per gratiam tandiu, dum per gloriam, quæ nostræ est ἐνδείας, siue solatium siue emendatio, fiam in habitaculo tuo quod firmauerunt manus tuæ, particeps & comprehensor immotæ æternitatis.

8. Quàm inconsultè ac dementer agant qui dum affectu toto post creaturas anhelant, iisque innituntur, ipsas à Deo cogitatione separant, vel inde manifestum est quod illarum etiã perfectissimæ, si à Creatore distrahantur, sint omnis entitatis inanes, ac vanum elusæ imaginationis obiectum. Sicut is facilè intelliget, qui in conclaui aliquo magnum speculorum numerum ea serie & ea mathemica solertia dispositum contemplatus fuerit; vt cùm lumen non nisi re vnicum esset, infinitis tamen omnia syderei instar cœli ornari collustrarique hinc & inde luminibus cernerentur. In designato nimirum, certoque loco, ac iusto quodam interuallo artifices illius scenæ vnum ardente cereo candelabrum collocare solent, & vniuersa illicò specula innumerabiles quasi ignes concipiunt, soloque cerei & mutuo sui ipsorum obiectu inflammari cernuntur. Cereum ipsum velut multiplicatione amplificatum singula specula participant integrum, atque intra se velut arreptum condunt, absentem licèt, ac suo loco manentem. Ea nimirum occasione sic ludit imago, vt ab vno speculo in alterum aduersum emicet, atque illuc vnde priùs emicuit, regrediatur, vt in eidem deinceps simili missu remissuque continuato multiplicetur pro eo quantum sphæra lucis eius quæ ex cereo manat, extendi posset in longum, nisi ea longitudo in varias crebro à speculis repercussu velut complicaretur flexiones. Atque sic specula tandem omnia, prout sibi sunt opposita, innoxio, frigidoque accenduntur igne. In illo toto scintillante apparatu nullus est (si verè & extra oculorum ludibrium res æstimetur) realis seu splendor, seu cereus præter vnum. Cætera non tam sunt lumina quàm lucentes vmbræ, aut intra speculi læuitatem coruscans nihilum. Habent tamen omnia solidam essentiam, non in se spectata, sed in illo vero germanoque cereo, cuius sunt simulacra. Ex quo fit, vt si vel minimùm cereus ille, cuius authoritate cætera subsistunt, commoueatur, omnia protinus concutiantur ac trepident: si autem illum auferri contingat, extinguantur vniuersa.

9. Quod illo amplificati luminis apparatu experimur, id contemplatur Theologia in creaturarum per mundum vniuersum ornatu. Innumeras creaturas cernimus, quà cœlo, quà terra longè lateque collucentes. Ea species imperitos eludit, atque decoris externi fraude circunuenit. Quæcunque tanto per orbem splendore sparsa sunt, ea si quis per se ipsa, & à Dei comitatu influxuque segregata consideret, atque assequi, apprehendereque conetur, euanescunt illicò, & se non aliud esse produnt, quàm (vt ait Dionysius) εἴδωλον τῆς ὀντότητος, fallax scilicet entitatis simulacrum. Vt mundi amatores quotidiana docet experientia, cùm omnia sectati assecutique sunt præter Deum, nihil tamen inueniunt in manibus suis, & amplexatos se instar canis Æsopicæ vmbras, vanoque simillimas somno imagines deprehendunt.

Natura

Natura humana Deum testatur atque prædicat per eam quam habet ab illo excellentiam.

10. Docent Philosophi esse in natura duo extremè opposita, materiam primam, ac Deum quòd illa nihil sit quàm pura potentia; hic nihil nisi purus actus. Altiori fortè sapientia dicerent, duo esse, quæ magis à se diuisa, longiusque dissita sint; nihilum scilicet, ac Deum: quorum illud pura sit impotentia; hic purus & potentissimus actus. Vtriusque media est omnis res creata. Hæc enim ex nihilo ad actum existentiæ surgens, de vtroque aliquid participat. A Deo naturam habet; naturæ infirmitatē trahit secumque defert ex nihilo. Cùm iam superiùs creaturarum infirmitatem, quæ & ex nihilo, & per se nihil sunt, contemplati simus; illasque suæ vanitatis admonitas ostenderimus, intra suum continendas esse officium naturalis erga Deum obsequij; neque magis à sui authoris, quàm radium à Solis diuelli posse prospectu: reliquum est, vt quantam existentiæ nobilitatem ex Dei creatione hauriant, nunc eo consideratiùs intueamur, quòd quid res quælibet ex natura sua vel non sit, vel non habeat, quàm quid diuino aut sit aut habeat beneficio, nemo est qui non faciliùs & expeditiùs dixerit. Illud enim continuò & sine disquisitione, illud autem non nisi longa inuestigatione perspici potest. Et certè quis non se, antequam quicquam esset, nihil fuisse, intelligat statim? & vbinam esset, cum non esset, si rogetur, non protinùs dicat, se fuisse tunc nullibi? Quid autem à Deo, cùm esse cœpit, acceperit? vbi, aut quomodo existat? & mundana, qua parte locatus sit in re? quid sit id quod se esse viueréque sentit? quid, quo constat, quo mouetur, & agit? Nullum puto repertum hactenus fuisse ita sapientem Philosophum, qui probè perspexerit, vt nec vllum qui se planè nouerit.

11. Sumus enim per creationem supra nos, & supra captum nostrum constituti. Quare quid sit hoc, quod summo parenti Deo debes, cùm te debes ei totum, intelliges nunquam, nec vt par est æstimabis. Natura dum originem à Deo habet, immensitatem quandam contrahit; suaque indole aliquid diuinum & incomprehensibile sapit. *Tu formasti me, & posuisti super me manum tuam* (artificem) cùm dixisset Propheta *Psal.* 138. continenter subdit: *Mirabilis facta est scientia tua ex me* (ממני: hoc est supra me, captumque meum) *confortata est* (inualuit נשגבה, in excelsum ascendit, immensè & ὑπεράνω ὄντα) *neque potero ad eam* (pertingere.) Quod intelligendum est de ipsa etiam corporis humani fabrica: de qua cùm fusissimè superiùs disputauerim, nihil visum est ampliùs dicendum hoc loco. Sunt sanè creaturæ omnes supremi entis imitatio, & participatio; eaque non idealis tantùm, quomodo pictura; seu statua quandam habet ab artifice participationem dumtaxat notionalem eius figuræ, quam ille mente informatam præconceperat, & quam sola vel colorum apta collocatione, vel materiæ detractione impertit. At vero quæ in creatura est participatio Creatoris, per veram fit substantiæ productionem, & inexplicabilem entitatis à causâ emanationem, atque Dei in se ipso immobiliter manentis ad Creaturam aliquo modo delapsũ, θεότης ἀγαθοπρεπῶς τὰ λη-[illegible] καὶ προϊοῦσα μένει ἔνδον ἑαυτῆς ἀραρότως, ait Dionys. *c. 1. de cœl. Hier.*

Hic

12. Hîc habes, ô mens humana, multiplices contemplationis gradus, quibus ad summum æternitatis, diuinæque sapientiæ fastigium ascendas,& natalitij tui velut syderis genitalem splendorem adores, debitisque prosequare præconiis. Prolificam vim contemplare diuinæ mentis admirabilem, non sibi tantùm ad Filij generationem, sed etiam creaturis ad earum productionem fœcundæ. Vt Verbum æternum primum est diuinitatis germen; sic in eo ipso incipiunt creaturarum omnium germina quodammodo formari: nec vllus in omnipotentia Creatrice partus maturuisset vnquam, nisi in Verbo præcessisset conceptus & idealis satus. Vnde scitè ait *libro* 83. *quæstionum* Augustinus: *Verbum increatum non cum Patre solo, à quo genitum sit, sed cum creatis etiam rebus omnibus, quæ à se genita sint cohærere.* Cohæret verò præ cæteris eximiè homini. Est enim homo expressa diuinitatis imago, & viuens sui Creatoris effigies, intellectualeque mentis summæ simulacrum; cùm reliquæ creaturæ sint tantùm inchoatæ adumbrationes, atq; catagraphæ, & velut quædam leuiter impressa vestigia. Quare vel vnius perfectio, præstantiaque humanæ naturæ longè magis quàm totius mundi excellentia diuinas laudes illustrat.

13. Intuere anima mea, in æternæ Sapientiæ sinu nobilitatem nostræ originis, & summam in ipso spiritualis tuæ conceptionis puritatem venerare, atque ad eam quantùm potes te reuoca; nec te degeneres affectus ad insanos, fœdosque vitiorum amplexus abiiciant. Expedit cuique sui in rebus esse curioso. Atque natura cupiditatem in omnibus hominibus ingenuit cognoscendi prima sua incunabula; quibus ex locis oriundi quàm antiquâ, quàm illustri stirpe, procreati fuerint; qualis sit, olimve extiterit tota ipsorum gentilitas. Quis ergo cupidissimè non audiat, vel etiam perquisitiùs non indaget æternam sui generis originem, & vbi sua primum sit nata possibilitas? quo modo ea ex æterni Verbi splendoribus effloruerit? & quàm meritò nos Dei legitimam esse progeniem prædicare possimus.

14. In Verbo habitabat ab æterno omnis plenitudo creaturarum, etiam corporearum spiritualiter. Ibi ego eram cum non eram. Ibi viuebam ego, tùnc non ego: viuebam tamen; nec mihi, sed Verbo; & vita mea non erat mea, eò nihilominus magis nobiliusque mea, quòd non mea: viuebat enim mihi Verbum. Omnibus creaturis erat participatio eius in idipsum; coëuntibus scilicet illis in vnum indiuisibile, vt lineis in centrum. O si me, Domine Deus meus, refugium meum, & habitaculum æternitatis meæ: si me in hac creaturarum in qua nunc versor, & luce noxia decolorem, & agitatione iactatum, & tumultu conturbatum, & clamore vndecumque auocatum, & illecebris abductum transformares aliquo morali modo (per summam scilicet voluntatis meæ cum tua identitatem) in meum illud increatum & superessentiale esse, ac in illam reuocares ideam ex qua prodij, atque ita me concederes in abscondito faciei tuæ dilitescere procul à conturbatione hominum; quàm libẽter in eo receptu cum omni possibilitate Angelorum, & creaturarum (quarum in te inclusarum infinita multitudo fructum solitudinis non impedit) quiescerem; & in tuarum perfectionum admiratione silerem. Quàm iucundè, nullo strepitu beatissimam illam solitudinis obturbante quietem, somno

meo

meo requiescerem in pace in idipsum! silentibus pariter creaturis, quæ & ipsæ in eadem omnes pace dormiunt, atque in eadem (vt loquitur martyr tuus Dionysius) ἀφθεγξίᾳ requiescunt. Sed cùm ex illo possibilitatis, & summæ intra suam causam vnitatis statu per creationem egressæ, multiplicibus his, quas cernimus, differentiis propagantur, sibi obstrepunt, & faciunt inuicem angustias; ita vt mundum in perpetua rerum conturbatione agitationeque positum vix mundus capere possit.

LIBER SECVNDVS,

Quomodo cognosci, probarique possit indubitata veritas mysterij Trinitatis.

PRÆCIPVVM, & fundamentale Christianæ Religionis dogma est, naturam Dei simplicem, ac indiuisibilem, identificari realiter tribus personalitatibus realiter inter se distinctis, & cum iis absque sui multiplicatione, vel distinctione reali constituere Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, tres distinctas personas, vnum indiuisum Deum. In hoc germano Trinitatis conceptu aduertere est duo tanquam necessaria includi. Primò quidem, quòd personalitates diuinæ sint tres numero realiter distinctæ. Secundò quòd natura diuina, saluâ suâ simplici vnitate, sit realiter cum earum singulis indistincta. Vnde patet eos hæreticos, qui in illorum duorum alterum peccarunt, siue personas confundendo, siue naturam multiplicando, Trinitatem reuerà negauisse, licèt eius vocem, & singula personarum nomina retinuerint: at verò qui non contra illorum alterutrum peccauerunt, licèt alioquin errauerint (vt, exempli gratiâ, ij qui Spiritum sanctum à solo Patre procedere dixerunt) Trinitatis tamen conceptum non sustulerunt; nam is Deus, quem describunt, vnus & trinus est; licèt sit fictus, nec verus.

Considerandum autem nobis erit in hoc libro, quàm altus sit,

atque reconditus Trinitatis ille verus, præcipuusque conceptus. Et primò quidem inquiremus, quamnam Adamus notitiam mysterij huius habuerit. Quod vt certiùs discuti, & vtrimque disputari possit, non alienum fore visum est cursim exponere, quantam ille à Deo sapientiam, qualque mentis, cùm naturales, tum supernaturales dotes antequam laberetur, nactus sit. Secundò perscrutabimur, vtrum dari possit aliqua Trinitatis antegressâ reuelationem cognitio. Tertiò num supposita reuelatione possibilis sit tanti mysterij demonstratio. Quartò quid iudicandum sit de illis Ethnicis, qui Græcis antiquiores visi sunt hoc agnouisse mysterium. Quintò quid de Platone, aliisque Græcis. Sextò probabimus vnam in tribus personis Deitatem ex nouo Testamento. Septimò ex Testamento veteri. Octauò ex Patrum traditione. Nonò denique moralem piamque addemus considerationem super tam retrusi obscuritate mysterij.

CAPVT I.

Vtrum Adamus in sublimi constitutus sapientiæ statu, ante peccatum cognoscere potuerit Mysterium Trinitatis absque reuelatione expressa: & num saltem per hanc illud cognouerit.

1. QVamuis Adamus fidem diuinam per suum peccatum (quod infidelitatis non erat) nullatenus amiserit, atque adeò Trinitatis cognitionem, quam sine dubio per reuelationem saltem acceperat, seruauerit integram; tamen vix vllos posteros suæ tam perfectæ, distinctæque fidei hæredes habuit. Atque sic in crassa illa, quæ omni terrarum orbi offusa fuit, insipientiæ caligine mysterium Trinitatis retrusum ferè, absconditumque antequam Christus venisset, latuit. Cùm autem disputare Theologi soleant de modo, quo creatus intellectus notitiam diuinarũ personarum assequi possit; an scilicet dari queat aliquis tã perfectus creaturæ status, siue naturalis, siue supernaturalis, vt per seipsum absque reuelatione sufficiat ad veniẽdum in mysterij tam sublimis intelligentiam; abs re non erit hìc occasionem (haud è longinquo accersitam, sed sponte oblatam) arripere, considerandi beatum illum sapientiæ statum, in quo creatus fuit primus generis humani parens; & inuestigandi num ante peccatum in tãta copia, affluentiaq; diuini, quo cõplebatur, luminis, ad altissimam peruenire Trinitatis cognitionem sine expressa illius reuelatione potuerit; aut saltem, num ei talis, si ad id necessaria erat, non defuerit reuelatio. Breuiter igitur, quæ prima Adami conditio extiterit, inspiciamus.

2. Sanè cùm immortalis hominum animus velut mente diuina decerptus sit, necesse est, vt eòdem, vnde prodiit, referatur, & naturali pondere ad summam illam, cum cuius natura congruit, sapiẽtiam multò magis adhærere

hærere appetat, quàm corpora ad ſuum, ex quo præcipuè conſtant, elementum vergere videamus. Illi tam inſitæ, naturalique propenſioni Deus morem gerens, Adamum in mundo non ſolùm velut habitatorem, & incolam, ſed præcipuè velut ſpectatorem locauit, vt tantam rerum pulcritudinem contemplatus, ipſius Dei cognitionem eximiam capere, & in eum amore inflammari poſſet; atque ita per naturæ velut ſpatia & gradus, ad rerum omnium principium tenderet, atque perueniret. Quod vt animo ad ſeipſum meliùs aduocato facere, illum introduxit in amœnum ſeceſſum, & paradiſum, ab animalium, quæ ipſum à tam ſeria exercitatione auocare potuiſſent, turba occurſuque remotiorē. Immaniores enim belluas fortunatum illud nemus excluſerat. *Plantauerat Dominus Deus*, inquit Moſes, *paradiſum voluptatis à principio, in quo poſuit hominem quem formauerat. Diuinum profectò locum* (ait Damaſcenus *libro 2. de orthodoxa fide, c. 11.*) *ac dignum eius qui ad imaginem Dei creatus fuerat, incolatu: in quo nullum irrationalium animalium habitabat, ſed ſolus homo diuinarum manuum factura.* Sic ſanctus ille Pater, qui fortè diceret ſerpentem, dum Euæ tentationis virus infudit, non aliter illuc, quam opera, ductuque diaboli irrepſiſſe.

3. In eo terreſtri paradiſo poterat florum, plantarumque varietas; poterant arbores manu Dei ſatæ; poterat ſedatus pellucidorum quatuor amnium liquor, ac belliſfluentium aquarum huc illucque contorti, deflexique ductus, cum riparum viridiſſimo veſtitu cœleſtem (cuius typus domicilium illud erat) paradiſum animo cernendum proponere; Deumque aliquo modo, qualis in cœlo apparet, exhibere; atq; ita exquiſitiſſimum ſapientiæ pabulum miniſtrare. Iucundiſſimus enim ille erat mentis cibus, & fruges, quam ex illius loci beatiſſimo ſolo Deus colligi volebat, cùm hominem in eo poſuit, vt operaretur, & cuſtodiret ipſum; nec alium niſi ſapientiæ fructum inde percipi expectebat. Quod ſi aliquis interpretetur voluiſſe Deum, vt Adamus ita ſacrum illud viridariū voluptatis operaretur, vt rationem verè haberet cum ipſa terra, & eius culturam exerceret; dubium non eſt, quin talis etiam agricultionis oblectatio ad mentem ſapientiâ excolendam pertineret. *Nullibi enim magis* (inquit Auguſtinus *de Geneſi ad literam lib. 8. cap. 8.*) *humana ratio cum rerum natura quodammodo loqui poteſt, quàm cùm poſitis ſeminibus, plantatis ſurculis, inſitis malleolis, tanquam interrogatur quæque vis radicis, & germinis, quid poſſit, quidve non poſſit, vnde poſſit: inque ipſa conſideratione perſpicere, quia neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Si quis verò interpretetur, poſitum ſic fuiſſe in terreſtri paradiſo Adamum, vt ei nulla terræ huius aſpectabilis, ſed ſola mentis interna cultura tribuatur; ait S. idem Auguſtinus, hominem in illa fuiſſe paradiſi amœnitate poſitum, *vt eius animus ab ipſo Deo excoleretur, & eum Spiritus ſanctus, tanquam ſuum agrum, operaretur.* Quò referri poteſt illud Apoſtoli 1. Corint. c. 3. *Dei agricultura eſtis.*

4. Et quamuis Deus in eius mentem cœleſtes præcipuè ſupernaturalium gratiarum ſurculos inſeuerit; ei tamen nulla denegauit ſcientiarum humanarum excellentiſſima germina, nec illos animi nobiliſſimos fœtus, qui in ipſo etiam naturæ fundo prouenire poſſunt. Licèt enim ſupernaturalis

ſapiētia illis non nitatur quaſi fundamentis; ſunt tamen ad eam (vt ait Philo Iudæus *in lib. de Cherubim*) velut quædam antegreſſa ornamenta, ſiue inſtar operis albarij, aut tabellarum, gemmeorumve emblematum: ὡς προκοσμήματα, καὶ καθάπερ κονιάματα, καὶ γραφαὶ καὶ πινάκια καὶ λίθων πολυτελῶν διαθέσεις. Quam in rem operæ pretium fuerit Suidam audire. Ἀδὰμ ὁ χειρὶ Θεοῦ πλασθεὶς δικαίως ἂν πρῶτος καλοῖτο σοφός. ὃς πρωτόκτιστον ἄγαλμα, καὶ εἰκὼν οὖσα θεόγραφος, ὡς τῶν χαρίτων ὑπάρχων ἀνάπλεως. Μαρμαρυγαί τινες, ὡς εἰπεῖν, ἐκ τῆς ἐκείνου ψυχῆς ἀπαστράπτεσθαι, &c. Hoc eſt: *Adamus Dei manu fictus, meritò primus ſapiens vocari poteſt. Qui & fuit Dei primò conditum ſimulacrum, & imago ab ipſo Deo expreſſa, vtpote omni refertus gratiarum varietate. Emicantes ſplendores aliqui vibrabant, vt ita dicam, ex eius anima pleni notionum, operationumque mentis. Illius erant ſcientiæ omnes, cùm ea quæ rationis directione continentur, tum ea quæ ratiocinatiua non ſunt. Illius omnia inuenta & documenta, & quæcumque ad vitæ commoda, inſtitutumque viuendi pertinent.* Hæc Suidas, in nomine Adam. Quod ſi quis audiendos hìc fortè putat Rabbinos, habet R. Gerſonem inter alios, qui hoc Adami profert elogium; *Magnus ſapientiâ, caput Philoſophorum, diſcipulus Dei, peritus virtutis herbarum, animalium, & lignorum; Medicus, Aſtrologus, à quo omnes ſunt profectæ artes & ſcientiæ.* Quæ cùm de Adamo etiam lapſo prolata ſint, in illo fuerunt longè illuſtriora dum ſtetit. Nec eæ, quas memorauimus, animi dotes poſt peccatum reſiduæ cum eius eximiis innocentiæ ornamentis comparabiles ſunt; ſed extitère poſt miſerabilem innocentiæ labem ac ruinam velut parietinæ quædam ſuperſtites in aliquod tantæ calamitatis velut ſolatium, aut memoriā priſtinæ felicitatis.

5. Si enim eas in mente Adami nondum Deo infenſi dotes inſpiciamus, quæ illi conceſſæ fuerunt ſupra dignitatem, iuraque naturæ, diuinarum in iis perfectionum imagines tam expreſſas comperiemus, vt nequaquam ſe ipſe circunſpicere potuerit, quin ſimul in ſublimiſſimam diuinitatis cognitionem, ac ferè viſionem veniret. Atque hìc occurrit ea quæſtio; num Deus mentem Adami, velut cœleſtem, myſticumque agrum, ſic excoluerit, vt ſponte ac per ſeſe inter alios ex illa cultura editos ſupernaturales fœtus, cognitio trium diuinarum Perſonarum abſque expreſſa reuelatione effloruerit? Et ſanè cur id aſſerendum videatur, poſſet iudicare quiſpiam non improbabile. Primò quidem, quòd conſentaneum fuerit, illum circa creaturarū à Deo dependētiam, earumdēque productionem reuelationes habuiſſe longè quàm ipſum Moſem ſublimiores, ex quibus de rerum creatione reuelationibus potuerit ratiocinando colligere non eſſe vnicam in Deo perſonam. Modum enim, quem Moſes ait in condendo mundo Deum ſeruaſſe, haud dubiè non ignorauit. Nouit igitur eius, qui in principio creauit cœlum, & terram, quaſi proprium nomen fuiſſe plurale illud אלהים, quale nimirum apparet initio Geneſeos. Nec potuit in illo Dei (quem non niſi vnum eſſe ſciebat) nomine plurali quoddam latens non ſuſpicari myſterium. Non minùs etiam nouit quàm Moſes, Deum apud ſe, cum de formando homine conſultaret, dixiſſe: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Potuit ergo Trinitatem intelligere abſque expreſſiori reuelatione, tum ex eo, quod Deus tanquam cum aliis

aliis personis loqueretur; quas personas constaret non posse esse creaturas, quandoquidem inuitabâtur ad creandi actionem, quę nulli creaturæ conuenire potest: tum ex eo, quod constet hominem non ad veram imaginem vllius personæ, quæ diuina non esset, fuisse factum, vt habetur Geneseos 9. *Ad imaginem quippe Dei factus est homo.*

6. Potest & ad idem asserendum secunda concinnari ratio, si cum Scoto *in 2. dist. 3. q. 9.* supponamus, non repugnare, quin Angelus in sui creatione speciem impressam acceperit diuinitatis; quam speciem is author ait non esse omnino naturalem, quasi nimirum esset ex debito naturæ, aut quæ posset ad præsentiam obiecti acquiri; sed eatenùs supernaturalem, quatenùs non nisi ex libera Dei voluntate obtineri posset; aliunde tamen naturalem esse, quatenus concipitur ita proportionata actiuitati intellectus angelici, vt eum determinet ad cognitiones, quæ sint entitatis naturalis, hoc est, quæ non sint in eodem ordine, in quo est gratia, & gloria. Censet verò Angelum per eam speciem habere posse euidentem cognitionem (quæ sit solùm abstractiua, & tamen immediata) ipsius Diuinitatis repræsentatæ per semetipsam quidditatiuè. Imò tandem addit, quòd si Diuinitatis impressa illa species foret omninò quoad substantiam supernaturalis (in eo scilicet ordine, quo gratia & gloria) posset Angelus per illam speciem abstractiuè cognoscere, non solùm essentiam diuinam, sed ipsam etiam Trinitatem. Illam, inquam, si Scoti opinionem supponamus, non deerit fortè qui sic argumentetur. Quæ species ad aliqualem diuinitatis notitiam concedi potuit Angelo, potuit & Adamo. Igitur non repugnat Adamum specie supradicta diuinitatis donatum (si præsertim ea sit quoad substantiam in vero, ac supremo supernaturalitatis ordine) sic nosse diuinitatem immediatè & quidditatiuè, vt simul intelligat personarum trinitatem absque alia expressa reuelatione. Diuinitas enim quidditatiuè postulat subsistere per tres realiter distinctas personalitates, & quidditatiuè continet eas in radice. Adde quod cùm aliqui Mosem & Paulum, aliqui etiã Augustinum, aliumq; fortè quempiam ex insignioribus Sãctis, asserant diuinã clarè vidisse essentiam; non videtur huiusmodi priuilegium (si vlli concessum aliquando fuit) ei denegandum homini, qui omnium fuit hominum caput. Non potuit autem essentiam diuinam manifestò videre, quin eam postulare hypostases intelligeret, nulla, quæ in illas directè feratur, reuelatione adiuncta.

7. Tertiò ex iis rationibus, quas infrà dicemus videri posse, supposita reuelatione, congruas, formari posset argumentum, quo probabile videatur Adamum habere potuisse absque reuelatione expressa notitiam aliquam Trinitatis. Nam in tanta sapientiæ ac luminis, quo perfusus fuit, abundantia non potuit ignorare infinitã Deum esse bonitate imò & ipsam eum esse bonitatem infinitam. Atque ita cùm bonitas omnis ad sui diffusionem, communicationemque propensa sit, ad infinitam verò bonitas infinita; in in promptu fuit Adamo aduertere, personas aliquas necessariò existere, in quas Deus integram omnium perfectionum, naturæque suæ, cuius nulla creatura est capax, profusionem facere posset. Præterea, cũ palam sit Deum, nisi qui beatissimus sit, esse non posse; beatus verò is esse nequeat, qui nullos sibi similes, quorum cõsortio oble-

ftetur, habeat; Deo porrò, quem vnicũ esse cõstat, similes plures dari Deos impossibile sit; non potuit Adamus ratiocinando non colligere, Deum, vt solitudinis eximeretur tædio (quod nec impedire, nec leuare creaturarum cõgressus poterat) personas habere aliquas increatas suo dignas consortio, cum quibus omnem absque fastidio æternitatem transfigeret. Eodem pertinet necessitas amicitiæ, quâ (cùm nihil eâ sit iucundius) beatitudo carere non potest. Amicos autem, iuxta legem amicitiæ nullos Deus habere poterat nisi pares, & qui sint capaces infinitum amorem cùm terminandi, tum mutuò rependendi; ne tamen ea paritas collegas, æmulosque ipsi tribueret, pluralitatemque Deorum induceret, amicos eos tantùm admittere debuit, qui & plures personæ, & secum vnicus forent Deus.

Adamus citra reuelationem non potuit in Trinitatis cognitionem peruenire.

8. Dicendum tamen omninò est, cùm eæ, quæ iam adductæ sunt, rationes vanæ sint, nisi reuelationẽ supponant, Adamum nec eo ipso tempore, quo in Dei offensionem nondum inciderat, tam sublimi lumine fuisse illustratum, vt apud se ratiocinando posset plures in vna simplici essentia suspicari personas. Quod nec ipsi Angeli, priusquam reuelatione fuissent edocti, valuerunt. Licèt enim hoc mysterium nequaquam lumini naturali aduersetur, aut contra rationem sit, neque ostendi possit illud esse impossibile; tamẽ ita est supra rationem, vt nequeat ostendi esse possibile, & reiiciendus sit Scotus, cùm ait *dist. 2. q. 4* ostendi posse ratione Trinitatem non esse impossibilem. Si enim ostenderetur hoc mysterium non esse impossibile, ostenderetur eo ipso esse & existens, & necessarium. *In diuinis enim, & æternis, quicquid nõ est impossibile, necessarium est atque adeò existens*, ex Aristotele *3. Phys. textu 32.* Quare Adamũ Trinitatem, & vnius rei simplicis cum tribus realiter distinctis identificationem, potuisse absque reuelatione cognoscere, nullam probabilitatem habet; nec rationes quæ pro hoc adduci queunt, aliud sunt quàm meræ allucinationes.

9. Ad primam igitur rationem, quæ superiùs est allata, negatur Adamum ita seriem creationis mundi cognouisse, vt citra reuelationem ei potuerit venire in mentem Deum, qui vnicus sit, ex tribus realiter distinctis suppositis nomen (quo vsus est Moses) plurale traxisse. Adde quod in nomine illo אלהים, mysterium aliquod suspicari, non videtur esse Theologi satis in vsu grammatico periti. Nihil enim vsitatius quàm plurali illi voci vim singularis esse subiectam; neque ipsam item significatione, vt syllabarum sono, pluralem esse. Etquidem *Exodi cap. 20. vers. 3.* falsis Diis tribuitur verbo iuncta singulari absque vllius suspicione mysterij. Si autem Adamus fortè cognouit, fuisse à Deo, quasi cum aliis personis deliberante, ad hominis creationem prolata illa verba, ***Faciamus hominem ad imaginem nostram***; id non nisi reuelatione cognouit.

10. Ad secundam rationem respondeo, quicquid sit de illa opinione Scoti quoad possibilitatem speciei, qua posset Angelus diuinitatem, vel tres etiam ipsius personas quidditatiuè, immediatéque cognoscere; primò quod non sequitur, quamuis huiusmodi species possibilis esse supponatur, illam fuisse impressam Angelo

in

in eius creatione. Secundò, vt impressa fuisset Angelo, non sequitur tamen impressam itidem fuisse Adamo. Tertiò, quamuis illam & Angelus, & Adamus accepisset, ea fuisset (vt bene aduertit Suares *lib.* 1. *de Trin. c.* 11. *n.*4.) quædam reuelatio supra debitum naturæ; atque ita semper maneret non potuisse nec Angelum, nec Adamum Trinitatis personas cognoscere naturaliter, & citra reuelationem. Quod insuper sub finem numeri sexti argumentum addebatur, nihil item vrget. Negatur enim Mosem, vel quemcunque alium, dum viueret, diuinam clarè vidisse essentiam.

11. Vtrum autem species ad habendam diuinitatis immediatam, & quidditatiuam, abstractiuamque cognitionem impressa (qualem Scotus asserit ac describit) sit possibilis, præsertim si eam supponamus esse supernaturalem quoad substantiam, non definio. Solùm dico non satis validè illius possibilitatem per id impugnari, quod aliqui volunt, impossibile esse dari illam cognitionem abstractiuam, quæ sit quidditatiua, & feratur immediatè, nec per alienas species in Trinitatem, vel naturam diuinam. Neque valet quod inquit Vasques *disput.* 134. *c.* 3. immediatam diuinitatis cognitionem esse necessariò intuitiuam; cùm habeat quicquid ad cognitionem intuitiuam requiritur. Ad cognitionem enim intuitiuam, vt ait, duo tantùm, aut ad summum tria, requiruntur: nempe primò vt obiectum quidditatiuè, & non per alienas species cognoscatur. Secundò, vt cognoscatur existens, & non abstrahens eo modo ab existentia, quo possumus verbi causa rosam conceptu proprio & quidditatiuo nobis depingere, de eius existentia non cogitando. Tertiò denique, vt obiectum cognoscatur quatenus præsens. Atqui per Dei prædictam cognitionem, de qua est quæstio, Deus cognoscitur quidditatiuè, vt supponimus, & non per species alienas: 2. cognoscitur vt existens; in Dei enim quidditate & essentia non minùs includitur existentia, quàm sapientia: 3. cognoscitur etiam vt præsens; non enim minùs necessariò Deus est præsens omnibus rebus, & intellectui ipsi creato, quàm existens. Prædicta ergo Dei cognitio de qua agimus non posset esse abstractiua, sed omnino esset intuitiua. Sic philosophantur Vasques suprà, necnon Suares *lib.* 1. *de Trinit. cap.* 11. *concl.*3. Ruis *disp.* 42. Cuniga *disp.* 7. *dubio* 2. & alij non pauci.

12. Sed per hæc non videtur, inquam, benè refutari Scotus. Primò enim non videtur repugnare, quominùs cognitio aliqua sit abstractiua, quamuis feratur in quidditatem rei, quæ cognoscatur esse & existens, & præsens. Alioquin is qui clausus in obscuro cubilo sibi mente repræsentaret parietes, tabellas, & alia, eo modo quo non ignorat, sed actu cogitat existere illic præsentia, diceretur habere cognitionem earum rerum intuitiuam. Igitur ad intuitiuam cognitionem requiritur, vt res, quæ existens, & præsens esse cognoscitur, præsentiam suam speciali quodam modo sistat, & ita coràm appareat, vt illius quædam velut experientia habeatur. Secundò dico, quamuis Deus quidditatiuè non minùs reipsa sit existens, & præsens, quàm sit sapiens, potens, &c. non tamen repugnaret communicari alicui cognitionem eius inadæquatam; ita, vt cùm de sapientiæ, potentiæ, &c. quidditate cogitaretur; non tamen cogitaretur de eius in hoc loco existentia, seu præsentia.

13. Ad

13. Ad tertium, quod propositum suprà fuit, argumentum respondeo, illas conuenientias valere quidem, vt postquam reuelatione credibiliter propositum fuerit Trinitatis mysterium, difficultas, quæ summa ob contradictionis apparentiam in eo occurrit, mitigetur; ac delinitus, vt ita dicam, intellectus se captiuitati submittat. Non tamen illæ conuenientiæ sufficiunt, vt vlla creatura istud in tantam retrusum obscuritatis profunditatem mysterium per semet ipsa detegat & aduertat. Porrò quid tales conuenientiæ valeant, & quid non valeant, ostendetur infrà. Iam superest, vt quandoquidem constat Adamum nequiuisse tres in diuinitate consubstantiales personas absque formali, seu explicita, seu implicita reuelatione cognoscere, inquiramus, num saltem aliquam de iis reuelationem habuerit.

Adamus reuelationem habuit mysterij Trinitatis.

14. Et mihi quidem certum est habuisse. Nam primò consentaneum nullo modo videtur, vt Deus postquam Adamum in paradiso tanta suauitate viridicato collocatum, pulcherrimarum vndecumque creaturarum aspectu in summam admirationem induxisset, atque in illo acre desiderium accendisset intuendi tantæ pulcritudinis authorem; noluerit ipsi diuinitatis suæ conditionem saltem obscurè reuelare. Nec enim satis erat semet par tam venustorum admirabilitatem effectuum indicare. Nam quantò magis tantus mundi decor excellentiam authoris sui prædicabat, tantò magis ipsius coram intuendi sitim augebat. Idemque sine dubio Adamus patiebatur, vtpote inter sapientes primus, quod cuilibet sapienti Philo Iudæus accidere testatur. *Vt nempe rerum in hoc vniuerso suspiciendarum stupore perculsus, sobriâ quadam temulentiâ obruatur; & velut in furorem versus, conetur perrumpere naturæ cancellos, vt ad summum rerum principem intuendum peruenire possit*; μέθῃ νηφαλίῳ καταχεθεὶς ἐνθουσιᾷ γεμισθεὶς ἱμέρῳ ἐπ' αὐτὸν ἰέναι τ̃ μέγαν βασιλέα ϗ γλιχόμενος ἰδεῖν. Sanè consequens non est, vt qui Adamo, quando eum antequam peccaret, in deliciis habebat, sui inquirendi cognoscendique cupiditatem tot eximiorum ostentatione operum indiderat, ei abscondi se vellet, suumque subsistendi modum, atque id quod est intra se, cuius fides ad medij necessitatem pertinet, ignorari, nec saltem obscurè credi. Præsertim cùm periculum non esset ne trium personarum cognitione in trium Deorum opinionem laberetur. Quale periculum posteà fuit in eius posteris ad omnem impietatem proiectis, nominatim verò Iudæis etiam ipsis in idololatriam propendentibus, passimque in eam dilabentibus.

15. Ratio iam allata videtur esse valde probabilis. Sed habemus firmiorem propheticum sermonem, ex quo euidenter inferri possit, cognitam Adamo vnà cum Incarnatione Trinitatem. Primò enim ait Moses Deum, postquam Adamus immisso sopore, seu ecstasi obdormiisset, *tulisse vnam de costis eius, hancque ædificasse in mulierem*; quam cùm ad se adductam à Deo ille reciperet, dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Deinde verò Paulus Apostolus *ad Ephesios cap.* 5. docet, formationem Euæ ex costa Adæ, & vtriusque coniugium fuisse typum formationis Ecclesiæ ex latere Christi, & ab hoc initi cum illa coniugij: *Sacramentum*, inquit,

inquit, *hoc magnum est; ego autem dico, in Christo, & in Ecclesia.* Sacramentum porrò illud, siue mysterium intelligere se significauit Adamus, cùm in hæc verba prophetica erupit: *Hoc nunc os ex ossibus meis*; addiditque. *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit vxori suæ; & erunt duo in carne vna.*

16. Quæ Adami verba tanquam prophetica exponit Apostolus de Christo: qui, vt Ecclesiæ sponsæ post mortis soporem ecstasinque ex latere suo exortæ adhæreret, in terram, cœlo aliquatenus relicto, descendit. Quare Leo magnus & alij cum Hieronymo notârunt, Adamum fuisse primum Vatem qui de Christo & Ecclesia ex latere eius formata prophetarit. *Primus vates Adam* (verba sunt Hieronymi) *de Christo hoc prophetauit, quod scilicet reliquerit Patrem suum, & matrem suam, Cœlestem Ierusalem; & venerit ad terras propter suum corpus, & Ecclesiam de suo latere fabricatus sit; & propter illam Verbum caro factum sit.* Adami sanè verba insignem fuisse de Christi Incarnatione prophetiam docet euidenter Apostolus. Qui dum dixit, *Sacramentum hoc magnum est;* significare voluit (vt indicant Ambrosius, Thomas, & alij passim cum Concilio Florẽtino in instructione Armenorum) *Adamum fuisse locutum de solo matrimonio vona legis, quod verè magnum est sacramentum.*

17. Ex dictis manifestum est, Adamum habuisse reuelationem de Incarnationis mysterio, cum de Christi, Ecclesiæque coniugio, quasi antitypo sui ipsius matrimonij, insignem illam teste Paulo ediderit prophetiam. Non enim probabile est, ipsum ignorasse quid præsignificaretur suo, Euæque matrimonio. Quæ cùm ita se habeãt, non potuit Adamus ignorare mysterium Trinitatis, neque reuelatione carere de diuinarum pluralitate personarum; sine qua pluralitate mitti non potuit in terras Deus carnem indutus humanam; itavt is qui mittebatur, idem esset naturâ cum mittente, non posset tamen idem esse supposito.

CAPVT II.

Vtrum possit dari, nullam supponendo reuelationem, aliquod medium, quo Trinitatis mysterium certò noscatur.

1. MOuetur hæc quæstio propter quosdam Catholicos, qui putauerunt, ad probandam Trinitatem in proprio veroque conceptu sumptam, inueniri posse mediũm demonstratiuum nulla præsupposita diuina reuelatione. Fuerunt & qui tale medium inueniri quidem posse putauerint; sed non nisi præsupposita reuelatione de Trinitatis existentia; de quibus agetur capite sequenti. Illi qui absolutè, nulláque præsupposita reuelatione, censuerunt Trinitatis mysterium demonstrari posse, fuerunt nonnulli relati, ac refutati à Durando *in* 1. *dist.* 2. *q.* 4. Remundus item Lullius asserens omnes articulos fidei per rationes probari necessarias & euidentes, & nominatim recipiens se probaturum Trinitatem per demonstrationes, quæ Gentilem quemcunque, & Mahumetanum conuincere valeant, si eas penetrare velit. *Sed homines*, inquit, *inscij, & peccatores non intelligunt eas rationes.* Id de illo testatur Emericus *in direct. Inquis.* vt ait Ruiz *disp.* 41. *sect.* 1. Ij qui referuntur à Durando his nitebantur rationibus, tãquam demonstratiuis. Nempe primò *quod omnis operatio* (hæc eorum sunt verba) *terminari debeat ad aliquod opera-*

 tum

tum; sed in Deo sunt operationes perfectissimæ: ergo terminantur ad aliqua operata; intelligere quidem, ad Verbum productum; velle autem, ad amorem. Sed producens, & productum necessariò differunt: Ergo talis productio est in diuinis, cùm sit ad intra. Sed non potest esse quoad essentiam, quæ est vna: ergo quoad personas. Secundò. Quicquid perfectionis est in creatis, tribui debet Deo, exclusâ imperfectione: Atqui naturam in pluribus suppositis reperiri, perfectionis est; licèt ipsam plurificari in iis sit imperfectionis: Ergo primum est Deo tribuendum, excluso secundo. Id autem solùm fieri potest ponendo plures in vna essentia personas. Tertiò denique natura, quæ est in vno tantùm supposito, est limitata: quod non competit naturæ diuinæ.

2. Sed hæc nihil omnino valent, vt Durandus ostendit. Et ad primum dico. Notum quidem est lumine naturali, Deum, & intelligere, & velle: at id ipsi competit etiam secundùm naturam considerato, & vt abstrahenti à personis, nec quicquam habenti operatum, productumve physicè. Quòd autem sit in Deo intelligere, & velle notionale cum physica productione, nisi reuelatio doceat, ratio naturalis ignorat. Ad secundum, quòd creatæ naturæ necessariò debeant in pluribus suppositis plurificari; non apparet lumine naturali, id earum ita esse proprium, & ita imperfectum, vt non etiam naturæ increatæ, si habet plures personas, competat: neque hanc seclusâ reuelatione apparet posse in pluribus suppositis, nisi plurificatam, reperiri. Ad tertium denique respondetur sic. Natura diuina intelligeretur esse illimitata, quamuis esset in vnico supposito, sed penitùs illimitato. Quemadmodum non censetur limitata quòd in tribus tantùm, & non pluribus sit suppositis, quia scilicet illa supposita, quamuis in numero limitato, sunt in se illimitata.

3. Non sunt minùs futiles rationes, quibus Remundus Lullius *in lib. de articulis fidei*, & alibi affirmat articulos nostræ fidei posse demonstratiuè probari, & nominatim Trinitatis mysterium, pro quo sic argumentatur. *In diuina bonitate est actus bonificandi, seu bonificare: est item bonificatiuum, ac tandem bonificabile. Hæc autem sunt verè tria distincta, quandoquidem inter illa est necessariò concordia, est & æqualitas; concordia enim & æqualitas non potest esse nisi inter plura distincta.* Postquam sibi probare visus est, esse tria distincta in diuina bonitate, deinceps ostēdit illa tria esse Patrem, Filiū, & Spiritum sanctum. Quia *in Deo bonificare, bonificatiuum & bonificabile habent summam perfectionem: siue* (vt ipse loquitur) *bonificare est in maioritate actus, bonificatiuum in maioritate actionis, bonificabile in maioritate passionis. Vt porro hoc sit, oportet, bonificatiuum quidem esse Patrem; nam actio perfectissima est generare: bonificabile autem esse Filium; nam passio perfectissima est generari: ac tandem bonificare esse Spiritum sanctum; nam actus bonificandi non potest esse perfectissimus & infinitus sine amore.* Ecce Lullianæ scholæ demonstrationem, in qua nihil euidentius, quàm illam obscurissimam esse, & ex perpetua allucinatione in omnibus suis partibus constare. Supponit passim quod probandum est, & quædam includit non tantùm ridicula, sed etiam dura, & periculosa circa fidem. Licet Vasquez *in 1. p. disp. 133.* conetur eius non tantùm personam (quam equidem existimo notari nullatenus oportere, cum habeatur illustri fuisse in Deum pietate) sed etiam doctrinam vt minùs absurdam defendere, contendens illi falsò adscribi quòd putarit

Trinitatis

Trinitatis mysterium probari posse demonstratione purè naturali, nec supponente reuelationem. Cùm tamen prædictus Emericus apud Patrem Ruis hæc ipsius Lullij esse verba testetur: *Fides est necessaria hominibus insciis, rusticis, ministralibus, & non habentibus intellectum eleuatum qui nesciunt cognoscere per rationem: sed homo subtilis faciliùs trahitur per rationem, quàm per fidem*, &c. Diciturque Bullam à Gregorio vndecimo emanasse, damnantem huius authoris errores, quos item Parisiis à sacra Theologiæ facultate damnatos fuisse asserit Gerson *alphabeto 16. litera D.*

4. Ex absurditate rationum, quæ ab vllis hactenus proferri ad probandam demonstratiuè Trinitatis existentiam potuerunt, satis nos ipsa docet experientia, summam Dei perfectionem supra omnes intellectuales hominum vires eleuari, iuxta illud Psalmi 138. *Mirabilis facta est scientia tua ex me* (hoc est supra me, ממני) *confortata est* (נשגבה exaltata, & eleuata est) *& non potero ad eam* (peruenire.) Quod cum de iis etiam, quæ ad diuinitatem & perfectiones eius absolutas pertinent, sit suo modo verum; tum de trium personarum in substantiæ identitate cõiunctarum distinctione, summóque mysterio Trinitatis verissimum est. Cuius rei rationem optimam reddit Sanctus Thomas *q. 32. art. 1. in corp.* Cùm enim homo in cognitionem Dei non possit vi sua naturali peruenire, nisi ex creaturis, creaturæ autem non ducant in Dei cognitionem, nisi vt effectus in causam; sequitur ea solum de Deo naturaliter cognosci posse, quæ competunt ei, secundùm quod est ipsarum creaturarum causa. Atqui Deus non est causa creaturarum vt trinus, & secundùm proprietates personales, sed tantùm vt vnus, hoc est secundùm sapientiam, bonitatem & omnipotentiam. Homo igitur vi sua naturali potest ea quidem, quæ pertinent ad vnitatem essentiæ cognoscere de Deo, nullatenus autem proprietates distinctarum personarum. Vt enim qui cæcus est, non potest odore rosæ cognoscere colorem eius, pulcritudinisque fulgorem, quia color se habet impertinenter, & per accidens ad odorem prout à naribus perceptum: sic noster intellectus cognoscens creaturas, & omnipotentiam, ex qua prodeunt, non esset cur de Trinitate cogitaret. Nec enim verum est, quod Theologi non pauci docuerunt, in quidditate conceptuque omnipotentiæ, quæ creaturas produxit, & quæ personis omnibus diuinis communis est, includi potentiam generandi, spirandique ad intra.

5. Addit apposite Doctor Angelicus, illum qui ratione naturali probare nititur Trinitatem Personarum, derogare, cùm dignitati fidei, quæ est de rebus inuisibilibus, & rationem humanam excedentibus; tum vtilitati trahendi alios ad fidem. Quando enim aliquis ad probandam fidem inducit rationes, quæ non sunt cogentes, cadit in irrisionem Infidelium existimantium nos huiusmodi rationibus inniti, & propter eas credere. Quæ igitur fidei sunt, probari debent per solas authoritates iis, qui authoritates suscipiunt; apud alios verò sufficit defendere, non esse impossibile, quod prædicat fides. Hæc ferè Diuus Thomas, subscribuntque omnes Theologi. Qui fundantur in Scriptura proponente variis locis hoc mysterium tanquam omnino abditum, quodque sola diuina reuelatione cognosci potuerit, vt Matthæi 11. *Nemo nouit Filium nisi Pater, & cui voluerit Filius reuelare.* Quod ipsum habet his verbis Lucas

cap. 10. *Nemo scit quis sit Filius, nisi Pater; & quis sit Pater, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Huc pertinet illud Isaiæ c. 63. *Generationem eius quis enarrabit?* Quare quod imaginari posset aliquis, patet merum esse delirium, nempe in Trinitate non multò plus esse difficultatis, quàm in rebus illis creatis, in quibus entitas sine sui multiplicatione identificatur cum modis ab ipsa indistinctis, & inter se distinctis realiter. Eadem enim cera, exempli gratià, in tribus posita locis potest in vno esse rotunda, in altero triangularis, in tertio quadrata. Vbi apparent tres figuræ distinctæ realiter, & vna simplex entitas non multiplicata, nisi virtualiter, eo modo quo in Trinitate diuinitas. Id, inquam, vel ipsis est auribus respuendum, & indigna comparatio. Falsum verò est prædictas figuras indistinctas realiter ab entitate, realiter inter se distingui.

6. Quàm sit à creaturarum intelligentia distinctum istud mysterium, docent etiam Sancti Patres, ex quibus Hilarium citat & Ambrosium Diuus Thomas suprà. Possumus iterum afferre Hilarium *lib. 2. de Trinitate*, sic loquentem ante medium: *Ego nescio, non requiro; & consolabor me tamen: Archangeli nesciunt, Angeli non audierunt, sæcula non tenent, Propheta non sensit, Apostolus non interrogauit, Filius ipse non edidit.* Basilius *epist.* 43. ait, *nullam mentem posse diuinarum personarum vnitatem & discretionem apprehendere.* Irenæus *lib. 2. c.* 48 hæc habet: *Neque homines, neque Principatus possunt cognoscere mysterium diuinæ generationis, vt scriptum est Isaiæ cap. 53.* Eandem veritatem sæpiùs indicat Nazianzenus in quatuor iis, quas de Theologia scripsit, orationibus. Nyssenus libro ad Ablabium, quòd non tres Dij, sic hanc veritatem ex professo demonstrat ante medium, vt dicat, *quia Deus solùm cognoscitur per creaturas, propterea nullum esse nomen Dei nisi in ordine ad operationes ad extra.* Denique, omissis aliis, pulcrè Dionysius *de diuin. nom. c.* 13. sic loquitur: *Nulla monas, aut trias, neque numerus, aut fœcunditas, nec quicquam aliud eorum, quæ aut sunt, aut cogitata sunt, arcanum illud summa, omniaque superantis diuinitatis, quod rationem omnem mentemque vincit, enunciat: neque eius nomen est, neque ratio; sed in iis, ad quæ aditus non patet, secreta est.*

7. Ex his authoritatibus, & ex ratione Diui Thomæ superiùs allata habemus Trinitatem non solùm hominibus, sed etiam Angelis ita esse incognitam, vt nullo naturali, sed solo reuelationis supernaturali lumine deprehendi, persuaderique possit. Tam enim remotum est à naturali lumine, personalitates, quæ cum natura indiuisibili identificentur, & sint vnum quid simplex cum illa, distinctas esse realiter inuicem, vt id nunquam in mentem vlli, seu homini, seu Angelo venire per se potuisse videatur; quod si fortè alicui ea cognitio suborta fuisset, illam sine dubio spreturus esset, tanquam de ente chimærico; & nequidem per suspicionem vllam probabili. Vtrum verò id non tantùm de Angelis nunc productis, sed etiam de omnibus possibilibus creaturis intellectualibus dicendum sit, non ita certum est, cùm sint Theologi, qui velint non repugnare creaturam, cui visio Dei sit connaturalis, vel etiam essentialis.

8. Quandoquidem id non putant repugnare creaturæ, quà tali; nam compositum, seu concretum ex humano intellectu & ex lumine gloriæ est

eſt creatura: & tamen illi concreto naturalis eſt viſio eſſentiæ diuinæ, poſſeſſioque hæreditaria bonorum Dei: nec apparet, cur perfectio totalis, quæ reperitur in compoſita illa creatura, non poſſit reperiri in creatura ſimplici, ſeu in quodam ſummè perfecto Angelo. Non autem obeſt, quòd in eo caſu talis Angelus foret naturaliter hæres Dei, & poſſeſſor bonorum eius, ac per conſequens videretur eiuſdem eſſe filius naturalis. Negandum enim eſſet in eo caſu illum fore eodem modo naturaliter filium Dei, quo Verbum diuinum, quod & ens neceſſarium eſt, & à ſolo Patre, & ab omni æternitate, & conſubſtantiale per ſolius perſonalitatis, non autem naturæ, productionem, &c. Quorum nihil competeret prædicto Angelo, qui fuiſſet non à ſola prima perſona, ſed à tota Trinitate productus, per liberam creationem, quæ poſſet non eſſe ab æterno, foretque cum eſſentiali ſubſtantiæ ſuæ dependentia, &c. Quare licèt non foret in eo ſenſu adoptatus, vt non eſſet ei naturaliter debita poſſeſſio bonorum Dei; foret tamen perſona Trinitati extranea, & per gratioſam creationem velut adoptata. Porrò ad cognoſcendum Trinitatis myſterium non alio modo eſſet expers reuelationis, quàm quo nunc omnes in cœlo Beati. Sed quicquid tandem ſit de talis creaturæ poſſibilitate iuxta nonnullorum ſententiam, quam ventilare non eſt huius loci; aſſero tanquam certum, quòd nullus intellectus, qui ſit iam productus, poteſt ſine aliqua reuelatione exiſtentiam Trinitatis cognoſcere, vel ſuſpicari.

CAPVT III.

Vtrum ab eo, qui reuelationem ſupponat de exiſtentia Trinitatis, poſſit inueniri aliquod medium, quo illa euidenter demonſtretur, aut quod ſit congruum ſaltem, atque probabile.

1. PRofitetur paſſim Richardus Victorinus in libris de Trinitate (à cuius ſententia nec Hugo item Victorinus, nec Aureolus diſcrepant) ſe argumenta proferre poſſe in huius myſterij probationem tam manifeſta, vt nemo ſanæ mentis queat iis contradicere. Præſupponit tamen diuinam reuelationem, ac fidem, vt patet ex eo quod inter alia *lib. 5. c. 1.* ſic ait: *Studeamus nunc in his, vt in aliis antè iam dictis, vt quod tenemus fide, detur nobis ratione apprehendere, & demonſtratiua certitudinis atteſtatione affirmare.* Verùm ille argumenta (nimiùm iis tribuens) vt conuincentia proponit, quæ mox à me proferentur vt ſolùm congruitatem habentia, quæ ſcilicet, poſtquam aliquis diuina reuelatione fuerit edoctus, poſſint eum ad credendam huius myſterij veritatem confirmare. Quemadmodum poſtquam deprehenſum eſt aliquod facinus fuiſſe commiſſum à certo quodam homine, poſſumus nonnulla ſigna probabilia, quæ vel præceſſerint, vel ſubſecuta ſint, attendere, quibus in eius, quod certò cognitum eſt, perſuaſione firmemur. Illa tamen argumenta, quæ reuelationi adiunguntur, nullam addunt ipſi reuelationi vim aut intrinſecam claritatem; nec intellectum introducunt ad id, quod reuelatum eſt, cognoſcendum interiùs;

ſed ſupponunt rem, de qua eſt quæſtio (conſideratam per ſe antecedenter ad reuelationem) non eſſe de facto impoſſibilem, ideò ſolum, quia oſtendi nequit impoſſibilitas; cùm tamen citra reuelationem ea non ſit bona conſequentia; multa enim ſunt, in quibus implicantiam poſſumus aliquam ſuſpicari, licèt nullus eam poſſit oſtendere.

2. Sanè quantumvis mens per lumen reuelationis factæ de Trinitate eleuetur, vt cum tali lumine Trinitatem ipſam norit; non tamen propterea eleuatur, vt hanc norit per medium quod ſit abſque tali lumine; quamuis illud medium habeat aliunde lumen ſupernaturale & ſit reuelatum, quale medium eſt quod afferemus paulò poſt, ſumptum ex diuina bonitate, charitate, felicitate, &c. Quod ſi medium afferatur non reuelatum, ſed habens duntaxat naturale lumen, conſtat non poſſe mentem eleuari, vt per illud ad cognitionem Trinitatis perueniat. Sicut licèt aquam ſupponamus eleuari ad producendam phyſicè gratiam in baptiſmo; non tamen concedemus poſſe eleuari vt per ſuam vim naturalem producat gratiam. Ita nec intellectus, qui per ſupernaturalem rationem (ſcilicet reuelationem) eleuatur ad cognoſcendam Trinitatem, eleuari poteſt ad hanc per naturales rationes cognoſcendam; præſertim cùm naturales rationes, quæ pro exiſtentia Trinitatis pugnarent contra rationes, quibus Trinitas videtur impoſſibilis, ſuperarentur haud dubiè ab iſtis, nec eas valerent elidere.

3. Huc facit quod Sanctus Thomas optimè ait *q.32. art.1.ad 2.* dupliciter poſſe rei alicuius rationem induci. Primo ad probandam eius radicem, & exiſtentiam ipſius rei. Altero modo induci ratio poteſt, non quæ ſufficienter probet radicem, ſed quæ radici iam poſitæ oſtendat congruere conſequenter effectus, & alia adiuncta. Sicut in Aſtrologia ponitur ratio eccentricorum, & epicyclorum, ex hoc, quod hac poſitione facta poſſunt ſaluari apparentia ſenſibilia circa motus cœleſtes. Non tamen ratio hæc eſt ſufficienter probans, quia fortè alia poſitione facta ſaluari poſſent. Primo ergo modo induci ratio poteſt ad probandum Deum eſſe vnum, eſſe potentem, &c. Sed ſecundo modo ſe habet ratio quæ inducitur ad manifeſtationem Trinitatis: quia ſcilicet Trinitate poſita congruunt huiuſmodi rationes; non tamen ita quòd per has rationes ſufficienter probetur Trinitas perſonarum. Et hoc patet in rationum earum congruarū enumeratione.

4. Quarum rationum aliquas Richardus Victorinus adducit, & elegāter explicat. *In Deo* (inquit *lib.3.c.2.*) *eſt totius bonitatis plenitudo. Vbi autem totius bonitatis plenitudo eſt, vera & ſumma charitas deeſſe non poteſt: nullus autem pro priuato ſui ipſius amore dicitur propriè charitatem habere; oportet itaque vt amor in alterum tendat, vt charitas eſſe poſſit. Sed amor & charitas, quæ ſumma ſit, non poteſt eſſe in Deo circa creatam perſonam: inordinata enim illa charitas foret, ſi ſumma eſſet. Vt enim charitas ſumma ſit, oportet vt ſit tanta, quæ non poſſit eſſe maior. Vt ergo in diuinitate plenitudo charitatis poſſit locum habere, oportuit aliquam diuinam perſonam conſortio perſonæ condignæ non carere.* Vnde tandem quaſi poſt demonſtratiuam probationem ita concludit Richardus: *Vide ergo quàm de facili ratio conuincit, quòd in diuinitate pluralitas perſonarum deeſſe non poteſt. Plenitudo diuitatis non potuit eſſe ſine plenitudine bonitatis: bonitatis verò plenitudo, non potuit eſſe ſine*

charitatis

charitatis plenitudine: nec charitatis plenitudo sine diuinarum personarum pluralitate.

5. Postea pergit alteram, vt sibi videtur, demonstrationem conflare ex plenitudine diuinæ felicitatis eo modo, quo antè ratiocinatus est ex plenitudine charitatis. Quasi nempe felicitas esse nequeat absque iucunditate ex personarum consortio, quæ se mutò, diligant, vt altera sit amorem impendens, & altera amorem rependens. Prætereà demonstrationem conatur ex plenitudine gloriæ diuinæ conficere. Non enim haberet Deus, vnde gloriari, & vnde glorificari posset, nisi esset persona, cui plenitudinis suæ abundantiam communicaret. Quid enim gloriosius, quàm nihil habere, quod nolit communicare? His eo, quo retulimus, modo explicatis, illas suas, quasi demonstratiuæ essent, ratiocinationes ita claudit prædictus author cap. 5. *Ecce de pluralitate diuinarum personarum tam apertâ docuimus ratione, vt insania morbo videatur laborare, qui tam euidenti attestationi velit contraire. Huius enim pluralitatis assertio triplici confirmatur testimonio. Nam quod summa bonitas, seu charitas; quod item summa felicitas super hac re cōcorditer clamat, id tertiò plenitudo gloriæ confirmādo acclamat. Ecce funiculus triplex, qui difficilè rūpitur, vnde phreneticus quivis fidei nostræ impugnator fortiter alligetur.* Hactenus Richardus. Sed illius ratiocinationes magis piæ sunt quàm solidæ; ac nihil facilius quàm funiculi illius triplicis nodos dissoluere, quibus putat Infideles omnes posse constrictos teneri. Neque opus est in hoc diutiùs nos immorari.

6. Porrò vt verum sit rationes suprà dictas longè abesse à vi demonstratiua; certum tamen est, præsupposita Trinitatis reuelatione, illas esse omnino congruas, & ad rem valde appositas, atque illas posse intellectum humanum (specie contradictionis, quæ in hoc mysterio contineri videtur, offensum, ac resilientem, & refugam) placare, mitioremque facere. Id, inquam, inter alias multas, quæ item proponi solent, eximiè præstant rationes à Richardo explicatæ, quas & Diuus Thomas refert, sumptas, cùm ex bonitate sui diffusiua, & quidem infinitè, si infinita sit: tum ex amicitia, quæ non potest esse absque pluralitate personam, & quidem æqualium; quandoquidem æquales amicitia, si non reperit, ipsamet facit: tum denique ex consortio; cùm summa beatitudo non videatur in solitudine posse consistere. Ex his tribus considerationibus conficitur, videri quidem plures in Deo esse debere personas. Sed dum plures æquales personas diuinas proponimus, ne socios, & collegas, æmulosque constituamus, & plurium potestatum velut æquilibrium, cum summæ authoritatis ac παμβασιλείας diminutione, inducamus; oportet illam personarum æqualitatem ad vnitatē naturæ, imperiique pertinere. Quæ omnia, vt iam innuimus, dicuntur elegantiùs, quā solidiùs. Nam qui reuelationē nō suscipiat Philosophus, dicet ad bonitatem infinitam sufficere, quod se infinitis communicare possit creaturis. Item nec beatitudinem magis minui solitudine in Deo ob vnitatem personæ, quā ob vnitatē naturæ; quæ licèt vna sit, reflectitur tamen tota in seipsam, & sibi instar infinitarum est, suos in se ipsam circuraliter reuoluens amores.

7. Præter superiores tres rationes congruas quartam post Diuum Augustinum *lib. 20. de Trinit. cap. 11. & 12.* necnon *lib. 9. c. 4. & sequent.* sumere possumus ex fœcunditate intellectu-

lectus nostri producentis verbum immanens, & voluntatis producentis terminum etiam in se aliquem. Par autem videtur, vt Deus similem aliquem intellectus & voluntatis fœcundæ terminum producat, per se subsistentem, tantoque perfectiorem quantò diuina natura nostræ supereminet. Hoc argumentum veritatem non probat, quam tamen continet; non enim vi eius, quod in intellectu aut voluntate creata fit, concluditur quicquam de Deo, cuius est diuersa omnino conditio. Addi potest quinta hæc ratio. Omnis perfectio possibilis debet competere Deo: atqui pluralitas personarum est summa quædam perfectio: ergo debet competere Deo, nisi sit impossibilis. Quod autem non sit impossibilis, patet ex eo quod non possit ostendi impossibilitas. Confirmatur. Nam vis generandi prolem sibi in natura similem est magna perfectio. Ergo eâ Deus, qui alios generare facit, non debet carere, iuxta illud Isaiæ vltimo: *Numquid ego qui alios parere facio, ipse sterilis ero.*

8. Denique in sextā rationem cogi possunt multæ similitudines, quibus sancti Patres, & Doctores vtuntur ad mysterium istud nostro modo vtcumque exponendum. De iis agit Ruis *disp.* 44. vbi ait ex luminosa substantia Solis, ex igne, ex iride, ex fonte, arbore, lucerna, fragrantia multos Patres argumentum sumpsisse. *Typus Patris est orbis solaris* (ait Athanasius in quæstionibus, *quæst.* 4.) *typus Filij est radius; typus Spiritus sancti est lumen solis. Proinde dic ita: In Sole est orbis, radius & lumen; non dicimus autem tres soles, sed vnum. Similiter & in Deo, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, vnus Deus, & non tres.* Concilium Nicænum *lib.* 2. §. audi iam. *Cùm sensibilis,* inquit, *iste ignis natura vna, sine substantia sit, trinitas est in eodem, ignis, splendor, lumen: & nihil inuenitur altero prius esse; sed à se inuicem separari non possunt.* Dionysius *de diu. nom. c.* 2. ait tres personas esse velut tria lumina, quæ splendentia ex tribus lucernis in aëre, sunt ita coniuncta, vt lumen vnum efficiant; cùm tamen simul conseruent aliquam distinctionem; siquidem vnâ detractâ lucernâ, lumen illius proprium recedet, duarum aliarum luminibus remanentibus. Gregorius Nyssenus *libro de differentia essentiæ & hypóstaseos,* vnitorum & velut confusorum colorum distinctionem, quæ in iride apparet, comparat Trinitati. Et ad eundem Gregorium scribens frater eius Basilius sic ait epistola 43. *In iridis exemplo, quæ multicolorem fulgorem illustrat, vna quidem est visa per solarem radium refracta ac reuerberata; floridus verò color qui visitur, multiformis est.* Denique omissis, vt breue faciam, exemplis similitudinum ex fonte, arbore, lucerna, fragrantia, quæ videri possunt apud Ruis, ea fusè prosequentem, docet Augustinus *lib.* 6. *de ciuit. c.* 10. reperiri in omnibus creaturis velut aliquod Trinitatis vestigium, quatenus in iis est origo, pulcritudo, delectatio, quas tribus personis accommodat. Quatenus item omnis creatura requirit triplicem causam, nempe efficientem, quæ tribuitur Patri; exemplarem, quæ filio; finalem, quæ ratione bonitatis Spiritui sancto. Quatenus etiam in omni ente reperitur vnum, verum, bonum: necnon essentia, virtus, operatio: & similia.

9. Sed cùm in aliis creaturis non sit Trinitatis nisi vestigium, expressiorem quandam eius speciem homo videtur habere; vtpote creatus ad imaginem & similitudinem non vnius solius personæ, sed omnium. Non enim

enim ad vnam, sed ad plures pertinet illa per verbum plurale sententia, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Anima est effigies Patris* (inquit Athanasius in quæstionibus suprà citatis.) *Ratio animæ refert Filium: Spiritus autem animæ* (hoc est flatus) *repræsentat Spiritum sanctum.* Origenes *homilia 2. in varios*, sic habet: *Vt is homo, qui loquitur, in verbo quod loquitur, necessariò spiritum proflat: ita Deus Pater, & Filium suum gignit, & Spiritum suum per Filium genitum producit.* Bellè Athanasius suprà citatus nititur similitudine à nobis *num. 7.* relata ex Augustino, quæ sumitur ab intellectu nostro producente verbum immanens, illamque miscet cum similitudine verbi transeuntis & ore prolati, vt duplicem explicet Verbi generationem; eam scilicet quæ in æternitate, & eam quæ in tempore facta est: *Quemadmodum sermo hominis duas habet generationes*, inquit, *vnam ex anima, & alteram ex labiis; ita etiam Dei sermo duas habet generationes, vnam quidem ex Deo Patre, alteram ex carne. Et quemadmodum sermo noster quando natus est ab anima, obscurus est, & non aperitur; ita Dei sermo ante sæcula natus non manifestabatur hominibus. Et quemadmodum sermo noster, quando vo umus nascitur ex labiis nostris, ita & Dei sermo quando ei visum fuit, natus est ex labiis Prophetarum, & ex ter castissima Maria, & factus est manifestus.* Sed præcipuè in iis quæ magis spiritualia sunt in homine, Trinitatis similitudo consistit; nempe quòd mens seu intellectus, aut (sicut loquuntur aliqui) memoria, Patrem; notitia, intellectio, seu sermo internus, Filium; amor seu volitio, Spiritum sanctum repræsentet.

10. Aduerte, cùm in superioribus dixi non posse, præsupposita etiam reuelatione, inueniri rationes, quæ Trinitatem certò probent, id intelligendum esse de rationibus, quæ desumantur ex latitudine rerum naturalium. Nam non dubito, quin sint aliquæ res supernaturales, ex quarum cognitione sibi concessa intellectus posset euidenter concludere existentiam Trinitatis, seu cognoscere Trinitatem, quantum attinet ad quæstionem, An est. Si enim aliquis euidenter, intuitiueq; cognosceret factam cuipiam alteri, quàm sibi à Deo reuelationem; is posset ex talis reuelationis visione inferre scientificè veritatem huius mysterij, sic argumentando. Quicquid Deus reuelat, verum est: Deus reuelat Trinitatem: ergo, &c. Quod non tantùm de possibili affirmat Durandus *in 3. dist. 22. q. 9. 11. 12.* sed etiam vult contigisse de facto Angelis, quando reuelationem initio acceperunt. Imò locum id habere etiam in damnatis vult Bassolis *quæst. 1. prologi, art. 2.* Nam illi, vt dæmones, credunt & contremiscunt. Sabellius ergo, Arius, &c. qui sentiunt se damnatos, quia mysterium Trinitatis impugnarunt, sunt euidenter conuicti illud esse verum. Præterea posset Deus paruo tempore claram suæ Trinitatis visionem concedere alicui, & deinde eripere. In quo casu is habere posset memoriam illius visionis, atque ex ea euidenter inferret huius mysterij existentiam. Quod etiam faceret, qui visionem beatificam, quam hab t diuinarum personarum Dinus verbi causâ Petrus, intueretur. Is item qui videret vnionem aliquam factam cum tribus hypostasibus, quiquid in contrarium opinetur Vasquez *disp. 135. cap. 3. & 4.* & contra illum constat per se (vt bene Cuniga *disp. 7. dub. 3.*) quòd quando

maior & minor sunt euidentes, conclusio de Trinitate non potest non esse euidens, etiamsi medium sit extrinsecum. Ita qui non intelligens nunc propositionem aliquam mathematicam, audiret Deum sibi euidenter dicentem quòd illa propositio vera sit; vel certò recordaretur se ipsum habuisse aliàs demonstrationem, quam tamen non posset in memoriam distinctè reuocare, vel qui intueretur assensum quo Beatus tali propositioni assentiretur; is euidenter per illa media extrinseca concluderet propositionis prædictæ veritatem. Constat etiam per se contra eundem authorem, non posse intuitiuè cognosci ab aliquo tres cum tribus diuersis personis vniones, quin videat illas tres vniones esse diuersæ rationis, & ad personas distinctas terminari.

11. Ex hactenus dictis colligitur, tum homines, tum Angelos nihil posse de mysterio Trinitatis cognoscere, aut cogitare, nisi præsupposita reuelatione; sed nec post reuelationem posse illius existentiam euidenter ostendere per rationes naturales. Superat enim naturalem omnem rationem, quòd tria realiter inter se distincta queant cum vno tertio indiuisibili identificari realiter. Non tamen existimandum est, quod aliqui affirmarunt, mysterium istud aduersari lumini naturali, & esse non tantùm supra, sed etiam contra rationem. Nam si esset contra rationem, oporteret, vt ratio posset ostendere contrarium. Atqui id non potest. Non enim potest ostendi quod re non est. Prætereà cùm Deus sit author luminis naturalis, est impossibile, vt tale lumen nos inclinet ad eam falsitatem, quæ destruat modum intrinsecum existentię ipsius Dei; sic enim Deus se ipsum negaret. Estque considerandum, quod lumen naturale non aliter dici potest inuenire repugnantiam in mysterio Trinitatis, nisi quatenus inuenit in omnibus creaturis repugnantiam, vt ea sint idem inter se, quæ sunt idem in vno tertio. Atqui inuenire in omnibus creaturis repugnantiam aliquam, non est eam inuenire in ipso Deo; cùm Dei, & creaturarum sit valde diuersa conditio. Igitur humana ratio nihil potest aliud contra hoc mysterium pronunciare, quàm se nihil ei simile in creaturis reperire; atque per consequens de illo se nihil intelligere. Cùm igitur nihil deprehendat quod sit euidens contra veritatem huius mysterij, non potest aliunde non admittere illius probationem sufficienter factam per testimonia diuina credibiliter proposita.

CAPVT IV.

Quid sit iudicandum de illis qui inter infideles Græcis antiquiores quædam de Trinitate protulisse videntur fuco christianæ pietatis illita dogmata.

1. Meritò Photius *cod.* 170. illos vituperat, qui Ethnicorum somnia fœdissima, & impiorum dogmatum sordes cum sanctissimis fidei nostræ mysteriis permiscere, confundereque non verentur. Ita vt, si harum vocum aliqua, Pater, filius, mens, νοῦς, λόγος, ὄν, τ' ἀγαθὸν, vel simile quodpiam verbum, quo nos vtimur dū fidei nostræ de Trinitate veritatē explicamus, in prophanorum scriptis Philosophorum occurrat, Christi nostrorum dogmatum puritatem, ceu gemmam pretiosissimam in illis se sterquiliniis reperisse magnis exclament admirationibus. Illis similes qui vel in

in parietis maculis, vel in sublimi concreti aëris opacitate, dum collectus humor in nubem cogitur, sibi figuras hominum, concursus, pugnasve fingunt, & imaginariâ picturâ seu purpuratos in solio Reges, seu trabeatos infulatosque Pontifices describunt. Iis item similes, qui in æris campani sono audire se putant quascumque cogitant voces ac locutiones. Sic, inquam, illis euenit, dum scripta eorum legunt, qui sapientes vulgò inter Gentiles vsurpantur, & à quibus christiana sapientia magis, quàm lux à tenebris distat. Nam quodcumque ibi verbum tinnit Christianos inter vsitatum, cum ipsius verbi syllabis audire se etiam putant consonam nostris sententiam dogmatis: ἐπιχειροῦντες, inquit Photius, εἰς συμφωνίαν ἄγειν ἃ πλέον πρὸς τὰ ἡμέτερα, ἢ τὸ σκότος πρὸς τὸ φῶς διέστηκεν. *Conantes violentis interpretationibus errores impios ad nostra scita trahere, ac religione consecrare Christiana.* Quoniam verò, quæ ex prophanis illis infidelium monumentis afferri solent, tanquam vera de Dei Trinitate testimonia, expediri paucis non possunt, vt eorum error, latensque impietas detergatur; idcircò de iis præsenti capite dicemus, qui ante Græcorum ætatem visi sunt personarum in Deo pluralitatem agnoscere; Græcorum verò Philosophorum ea de re sententiam capite proximo coarguemus.

2. Chaldæi quidem fuère primi, qui traditam à Noëmo de rebus diuinis doctrinam acceperunt, & immixtis, quà magiæ, quà idolatriæ impietatibus inquinarunt, atque corruperunt. Ex eorum Theologia, & Zoroastræorum sententiis Eugubinus *lib. 1. perennis Philosophia*, refert hoc dictum velut continens, si Deo placet, christianam de Trinitate doctrinam; σύμβολα πατρικὸς νοῦς ἔσπειρε ταῖς ψυχαῖς: vbi cum Psello Christiano Philosopho per νοῦν πατρικὸν, seu Patris mentem putat intelligi secundam Trinitatis personam, quæ animabus hominum inseruerit symbola & signa diuinitatis; hoc est, fecerit hominem (iuxta id quod ait Moses) ad imaginem, & similitudinem suam. Sed illa Chaldaïca, Zoroastræaque matæologia verè nihil aliud est quàm Mosaïcæ Thologiæ corruptio.; nec tam est quædam ad hanc allusio, quàm Gentilitiæ vanitatis illusio. Longéque fallitur opinione sua Eugubinus, si in illo à se allato Chaldęorum dicto Mentem & eius Patrem duas interpretatur eo modo quo Ecclesia credit, in Deo personas, & non potiùs eo modo, quo pluralitatem Deorum idololatræ fingebant. In eo porrò matæologiæ genere Ægyptij famâ, & omnium sermone celebratiores extiterunt; atque in iis nullus æquè nobilitatus fuit, ac Mercurius Trismegistus, cuius vt impietas quandam Religionis, seu Theologiæ speciem habens detegatur; operæpretium duxi nonnihil de Ægyptiorum sapientia præmittere, cui fastigium ille imposuit, & ex qua Græci suam habuerunt.

3. Igitur vetustatis monumenta testantur, in Ægypto reconditioris cuiusdam eruditionis professionem viguisse. Nec diffitentur Græci à Barbaris, præcipuè verò Ægyptiis, se mutuatos fuisse disciplinas, quibus maximè floruerunt. Disertisque verbis Laërtius ipso sui operis initio affirmat τὸ τῆς φιλοσοφίας ἔργον ἀπὸ βαρβάρων ἄρξαι. Quare ipsos Ægyptios perpetuam Græcis infantiam exprobrasse testatur Plato; cùm in Timæo Solonem ait ex Ægypto reuersum

ſum Critiæ retuliſſe hæc verba, quæ ex quodam Ægyptio ætatis integræ Sacerdote audiuiſſet. *O Solon, Solon, vos Græci per ætatem pueri eſtis; nec quiſquam Græcus ſenex eſt. Semper eſtis iuuenes mente; in qua nulla eſt à priſcis accepta opinio, nulla cana ſcientia.* Quod ſanè dici meritò potuit donec & ipſe Solon & Plato & Pythagoras, aliique præcipui, extra Græciam peregrinati decerptos ex priſca Ægypti Philoſophia, quos in ſua patria ſererent, ſurculos detulerunt. Ἑλλήνων γὰρ, (inquit Plutarchus *lib. de Iſid. & Oſir.*) σοφώτατοι Σόλων, Θάλης, Πλάτων, Πυθαγόρας, καὶ Λυκοῦργος ἀφικόμενοι συνεγένοντο τοῖς ἱερεῦσιν Αἰγύπτου.

4. Antiquiſſimam enim humanæ, prophanæque ſapientiæ ſtirpem in Ægypto primis poſt mundi eluuionem temporibus ſeminatam à Chamo eſſe, ac deinde aſſidua cultione ab huius filio Mitſraimo propagatam, prima humani generis monumēta teſtantur. Μετίασιν οἰκείαν τινὰ φιλοσοφίαν Αἰγύπτιοι, ait Clemens Alexandrinus *lib. 6. ſtrom.* Nec defuit quædam ſimilitudo eius ſapientiæ, quæ Religionis ſanctitatem præcipuè ſancit; quam illo tantoperè decantato hieroglyphicæ doctrinæ choragio decorarunt, & ne quorumcunque hominum cognitione pollueretur, obſcuris eam inuoluerunt ænigmatis. Qualis autē ea ſapientia, religioque fuerit, deſcripſit Abenaphius Arabico ſermone, citatus à Kierchero: *Cham filius Noë docuit*, inquit, *idolorum cultum Ægyptios, & introduxit in mundum falſas artes & ſuperſtitiones; vti magiam & inſpectionem fatorum ex aſtris. Præterea malos faſcinando & incantando decipiebat, diuinos honores ita ſibi conciliāis. Ob quæ & Zoroaſtres, & Oſiris* (hoc eſt, ignis vigens, ſeu ſimulacrum viuum ſyderis) *vocatus eſt.* Ex his patet, verum probabile ſit, potuiſſe vllam veræ Trinitatis cognitionem ad poſteros fluere ab illo Ægyptiacæ fonte ſapientiæ. Ad cuius augendam authoritatem, multa, quæ veram Philoſophiam, Theologiamque ſaperent, & admirationem apud Chriſtianos aliquos habuerint, immixta ſunt à Mitſraimo.

5. Cùm enim à Noëmo ipſius poſteri admirabilem de Deo, de bonis maliſque dæmonibus, de mundo, eiuſque conſtructione, &c. ſcientiam hauſiſſent, impiis ea ipſi, quæ ſancta, diuinaque audierant, miſcuere figmentis: atque ita execrandum quendam multiformis doctrinæ cinnum ſiue (vt ita loquar) בלאים exhibuerunt. Quod quidem ingenioſiùs, & ad Theologiæ ſublimioris ſpeciem Mercurius ille Triſmegiſtus omnium ore celebratus præſtitit. Fuit is Chananæâ ſtirpe ortus; & ingenium, cuius magnitudinem à natura mirabilem acceperat, exercuit in eorum commentatione, quæ ex multa cum ipſo Noëmo eiuſque filiis congreſſione hauſerat de authore, naturaque mundi, & aliis omnibus, quæ Theologia, Philoſophiaque complectitur. Quapropter illum Arabes Idrin, hoc eſt diſputatorem, nominarunt; vt Phœnices Tautum; Ægyptij Touth; Græci Ἑρμῆν τρισμέγιστον. Apud Platonem ſemper vocatur Θεύθ. Hunc, ne plura adiiciam, Alexandrinum chronicon memorat, poſtquam in Italia verſatus aliquot annos fuiſſet, primuſque auri conflandi, cælandi, ſignandi rationem in occidente reperiſſet, in Ægyptum ſe contuliſſe ad Chamum Noëmi filium; atque cùm ab hoc honorificè fuiſſet receptus, magnam apud ipſos Ægyptios admirationem habuiſſe, dum præ ſe omnes contemneret, aureum amiculum indutus philoſo-

philoſopharetur, & multa prænunciaret ventura: quapropter populum religioſos honores ei decreuiſſe, Mercuriumque Deum proclamaſſe.

6. Illo velut ſcribâ, miniſtroque vſus eſt Mitſraimus. Eumque, vt teſtatur chronicon idem Alexandrinum, regni poſt mortem reliquit procuratorem, filiique in tenera ætate tutorem. Sed populi ſuffragio Rex fuit quinquaginta annis ob ſingulares animi dotes. Eius doctrinam fucatam, & ex Gentilitia vanitate concretam, trigintaque ſex libris comprehenſam, poſt iuratum magnum taciturnitatis iuramentum, ſumma fide, religioneque clauſam tenebant Sacerdotes, qui ferè omnes erant magi. Obſeruandum verò eſt, poſtquam Chamus diſceſſit è vita, fuiſſe tam magnum veri Dei contemptum in Ægypto, vt ea tota Dynaſtia, quæ ſub tempus diluuij, vt cenſet Genebrardus, cadit (quamque Manethon ſextamdecimam, vtpote quindecim alias, quæ diluuium præceſſerant, ſubſecutam, numerat) nullum habuerit Principem, cuius memoria non fuerit per idololatriam honore diuinitatis conſecrata: quare Dynaſtia Deorum appellatur. Quali autem ſapientiâ deinceps fuerint in ſedecim reliquis Dynaſtiis Reges, patet ex perſecutione, quam contra Iſraëlitas in Dynaſtiâ Politanorum Amenophis Pharao excitauit, aliique poſt illum Reges auxere, vſque ad Cenchren Pharaonem, quem Euſebius eum eſſe putat, qui mari Rubro abſorptus interiit. Ex dictis perſpicuum eſt, reconditam illam Ægypti ſapientiam (ad quam in Regis aula Principes erudiebantur, & quam ibidem edoctus Moyſes abiecit) ſimilem fuiſſe templis ipſorum Ægyptiorum: quæ cùm propylæa ſplendida, & ſubſtructionis maieſtatem haberent mirabilem, atque auro egregiiſque picturis collucerent, nihil tamen in adytis præter mures, crocodilloſque aſſeruabant. Quibus templis omnino ſimilis debet cenſeri ea præſertim Triſmegiſti ſapientia, quæ ſpeciem præferens aſſimulatæ religionis, profert de Deo trino effata, quæ nonnullorum ita collucent oculis, quaſi aurea forent, cùm vere χολοβάφινα tantùm ſint, vtpote quibus ſubſit impietas latentis idololatriæ.

7. Talia effata ſunt quæ is audiſſe ſe narrat à Pœmandre apparente tanquam Deo, ſibique ita loquente: Ego ſum Pœmandres (quod nomen eſt idem, ac os contemplationis, ſiue myſterij) ὁ τῆς αὐθεντίας νοῦς (mens ſcilicet eius qui per ſe eſt, ſeu mens authoritatis.) Ἐγὼ νοῦς ὁ σὸς θεός. ὁ ἐκ Νοὸς φωτεινὸς λόγος, υἱὸς θεοῦ. ὁ λόγος κυρίου, καὶ Νοῦς πατὴρ οὐ διΐστανται ἀπ' ἀλλήλων. *Ego nempe mens, tuus Deus: quod autem oritur ex mente lucidum verbum, filius eſt Dei. Domini verbum, menſque Pater non differunt inter ſe.* Quod deinde diſertiùs explicans ait: ὁ Νοῦς ὁ θεὸς ἀρσενόθηλος ὤν, ζωὴ καὶ φῶς ὑπάρχων, ἀπεκύησε λόγῳ ἕτερον Νοῦν δημιουργόν. Id eſt, *mens Deus maſculam fœmineamque generandi vim habens, qui eſt vita & lux, genuit verbo mentem alteram artificem, &c.* Ac tandem, addit; ὁ λόγος ἡνώθη τῷ δημιουργῷ νῷ. ὁμοούσιος γὰρ ἦν. *Verbum vnitum eſt cum Artifice, vtpote conſubſtantiale.*

8. Idem Triſmegiſtus (teſte Cyrillo Alexandrino *lib. 1. contra Iulianum.*) aſſeruit mentem de mente & lucem de luce eſſe Dei Filium. Poſtea verò Spiritum, qui omnia contineat,

 diſtinxit

distinxit à spiritibus creatis; & processionem eius à Patre significasse videtur his verbis; *Hoc spiritu omnia opus habent, omnia enim portat secundùm dignitatem; omnia viuificat & alit, & à sancto fonte producitur.* Ex eodem Trismegisto referri solet hoc dictum, *Monas genuit Monadem, & in seipsam reflexit amorem.* Quasi velit vnum Deum Patrem produxisse vnigenitum Deum, & spiritum quo se amet. Author est Suidas *in verbo Hermes*, illum Philosophum cognominatum fuisse τρισμέγιστον, seu ter maximum, quòd significauerit Diuinitatem in Trinitate constare. Plura insuper eiusdem de Trinitate dogmata ex aliis eius libris collecta sunt ab Eugubino.

9. Ad ea quæ hìc ex Pœmandre, quasi Trinitatis explicante mysterium, adducta sunt, responderi primò posset, non deesse doctos & emunctioris naris Authores, quibus in eo libro fraus suppostoris alicuius oleat. Multaque Petauius (cuius in legendis, æstimandisque libris argutissimus est sensus) collegit *lib. 1. cap. 2.* argumenta, quibus authorem eius libri colligat nequaquam antiquum eum, qui ferè Abrahamo æqualis fuerit, Trismegistum extitisse, sed planum aliquem, atque fraudulentum circulatorem, qui exorto iam Christianismo (cuius non ignarus apparet) pseudographum illud opus, ex permixtis Platonicorum Christianorumq; placitis concretum & elucubrarit, & impium veræ falsæque doctrinæ κυκεῶνα publicarit sub nomine Mercurij Ægyptij, de quo nos pluribus suprà. Qualia eiusdem farinæ opera ipsis nascentis Ecclesiæ temporibus ementito authorum nomine ab hæreticis prodiêre. Quod si ita est, nullo alio responso indigent quæ ex Pœmandre obiiciuntur, vt Trinitatis mysterium ab Infidelibus fuisse cognitum, contra ea quæ superiori capite docuimus, ostendatur.

10. Verumtamen quia non indocti solùm, sed etiam docti multi libros Trismegisto adscriptos, tanquam eius legitimos fœtus agnoscunt, & citant, vt Cyrillus Alex. *lib. 1. contra Iulianum*, Augustinus *lib. de 5. hæres. c. 3. tomo 6.* Lactantius *lib. 4. cap. 6.* & illis ætate superior Iustinus Martyr *in Protrept.* quibus nulla fraus in authoris nomine videtur suboluisse; dicendum est nequaquam ex iis quæ nunc obiecta sunt (licèt demus veri Trismegisti verba esse) confici agnitam fuisse ab illo authore Trinitatem, qualem Catholici colunt. Cum enim Νοῦν, Λόγον, Δημιουργὸν, &c. dicit, nequaquá eos vnum esse Deum intelligit, sed plures Deos. Vultq; Λόγον, quē Νοῦς produxerit, inferioris esse fastigij, ac duntaxat secundarium Deum, vt manifestè ostendit, cum ait in libro, cuius inscriptio est τέλειος λόγος: Dominus & vniuersorum effector secundum fecit Deum, τὸν δεύτερον ἐποίησε θεόν. Præterea id patet ex Philosophorum Platonicorum, cæterorumque Græcorum placitis, quos certum est in adumbranda Trinitate nihil aliud opinatos esse, quàm quod Plato exportarat ex Ægypto, hoc est ex Trismegisti doctrina (scribit enim Iamblicus in libro de mysteriis, Ægyptios scriptores omnem suam doctrinam ipsi Trismegisto acceptam referre.) Atqui Philosophos illos Græcos capite proximo ostendemus, in sua de Trinitatis adumbratione primarium, & ab hoc factum secundarium Deum, numinisque multiplicatam naturam agnouisse.

11. Vnam

11. Vnam tamen esse ὁμουσίου vocem non dissimulauerim, quæ in prædicto Pœmandre mihi negotium exhibeat. Ea enim, cùm non à Trismegisto, nec à Christianæ religionis imperito proferri potuerit, suadet manifestam aliquam in illo libro fraudem. In eius capite 1. λόγον τῷ νῷ, consubstantialitate vniri dicitur his verbis ὁμοούσιος γὰρ ἦν; vt supra retulimus *num.7*. Quæ sanè vox non fuit eius temporis quod nostram religionem præcessit. Porrò ea difficultas soluenda est in opinione etiam Petauij, qui fatetur hunc librum ipsis ferè Apostolorum temporibus prodiisse, vtpote à Iustino martyre vicino illorum temporum citatum. Cùm tamen vox ὁμουσίου vix ante Concilium Nicænum cœpta sit in Ecclesia vsurpari, nec nisi post excitatum bellum contra Arianos: quando hi pro ὁμοιουσίῳ, & Catholici pro ὁμοουσίῳ pugnabant. Sanè ad hanc difficultatem non aliud responderi posse puto, quàm quod non videtur dubium, quin post promulgatam Nicænam fidem ea vox in illo primo Pœmandræ capite inserta fuerit ab aliquo, qui per illam fallaciam putarit se roboraturum Trismegisti authoritate Catholicam doctrinam. Nisi fortè quis dicat, ὁμοούσιον potuisse illis Trismegisti temporibus vsurpari pro identitate substantiæ generica seu specifica inter plures Deos; licèt non potuerit pro identitate indiuiduali, qualem Catholici asserunt. Denique id quod suprà obiiciebatur *num.8*. Trinitatem ab eodem Trismegisto his fuisse verbis significatam, *Monas genuit Monadem*, &c. nequaquam id huc spectat. Significatur enim duntaxat, Deum, qui vnus est genuisse mundum, qui vnus item est, & creaturas sic amasse, vt omnem amorem in seipsum retorserit.

12. Ex hactenus dictis de Ægyptiorum, Trismegistique sapientia, quæ oua pestifera & venenata sub fallaci pietatis specie peperit, quibus primùm Platonici incubuerunt, & quæ tandem Ariani excluserunt; intelligitur, quanto illi errore ducantur, qui Ethnicorum scripta fuco velut theologico colorata, & fœdissimis idololatriæ, vel etiam magiæ, aspersa maculis, tanquam diuina oracula venerantur. Qua in re admirationem mouere potest, quòd Eugubinus, & Candala, viri præclara eruditione atque doctrina exculti, Pœmandram Trismegisti eodem interpretati sunt pietatis sensu, quo si canonicas Scripturæ sacræ paginas exponerent. Sed quid Claudiano Mamerto facias? qui *lib. 2. de statu animæ*, Platonis animum sua profitetur esse admiratione maiorem; *quòd tot sæculis ante prædicatam summæ Trinitatis in gentibus vnitatem ineffabilem, ipse vnum Deum, & tres in diuinitate personas laudabili ausu, mirabili ingenio, non imitabili eloquio quæsiuit, inuenit, prodidit. Patrem Deum, paternamque mentem, necnon vtriusque amorem mutuum, vnam, summam, æquiternam, indiuisam diuinitatem non solùm ita credi oportere docuit, sed ita esse conuicit.* Non intellexit profectò dum hæc scriberet Mamertus, Platonem tres, quas celebrauit, diuinas personas voluisse totidem esse Deos: nec aliter vnam in iis asseruisse diuinitatem quàm quomodo in omnibus hominibus vniuersalem, & ideâ solum tenùs vnam commentus est naturam.

CAPVT

CAPVT V.

Quid de Platone sentiendum, aliisque Græcis, qui tres vnius naturæ personas in Deo asseruisse visi sunt.

1. CVm ex Aristotele 1. *Metaphys. cap.* 1. & ex Augustino *lib.* 8. *de ciuit. cap.* 2. duas fuisse constet priscas Philosophorum sectas, alteram dictam Ionicam, Italicam alteram; Ionicæ princeps fuit Thales Milesius. Cui ordine successerunt Anaximander, Anaximenes, Anaxagoras, postremò Archelaus, qui ex Ionia Philosophiam Athenas transtulit, auditoremque habuit Socratem, Socrates Platonem, Plato Aristotelem. Sed & Italicæ ortus, non secus ac Ionicæ ad Græcos referendus est; authore scilicet Pherecide, quem Aristoteles 4. *Metaph. cap.* 6. grauiter & seriò philosophatum esse ait. Is Pythagoram habuit auditorem; à quo magnam Italica secta claritatem nominis habuit.

2. Porrò primis temporibus, cùm adhuc Philosophia velut in cunis vagiret, nullam propriè rerum neque generationem, neque corruptionem substantialem fieri agnoscebat; sed res omnes ex solo putabat constare materiali principio, quod semper idem substantialiter permaneret: ὔτε γίνεσθαι ὔθὲν, ὔτε ἀπόλλυσθαι, ὡς τῆς αὐτῆς φύσεως ἀεὶ σωζομένης, inquit Aristoteles 1. *Metaph. c.* 3. Quare nullas generationis, nullas corruptionis causas inquirebat. Deinde tamen principium illud immutabile, tantumque materiale, ex quo singula constarent, perscrutari cœpit. Et cùm qualénam illud esset, inuestigaret, reperti sunt, qui aquam esse dixerint, ex qua omnia fiant, vt Thales; alij, qui aërem, priorem scilicet aquâ, vt Anaximenes, & Diogenes: alij, qui ignem, vt Heraclitus: alij, qui quatuor ipsa elementa (superaddentes prioribus terram) vt Empedocles. Verùm postquam ex suæ velut infantiæ cunabilis Philosophia se erexit, & circa infimas ac materiales has causas reptare destitit, oculos altiùs attollens necessariam esse aliquam efficientem superioremque causam aduertit. Non enim vllum subiectum seipsum mutari facit; nam neque lignum sedem, neque æs statuam ex seipso conficit, & elaborat. Itaque inuentum ait Aristoteles Anaxagoram, qui primus, vt in animalibus, ita in natura vniuersali mentem, siue animam inesse aliquam asseruerit, quæ efficiens causa rerum foret, omnisque in mundo ordinis.

3. Atque ad hanc quidem mentem, seu animam vniuersalem totius naturæ Galenus, licèt non satis à se notam, nec nisi confusè significatam spectabat, quando de fœtus disputans formatione dixit, eius formationis causam esse mentem, quæ ex astris in aërem & citimam hanc naturam deciderit. Eamque mentem ait *lib.* 17. *de vsu partium*, quæ vim habeat admirabilem à Sole, in omnes orbis partes extendi. *Vbique enim*, inquit, *animalia, in ipsis etiam paludibus fœdaque colluuie, formari videmus constructionem habentia dignam admiratione.* Similiter ante Galenum Hippocrates, cùm eandem vim sapientiæ ac solertiæ incredibilem suspiceret in animalium, ac præsertim hominis formatrice causa; neque aliò recurrere posset, nisi ad expirationem subtilissimam

lissimam seminis, pronunciauit illam expirationem oportere intelligentem esse rerum omnium; quandoquidem ipsam necesse est, dum partes corporis humani format, cognitione simul complecti proportiones, comparationesque vltra centum millia; quot nempe in tot partium, qualitatumque symmetria reperiuntur. Volebat scilicet Hippocrates in illa seminis expiratione mentem quandam inesse, quæ vbique reperiatur, semperque præstò sit. Atque huiusmodi mentem insidere etiam putarunt iidem medicinæ parentes membris, organisque singulis, quæ infantes, & ipsæ etiam bestiæ sic ad diuersos vsus, ad quos ea idonea sunt, adhibent, quasi singulorum ipsorum organorum, musculorumque vim nossent. At in huius rei explicanda ratione Galenum audiamus: *Summam habet admirationem* (inquit de fœtuum formatione disputans) *quomodo infantes digitum iussi vel extendant, vel constringant, licèt mouentem musculum nullum agnoscant. Quod in lingua mirabilius est.... Probabilissimum puto, eum, qui linguam nostram finxit, quicumque ille sit, vel ipsum adhuc in membris formatis permanere, vel membra ipsa animantia constituisse, quæ voluntatem principalis partis animæ nostræ intelligant.*

3. De hac mente cælitùs delapsa, quam Galenus cum Hippocrate obiter solùm, nec nisi obscurè confuseque significauit, disputarunt impensiùs cum suo Præceptore Platonici, qui eam Δημιουργόν, & rerum omnium in hoc inferiori orbe operatricem vocauerunt: atque à summo Deo, primaque mente processisse, ab eaque sibi traditam mundi procurationem suscepisse voluerunt. Postquam enim necessariam esse aliquam mentem Anaxagoras aduertit efficientem eorum omnium, quæ in rerum natura contingunt; Plato longiùs progrediens sic de illa philosophatus est, vt simul Trinitatis aliquam vmbram commentus sit. Quam vmbram incautè nonnulli Catholici pro germana, solidaque diuinarum personarum, quas Christiana Religio colit, veritate sumpserunt. Sic vt affirmare non dubitarint, ab Ethnicis ipsis Philosophis cognitam omnino, qualis in se est, diuinitatem fuisse. Nec satis Platonem admirari se posse dixerint, quòd ingenio mirabili Patrem Deum, ac simul eius mentem, seu Verbum, necnon vtriusque Amorem perspectum habuerit; atque ita τριων ὑφςατον ουσιαν esse conuicerit.

4. Ad id autem faciendum de Platone iudicium inducti sunt eo quòd ille in explicanda natura Dei (quem vnicum esse summum agnoscit) tres in eo videtur constituisse personas, vt colligitur ex Timæo, & ex epistola 2. ad Dionysium, &c. Ponit scilicet primam mentem, seu summum Deum, qui aliorum duorum diuinitatis nomine insignitorum Pater, primum sit Pulcrum & pulcrorum omnium causa. Ponit & ab illo productam alteram mentem, quæ ministerium ipsi in rebus omnibus producendis exhibeat. Ponit & tertiam denique mentem, quam mundi animam vocat. Tribus huiusmodi mentibus varia Platonici nomina imponunt, dum sui hac in re doctrinam interpretantur Præceptoris, qui & ipse varius non ita sibi vbique constat. Primam quidem mentem vocant ὂν κρείττονα τ' ἀγαθὸν, αἴτιον, τὸ ἕν. Procreatam verò ab illa prima mentem appellant Νοῦν δεύτερον, αἴτιον δεύτερον, necnon Δημιουργόν. Tertiam denique ab hac secunda ortam aiunt esse ipsius Λόγου; eamque item nominant κόσμου ψυχήν. Sunt

qui dixerint tres illas diuinas personas ita se habere, vt prima quidem sit velut auus, duæ sequentes, vt filius & nepos: prima Πάππος, secunda ἔγγονος, tertia ἀπόγονος. Sed ne in his referendis Platonicorum commentis tempus insumamus, Diuus Cyrillus *libro 4. contra Iulianum*, breuiter, clareque sic rem explicat: vt Plato voluerit primum Deum esse τ' ἀγαθὸν, ex quo secundus extiterit, cuius nomen Νοῦς, & ex hoc secundo tertius, qui sit anima mundi & vocetur ψυχή. ὥςε Πλάτωνα εἰδέναι ἐκ μὲν τ' ἀγαθοῦ τ' νοῦν, ἐκ δὲ τοῦ νοῦ τὴν ψυχήν.

5. Ecce totum Platonicæ Theologiæ mysterium diuinam exponentis naturam, cui dum tres chimæricas affingit personas, Triadem verè personatam atque laruatam exhibet, cum aliqua tamen veræ Theologiæ imitatione. Potuerat enim Plato in cognitionem quandam venire confusam, nec satis euolutam Trinitatis; siue ex afflatu inspirationeque dæmonis, satagentis pro suo in diuinitatem odio maiestatem Trinitatis lædere, eiusque corrumpere notionem; siue ex lectione sacrarum Scripturarum quas peruolutasse dicitur, siue ex audita traditione, quæ emanarat à Noëmo veri Dei naturam exponente, & cultum inculcante posteris suis. Sanè indubitatum est illam ferè sapientiæ auram, quæ Gentiles Philosophos afflauit, profectã esse à Iudæis. Pythagoram scribit Iosephus Iudæi cuiusdam Nazaræi fuisse discipulum. Imò & Hebræũ fuisse putauit Ambrosius, & circuncisum Clemens Alexãdrinus. Platonem Augustinus *lib. 8. de ciuit. cap. 11.* vsum ait Hebræo interprete; vocatusque ideo est à Peripateticis Moses Atticus. Tempore quo Daniel & Ezechiel prophetabant, Thales Milesius Ionicæ, simulque Pherecides Italicæ sectæ author viuebat. Pythagoras verò Pherecidis auditor Prophetis Zachariæ, Aggæo, & Malachiæ coæuus fuit, teste August. 18. *de ciuit. cap. 37.* Prædictis Philosophis ætate posterior Plato, iis quæ de natura diuina ex Iudæis ad Græcos peruenerant, Gentilitiæ suæ sapientiæ ludibria miscuit. Eatenusque visus est quandam speciem, atque similitudinem veræ adorandæque Trinitatis inducere, quatenùs tres asseruit personas; quarum prima cæterarum esset principium, quibus & aliquam Diuinitatem tribueret; quatenus item primam dicebat per secundam mundum condidisse; tertiam verò esse tanquam vniuersalem mundi animam, quæ per omnes res diffusa totam hanc molem foueret, atque agitaret. Ea Trinitatis simulatio non paucos ex nostris incautæ pietatis sensu ductos decepit. Qui affirmare non dubitarunt ab Ethnicis illis Philosophis cognitam cultamque fuisse triplicem in vno Deo personam. Sed quantum eos sua illa credulitas deceperit, in promptu est ostendere.

6. Nam cùm tria necessariò, & formalissimè requisita sint in vero, catholicoque Trinitatis conceptu, nempe primò, vt tres personæ inter se realiter distinctæ, relatiueque oppositæ intelligantur: secundò vt illarum quælibet sit verè Deus; tertiò vt eandem omnes diuinitatem habeant, & sint omnes vnicus Deus; manifestum est hæc tria in huiusmodi adumbrata Trinitate locum habere non posse. Quod enim ad primum attinet, tres illæ personæ non tales habent subsistentias, quales in vero Deo reperiuntur; nempe quæ in mera relatione, & mutua oppositione consistentes iden-

tificentur

tificentur cum absoluta, nullamque relationem realem habente natura. Quod spectat ad secundum, constat primam solam personam summum esse Deum, ex Platonis sententia; reliquas verò duas esse creaturas; secundam quidem primæ, tertiam autem secundæ; atque ita posteriores non eiusdem esse cum prioribus fastigij. Quod attinet ad tertium, diuinitates in prædictis personis multiplicari nequaquam dissimulant Plato, suique discipuli: qui non magis subsistentias quàm naturas esse diuersas, nec magis illas quàm has produci creariquc affirmant: quare tres plurali numero Deos passim nominant.

7. Eodem modo clarum est alios Græcos, qui (vt testatur Clemens Alexandrinus *lib. 5. stromatum*) Deum Patrem, & productum ab eo Verbum, seu vocem celebrarunt, nequaquam in ambobus eandem essentiam diuinitatemque agnouisse. Quod exempli gratià patet in his Orphei versibus, quos ex Diodoro Iustinus citauit in Protreptico ad Gentiles, & Cyrillus *lib. 1. contra Iulianum.*

Vocem iuro Patris primùm quam prodidit ore,
Arbitrio mundum proprio dum conderet omnem.

Constat enim Dei Patris λόγον (siue αὐδὴν, hoc est vocem, vt hi versus habent) non censeri ab Orpheo coæternum, consubstantialemque suo principio, cum dicat existentiam tunc eum primò accepisse dum mundus conderetur. Nullam hìc præterea de Sibyllis facio mentionem, de quibus videri possunt Cyrillus suprà citatus, & Lactantius *lib. 4. diuinarum institu. c. 6.* nec non Augustinus *lib. 18. de ciuit. cap. 23. & 24.* Si enim illæ veram in Deo Trinitatem agnouerunt, vt ex earum versibus colligitur, concors est omnium sententia, eas diuino afflatas spiritu id quod cecinerunt didicisse. Atque ex dictis tum hoc, tum præcedenti capite manet certum quod capite secundo asseruimus, non posse dari præter diuinam reuelationem aliquod medium, aut lumen, quo Trinitatis mysterium cognoscatur. Et sufficienter iam responsum est ei, quod obiici poterat, Infideles aliquos, cùm Barbaros, tùm Græcos, trium in Deo personarum visos habuisse notitiam. Ostendimus enim illos non veram Trinitatem, sed horridam Trinitatis imaginem prophana cognitione informasse.

8. Porrò aduertendum seriò hic est, Gentilitià illà Græcorum circa Trinitatem Theologià perniciosius nihil vnquam Religioni Christianæ contigisse. Non solùm quia nihil ab iis in hoc mysterio demi, addive potuit absque idololatrià & falsi substitutione numinis: nam Tertullianus *libro de præscript. cap. 40.* scitè pronunciauit, omne de Deo mendacium genus esse idololatriæ. Sed etiam quoniam ex prophana illa (Platonicę præsertim Scholæ) sapientia prodiit Ariana hæresis; nam sicut inter Iudæos Philo (quem vbique πλατωνίζειν trito fertur prouerbio) Dei Verbum ex illius Scholæ placitis vocauit δεύτερον θεὸν, minorem scilicet Patre, secundariumque Deum: sic & inter Christianos Ariani eundem Platonismum sectantes affirmarũt ipsum Dei Filium fuisse creatum, & veri, supremique Dei κτίσμα esse, ac ποίημα; eoque vsum fuisse Deum ad cæteras producendas creaturas, tanquam instrumento, & administro. Quare cùm sit factus ἐξ οὐκ ὄντων, vt ipsi loquuntur, hoc est ex nihilo, non eiusdem esse posse cum suo creatore substantiæ; verumtamen eum (licèt à substantiali Dei sapientia

distinctum) priuilegio, gratiaque singulari Sapientiam, Verbumque dici; atque propter suam excellentiam, Deum. Illum autem à Deo fuisse immediatè creatum volebant, cum cætera omnia creata fuerint per ipsum, illoque mediante; propterea quod summi Creatoris vim ac efficientiam cæteræ creaturæ capere nec sustinere possent. Itaque Patrem, Filium, & Spiritum sanctum tres esse distinctas, inæqualesque substantias affirmabant: vnde Fulgentius eos vocauit Tritianos. Quæ omnia sectis consona Platonicis Arius commentus est in libro, quem Thaliam inscripsit.

9 Tam fuisse omnium Arianorum aduersus Dei Verbum impietatem, vt assererent Patrem, cùm orbem conderet, non aliter illud, quàm vt ministrum sibi adiunxisse, intelligitur ex Eusebio; quem vnum (vtpote in illa secta insignem, & velut coryphæum) hoc loco proferam. Is primo Ecclesiasticæ suæ historiæ ingressu testatum illud voluit, cùm per speciosas laudes omni conuicio contumeliosiores Verbum vocauit πατρὶ δευτερεύοντα, θεῖον λόγον ταῖς πατρικαῖς ἐπιτάξεσιν ὑπουργοῦντα: Patrem autem dixit, παγηγεμόνα βασιλικῷ νεύματι προστάττοντα; præcipientem nimirum pro suo summo iure, Filio secundas & solas obsequendi partes obtinenti, atque mandantem ipsi quæ ad rerum creationem pertinebant. Quod illius symmystæ (dum solos apices scripturarum ac syllabas, vt loquitur Basilius *lib. de Spiritu sancto*, ita obseruabant, vt ad omnes literarum angulos insidias collocarent) firmare conabantur his Apostoli verbis; *Ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Quasi primum eius tripartitæ distributionis membrum significet Patrem, mundi conditorem, alterum designet Filium, vt illius instrumentum; ac denique tertium denotet Spiritum sanctum. Sed peruersa est, quam afferunt, illius explicatio loci; cuius particulas bellè sic explicat Augustinus: *Vt quandoquidem in Patre est vnitas, in Filio æqualitas, in Spiritu sancto vnitatis æqualitatisque concordia; hæc tria (ex ipso, per ipsum, in ipso) sint vnum omnia, propter Patrem, æqualia omnia, propter Filium; connexa omnia, propter Spiritum sanctum.* Plura iam de hæresi Ariana, quam sobolem esse constat Platonicæ Philosophiæ, prosequi mens non est. Nonnihil in capite procemiali de illa, & de eius in varias factiones rigidorum Arianorum seu Anomæorum, Semiarianorum, Pneumatomachorum, &c. diuisione diximus; & fortè in sequentibus libris erunt quædam insuper libanda.

10. Porrò vt adhuc meliùs percipiatur, quantum Ecclesiæ attulerit detrimentum Platonica illa Philosophia, quam Orthodoxæ nonnulli æquiparant Theologiæ, attendendum est quot viros doctissimos æquè ac sanctissimos ea deceperit; & eos cùm circa pluralitatem personarum, tùm circa diuinitatis vnitatem incautos quoad modum loquendi reddiderit. Et quidem primò quod pluralitatem, æqualitatemque personarum non satis cautè, orthodoxeque explicatam spectat; qui ex Platonis disciplina prodeuntes Christi fidem fuerant amplexi, Academiæ commenta, quibus infecti fuerant, secum detulerunt, & Christianæ doctrinam Religionis ad ea nisi sunt accommodare. Paucos nominatim propono. Qui ex insigni Philosopho Christianus factus est, gloriâ martyrij & sanctitatis commendandus Iustinus, fidem Catholicam de Trinitate meliùs sanguinis testificatus est effusione, quàm verbis expresserit, cùm

cùm contra Triphonem disputans, Deum Patrem dixit, Creatorem esse inferioris subiectique Dei ὑποςάταθέν τινα κτίςιν καὶ ποιητὴν ὑποβεβηκότος θεοῦ. Et alibi sæpè Filium ait (vt Deum scilicet, & non modò vt hominem) *Patri ministrasse, eiusque voluntati obsecutum esse.* Idem loquendi modus Platonem Ariumque redolens occurrit apud Sanctum Irenæum, qui *lib. 4. cap. 17.* sic scripsit: *Ministrat Deo Patri ad omnia progenies sua, & figuratio sua*, id est Filius, & Spiritus sanctus. Valdè item ab regula fidei dissonum est quod Tertullianus *cap. 3. libri contra Hermogenem* asserit, Filium nec æternum, nec æqualem Patri, his verbis: *Quia & Pater Deus est, & Iudex Deus est; non tamen ideo Pater & Iudex semper, quia Deus semper. Nam nec Pater esse potuit ante Filium, nec Iudex ante delictum: fuit autem tempus, cum & delictum, & Filius non fuit, quod Iudicem, & qui Patrem faceret.* Similia plurieseodem illo contra Hermogenem opere asserit. Vt cùm ait, *Patrem fortiorem, validiorem, ac sublimiorem esse Filio; quia, vt esset, nullius eguit authoris.* Tertulliano, cæterisque prædictis accenseri possunt alij plures qui Patrem æuo, dignitateque potiorem Filio putauerunt, quorum non pauci autumarunt Patrem tunc generasse Filium, quando mundum procreauit, vt illo tanquam administro ad id vteretur. Ita perinde ac Tertullianus, censuerunt Athenagoras, Lactantius, aliique non pauci: de quibus videri potest Petauius *lib. 1. c. 5.*

11. Non magis incautos aliquos ex antiquis Patribus in exponenda, vt iam vidimus, personarum inter se comparatarum pluralitate, quàm in explicanda diuinitatis vnitate reddidit Platonica Philosophia. Sunt enim qui de naturæ diuinæ vnitate in tribus personis non aliter philosophentur aut sentiant, quàm de humanæ, aut cuiusvis alius naturæ vnitate, iuxta Platonis idealem doctrinam. Quare Gregorius Nyssenus vult non minùs (si secundùm rei veritatem loquamur) omnes homines ob participationem vnius naturæ dici debere vnum hominem, quàm tres diuinæ personæ dicantur vnus Deus: & diuinam naturam, siue οὐσίαν, ideo vnam esse, quia est species vltima, quæ in personis indiuiduis sibi subditis non multiplicatur, sed manet semper vna; quemadmodum natura humana, & omnis natura specifica seruat suam vnitatem in subiectis indiuiduis, quæ in ea sunt vnum, licèt in se ipsis diuersa sint. Ecce quomodo Nyssenus dicat in tractatu, cuius titulus est, Cur non sint tres Dij. ἡ φύσις μία ἐςὶ, αὐτὴ πρὸς ἑαυτὴν ἡνωμένη, καὶ ἀδιάτμητος, ἀκριβῶς μονάς. ἀλλ' ὅπερ ἐςὶν, ἐν ἕςα κἂν ἐν πλήθει φαίνηται, ἄτμητος, καὶ τοῖς μετέχουσιν αὐτῆς τοῖς καθ' ἕκαςον οὐ συνδιαιρουμένη. Id est, *natura vna est sicum coniuncta, indiuidua, exactè vnitas: sed id quod est vnum cum sit, sectionis est expers, licèt in multitudine appareat, nec cum singularibus, quibus inest, diuiditur.* Itaque foret emendanda, auferendaque, vt ipse asserit ac monet, ea consuetudo (nisi iam nimis inualuisset) quâ dicimus Petrum, Paulum, & Barnabam esse plures homines, cùm verè ob vnitatem naturæ sint tantùm vnus homo. *Atque is modus loquendi, qui in rebus creatis toleratur, tolerari non potest*, inquit, *in rebus diuinis: oportet enim vt propter vnitatem naturæ diuinæ, omninò dicamus vnum esse Deum; ne cum Gentilibus in polytheismum incidamus.*

12. Cùm igitur Nyssenus, & quidam alij censerent eandem esse ra-

tionē vnitatis in natura diuina respectu trium personarum, quæ est in natura humanā respectu omniū hominū maluerunt assere Petrum, Paulum, & Barnabam non esse tres homines, sed duntaxat vnum hominem, quàm fateri tres personas diuinas esse tres Deos. Atque ne hoc fateri cogerentur, prius illud asseruerunt. Non attendentes nimirum diuersam esse in tribus personis diuinis vnitatem naturæ ab ea naturæ vnitate, quæ in hominibus reperitur: cùm in illis naturæ vnitas indiuidualis sit, & nullo modo specifica; in istis autem specifica tantùm, & abstrahens per mentem solam à differentiis indiuidualibus, cum quibus natura à parte rei omnino multiplicatur. Cùm enim mens distinctè, formaliterque concipit naturam rationalem, & nihil ampliùs; necesse est, vt ille conceptus obiectiuus & vnitatem eatenus habeat, vtpote spoliatus omni differentia, ac diuersitate indiuiduali, & prætereà habeat communitatem; cùm nihil in eo (vtpote nullam secum ferente differentiam, quæ cum aliquo indiuiduo incompossibilis sit) reperiatur, quod impediat, ne totus Petro, totus Paulo, totus Barnabæ conuenire possit. At quatenus à parte rei Petro conuenit, conuenire magis Paulo non potest quàm ipsa Petri differentia indiuidualis; nec maiorem habet in vtroque vnitatem, quàm similitudinis, quæ propriè non est vera vnitas. Cyrillus Alexandrinus libro nono in Ioannem idem asserit, quod Nyssenus suprà: *Petrus*, inquit, *est Petrus, & non Paulus; & Paulus non est Petrus; veruntamen indistincti manent naturâ; vna est enim in ambobus ratio substantiæ.* εἷς ἐπ' ἀμφοῖν ὁ τῆς οὐσίας λόγος. Atque idem ait censendum esse de personis diuinis. Consentiunt etiam Nysseno Damascenus *libro 3. de fide orthodoxa, cap.* 8. Theodorus Abucara *opusculo* 2. nec non alij quidam.

2. Hactenus ostensum est tantùm abesse, vt Plato, & sui agnouerint mysterium Trinitatis, & id mirabili quadem ratione explicarint, vt ex contrario illud euerterint, nec nisi Christianæ pessimo Religionis aliquid sint ausi dicere, quod ipsum aliquo modo adumbraret. Sic enim vexilla, quæ Ariani sequerentur, sustulerunt, atque multis insignibus Catholicis errandi in tanti expositione Mysterij occasionem præbuerunt.

CAPVT VI.

Probatur ex Scriptura sacra mysterium Trinitatis: ac primùm clarè ex nouo Testamento.

1. QVamuis tam retrusum sit hoc Trinitatis mysterium, vt de illo nec homines, nec ipsi Angeli possint quicquam, nisi præsuppositâ reuelatione, cogitare, sed nec etiam post reuelationem valeant illius existentiam euidenter ostendere; superat enim omnem naturalem rationem, quod tria realiter inter se distincta vni tertio indiuisibili identificentur realiter; non tamen existimandum est, quod aliqui affirmarunt, mysterium illud aduersari lumini naturali, & esse non tantùm supra, sed etiam contra rationem. Nam si id esset, oporteret, vt ratio posset ostendere contrarium. Atqui id non potest: non enim potest ostendi id esse, quod re non est. Præterea cùm Deus sit author luminis naturalis, impossibile est vt tale lumen nos inclinet ad eam falsitatem,

ſitatem quæ deſtruat modum intrinſecum exiſtentiæ ipſius Dei. Sic enim Deus ſeipſum negaret, vtpote author illius inclinationis. Eſtque conſiderandum, quòd lumen naturale non aliter exiſtimari poteſt inuenire repugnantiam in myſterio Trinitatis, niſi quatenùs inuenit in omnibus creaturis repugnantiam, vt ea ſint diſtincta realiter inter ſe, quæ ſunt realiter eadem in vno tertio. Atqui inuenire in omnibus creaturis repugnantiam aliquam, non eſt eam inuenire in ipſo Deo; cùm Dei, & creaturarum ſit valde diuerſa conditio. Igitur nulla creata ratio poteſt aliud contra hoc myſterium pronunciare, quàm ſe nihil ei ſimile in creaturis inuenire; atque adeo ſe nihil de illo intelligere. Cùm ergo nihil deprehendat, poſſitque opponere, quod ſit euidens contra veritatem huius myſterij; non poteſt aliunde non admittere illius probationem communiter, & ſufficienter factam per teſtimonia diuina credibiliter propoſita. Qualia nempe partim ſupponunt, & partim docent Symbola Apoſtolorum, atque Athanaſij, nec non Concilia Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, Chalcedonenſe, & poſterioribus ſæculis Lateranenſe, quod ſic habet capite *firmiter*, de ſumma Trinitate: *Vnus ſolus eſt verus Deus, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; tres quidem perſonæ, ſed una eſſentia, ſubſtantia, ſeu natura ſimplex omnino, non multiplicata.* Et capite ſequenti: *In Deo ſolummodo Trinitas, & non Quaternitas; quia qualibet perſonarum eſt illa ipſa res, videlicet eſſentia, ſubſtantia ſeu natura diuina.* Idem docet Florentinum, & Tridentinum.

2. Aduerti verò hic debet, quòd, vt qui ſcientiam aliquam tradere profitentur, non ad altiſſimas protinùs difficillimaſque veritates, prætermiſſis illarum fundamentis atque elementis auditores ſuos prouehunt; quis enim Mathematicus, verbi causâ, explicans diſciplinas, ab vltimis Euclidis libris incipiat, & ab iis theorematis, ad quæ non aliter, quàm per quarundam priorum notitiarum velut gradus aſcendi poteſt? Ita cùm in diuinarum perfectionum multitudine virtuali, ea ſit inter illas coniunctio, vt vnarum notitia ex aliarum cognitione nexa ſit, ac dependens; Spiritus ſanctus, qui homines ingenio poſt Adami lapſum tardos ad ſupernaturalem diuinitatis, quæ difficillimos habet explicatus, intelligentiam euehere ſuſcepit, hac ſibi via rationeque procedendum iudicauit; vt primò ad Dei, qui vnus ſit, cultum; deinde ſēſim ad alia diſtinctiùs erudiret, quæ animos ad idololatriam, & plurium opinionem Deorum facilè dilabentes, ad ſublimiorem trium in Deo perſonarum accipiendam notionem diſponerent. Sanè illos experimur, qui tenebricoſo antro, vel ſubterranea ſpecu in apertum, luminoſumque locum prodeunt, plenam illicò Solis lucem σκοτοδινιῶντας ferre non poſſe. Humanum igitur genus à natiuitate cœcum, & in altiſſimam ignorantiæ caliginem naturâ ſuâ depreſſum, non attinuit ſic ex tenebris confeſtim euocari, vt in plenam Diuinitatis, Trinitatiſq; lucem expaueſcens, ex multiplicitate perſonarum in plurium Deorum opinionem veniret. Quare paruis acceſſionibus, ac velut gradibus mentes noſtras oportuit ad ea tandem deduci, quæ vim fidei robuſtiorem exigunt. *Nemo prudenter* (inquit Nazianzenus) *hebetibus oculis ignis ſplendorem nimium oſtenderit, vel eos luce immoderatiore ſatiarit.*

—— οὐκ ἀμυδροῖσιν ἐν ὄμμασιν ἢ πυρὸς αὐγάς

Δείζει ὅλως, ἢ φωτὸς ἀπληστοτέροιο κόρεσσιν.

3. Hoc igitur modo in veteri quidē Testamento Pater apertè satis prædicabatur; Filius obscuriùs. In nouo autem lux fidei se ita intendit, vt ipse Filius se palam exhibuerit, nec Spiritus sanctus latuerit. Si enim, Patris personà nondum planè confessà, Filius manifestè fuisset propositus; & Filij diuinitate nondum admissà, Spiritus sancti fuisset explicata clarè diuinitas; periculum fuisset, ne vis intellectus humani sub tanto credendi pondere fatisceret, vincique laborans velut grauiorem sarcinam recusaret. Vnde idem Nazianzenus *orat.* 37. ait Trinitatem se ostendisse tandem integram per partes: & κατὰ μέρος προσθήκας, φωτισμούς τε κατὰ μέρος ἡμῖν ἐλλάμψας: hoc est, *per quasdam sensim accessiones, illustrationesque paulatim affulgentes.* Quare (vt scribit Epiphanius *hæresi* 34. & in Anchorato) *diuinitatis vnitas in libris Mosaicis; personarum dualitas in Prophetis; Trinitas in Euangeliis manifestata est*: Θεότης μία ἐν Μωυσῇ. δυὰς δὲ ἐν προφήταις. τριὰς δὲ ἐν εὐαγγελίοις φανεροῦται. Ita mens humana, postquam diuinæ monarchiæ dogma percepit à Moyse; & mentionem aliquam secundæ Personæ audiuit fieri à Prophetis; apta fuit, ac parata ad integram demùm de Trinitate doctrinam ab Euangelistis, & Apostolis percipiendam. Quam vt probè intelligamus atque firmemus, loca noui Testamenti hoc capite expendemus, in quibus Deus Trinitatem suam clarè testatur. Sequenti autem capite videbimus, quomodo in veteris Testamenti tenebris ita latère voluerit; vt tamen in iis aliquatenus deprehendi, & per vmbras propheticas conspici strictim potuerit.

4. Ac primò audiendum, & expendendum est, quod Ioannes ipso sui Euangelij exorsu intonuit his verbis: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt.* Audis cœlestem illum Boanergem: vides fulgur tonitrui Filium: tot aduertis fulminum iactus, quot percipis voces, quibus capita quatuor contra veram Trinitatem erecta, quæ mox proferemus, eliduntur. Compara quæ Platonem suprà vidimus insipidà orationis suauitudine de Deo mentem alteram generante protulisse, aliosque Philosophos ampullatis verbis de monstrosa Trinitatis larua dixisse, cum iis quæ Piscator noster Euangelico suo exordio de duabus primis Trinitatis Personis, eo plenus, de quo loquebatur, numine, eructauit; quem iure Dionysius *epist.* 10. Solem appellat Euangelij, & veræ Theologiæ parentem: Asterius autem politissimus scriptor *Spongiam* nominauit, *ad Christi pectus æternorū doctrinā mysteriorum infectam, & ipsius torrente diuinitatis imbutam.* Θεολόγος Ἰωάννης, οἷον σπογγία τις, τῷ στήθει τοῦ μονογενοῦς προσκείμενος, κἀκεῖθεν ἰκμάδας τῆς κεκρυμμένης σοφίας γνῶσιν. Porrò nullum commouere debet, quòd in hoc Ioannis testimonio à nobis nunc expendendo nulla fiat mentio Spiritus sancti, sed tantùm Patris, & Filij. Nam efficax inde sumitur pro tota Trinitate probatio. Nullus enim est, qui si duas cogatur admittere consubstantiales personas, non æquè tres admittat; cùm difficultas tota, & apparens contra substantialem cum personali distinctione identitatem contradictio æquè in duabus, ac in tribus Personis reperiatur. Neque verò de tertiæ Personæ consubstantialitate desunt manifesta ex Scripturis, & ex hoc ipso

ipſo Ioanne, quæ deinde proponemus, argumenta. Nunc videamus quomodo ille duobus primis Euangelij ſui verſibus cunctos reuincat errores contra myſterium hoc (quatenus vnius indiſtinctæ diuinitatis communione, & reali perſonarum diſtinctione continetur) excitatos; ſiue ab Ebionitis, ſiue à Sabellianis, ſiue ab Arianis, ſiue denique à Photinianis. Ita *bonus Piſcator eos omnes intra vnum cete concluſit*: vt cum Ambroſio loquar *lib. 1. de fide, cap. 5.*

5. Qui ſanctus Doctor notat in duobus prædictis Euangelij verſibus primis repeti quater vocem hanc (erat:) cùm dicitur primò quidem, *In principio erat Verbum* (contra Ebionitas;) ſecundò autem, *Et Verbum erat apud Deum* (contra Sabellianos;) tertiò, *Et Deus erat Verbum* (contra Arianos;) quarto denique, *Hoc erat in principio apud Deum* (contra Photinianos.) Quibus quaternis repetitionibus (erat, erat, erat, erat,) eliduntur quatuor prædicta hæreſeon capita. Idemque eſt, ac ſi Ioannes dixiſſet: Errat Ebion: Errat Sabellius: Errat Arius: Errat Photinus. Ebion quidem errare cœperat ipſis etiam Ioannis temporibus, aſſerens incepiſſe aliquando Verbum, poſtquam aliquandiu (infinito nempe tempore) non fuiſſet. At ex aduerſo mendacium illi exprobrant hæ voces, in principio erat Verbum: hoc eſt, *erat ante omnia intelligibilia, & ante ſæcula*, inquit Chryſoſtomus. Vnde Baſilius *homilia 15. in Ioannis initium*, ait hanc vocem ἀρχὴ, non eſſe τῶν πρός τι; non eſſe ſcilicet relatiuam, nec ſignificare originem ſiue cauſam, quæ aliquid à ſe principiatū reſpiciat. Quamuis enim verum ſit Patrem eſſe principium Verbi, & ipſum Verbum Patris non eſſe ἄναρχον: atque in eam ſententiã dici debeat, quod in principio ſuo relatiuo, & in ſinu Patris erat Verbum; ſicque grauiſſimi Patres aliqui explicuerint, intelligentes hoc loco nomine principij Patrem. Tamen in alio etiam ſenſu abſoluto, nec relatiuo dicendum eſt hanc vocem ἀρχήν, eſſe hoc loco ſolutam ab omni ad alterum comparatione, vt loquitur Baſilius ſuprà citatus: λελυμένην τῆς πρὸς ἕτερον σχέσεως. Egregiè in hunc ſenſum Hilarius *lib. 2. de Trinitate*: *Quid eſt illud, in principio erat? Tranſeuntur tempora, tranſeuntur ſæcula, tolluntur ætates. Reſpice ad mundum, & intellige quid de eo ſcriptum ſit, In principio creauit Deus cœlum & terram. Fit in principio, nec erat antè, & ætatem continet quod creatur, & fit. Meus autem piſcator, illiteratus, indoctus, liber eſt à tempore, ſolutus à ſæculis, vicit omne principium. Erat enim quod eſt, & quantumcunque ſuperiùs per ſæculorum ſeriem imaginatione aſcendas, Filium nunquam fieri, ſed ſemper fuiſſe reperies, nec vllo præueniri principio.* In eandem ſententiam ait Ambroſius loco ſuprà citato: *Vbi impius inuenit quod non erat? Ioannes in epiſtola etiam ſua dicit, quod erat in principio. Indefinitè tenditur, erat. Quicquid excogitaueris, erat Filius. Quod erat in principio, non includitur tempore.* Ex his patet, aliter intelligendam eſſe apud Ioannem rationem principij, cùm dicitur, in principio erat Verbum: & aliter apud Moſen cum dicitur, in principio creauit Deus. Etenim hìc ſonat inchoationem, quâ mundum aliquid eſſe cœperit; illic autem è contra ſignificat id, in quo, quamtumvis aſcendas ſurſum cogitatione, nullum poſſis inuenire terminum. Hactenus oſtenſum eſt Ebionem, qui Verbum in tempore natum eſſe aſſerebat, erroris, impietatiſque conuinci

Δείξειν ὅλας, ἢ φωτὸς ἀπληστοτέροιο
κόρεσσιν.

3. Hoc igitur modo in veteri quidẽ Testamento Pater apertè satis prædicabatur; Filius obscuriùs. In nouo autem lux fidei se ita intendit, vt ipse Filius se palam exhibuerit, nec Spiritus sanctus latuerit. Si enim, Patris personâ nondum planè confessâ, Filius manifestè fuisset propositus; & Filij diuinitate nondum admissâ, Spiritus sancti fuisset explicata clarè diuinitas; periculum fuisset, ne vis intellectus humani sub tanto credendi pondere fatisceret, vincique laborans velut grauiorem sarcinam recusaret. Vnde idem Nazianzenus *orat.* 37. ait Trinitatem se ostendisse tandem integram per partes: & κατὰ μέρος προσθήκας, φωτισμοῖς τε κατὰ μέρος ἡμῖν ἐλλαμπούσας: hoc est, *per quasdam sensim accessiones, illustrationesque paulatim affulgentes.* Quare (vt scribit Epiphanius *hæresi* 34. & in Anchorato) *diuinitatis vnitas in libris Mosaicis; personarum dualitas in Prophetis; Trinitas in Euangeliis manifestata est*: Θεότης μία ἐν Μωυσῇ. δυὰς δὲ ἐν προφήταις. τριὰς δὲ ἐν εὐαγγελίοις φανεροῦται. Ita mens humana, postquam diuinæ monarchiæ dogma percepit à Moyse; & mentionem aliquam secundæ Personæ audiuit fieri à Prophetis; apta fuit, ac parata ad integram dæmùm de Trinitate doctrinam ab Euangelistis, & Apostolis percipiendam. Quam vt probè intelligamus atque firmemus, loca noui Testamenti hoc capite expendemus, in quibus Deus Trinitatem suam clarè testatur. Sequenti autem capite videbimus, quomodo in veteris Testamenti tenebris ita latère voluerit; vt tamen in iis aliquatenus deprehendi, & per vmbras propheticas conspici strictim potuerit.

4. Ac primò audiendum, & expendendum est, quod Ioannes ipso sui Euangelij exorsu intonuit his verbis: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt.* Audis cœlestem illum Boanergem: vides fulgur tonitrui Filium: tot aduertis fulminum iactus, quot percipis voces, quibus capita quatuor contra veram Trinitatem erecta, quæ mox proferemus, eliduntur. Compara quæ Platonem suprà vidimus insipidâ orationis suauitudine de Deo mentem alteram generante protulisse, aliosque Philosophos ampullatis verbis de monstrosa Trinitatis larua dixisse, cum iis quæ Piscator noster Euangelico suo exordio de duabus primis Trinitatis Personis, eo plenus, de quo loquebatur, numine, eructauit; quem iure Dionysius *epist.* 10. Solem appellat Euangelij, & veræ Theologiæ parentem. Asterius autem politissimus scriptor *Spongiam* nominauit, *ad Christi pectus æternorũ doctrinâ mysteriorum infectam, & ipsius torrente diuinitatis imbutam.* Θεολόγος Ἰωάννης, οἷον σπογγιά τις, τοῖς στήθεσι τοῦ μονογενοῦς προσκείμενος, κἀκεῖθεν ἑλκύσας τῆς κεκρυμμένης σοφίας γνῶσιν. Porrò nullum commouere debet, quòd in hoc Ioannis testimonio à nobis nunc expendendo nulla fiat mentio Spiritus sancti, sed tantùm Patris, & Filij. Nam efficax inde sumitur pro tota Trinitate probatio. Nullus enim est, qui si duas cogatur admittere consubstantiales personas, non æquè tres admittat; cùm difficultas tota, & apparens contra substantialem cum personali distinctione identitatem contradictio æquè in duabus, ac in tribus Personis reperiatur. Neque verò de tertiæ Personæ consubstantialitate desunt manifesta ex Scripturis, & ex hoc ipso

ipso Ioanne, quæ deinde proponemus, argumenta. Nunc videamus quomodo ille duobus primis Euangelij sui versibus cunctos reuincat errores contra mysterium hoc (quatenus vnius indistinctæ diuinitatis communione, & reali personarum distinctione continetur) excitatos; siue ab Ebionitis, siue à Sabellianis, siue ab Arianis, siue denique à Photinianis. Ita *bonus Piscator eos omnes intra vnum cete conclusit*: vt cum Ambrosio loquar *lib. 1. de fide, cap. 5.*

5. Qui sanctus Doctor notat in duobus prædictis Euangelij versibus primis repeti quater vocem hanc (erat:) cùm dicitur primò quidem, *In principio erat Verbum* (contra Ebionitas;) secundò autem, *Et Verbum erat apud Deum* (contra Sabellianos;) tertiò, *Et Deus erat Verbum* (contra Arianos;) quarto denique, *Hoc erat in principio apud Deum* (contra Photinianos.) Quibus quaternis repetitionibus (erat, erat, erat, erat,) eliduntur quatuor prædicta hæreseon capita. Idemque est, ac si Ioannes dixisset: Errat Ebion: Errat Sabellius: Errat Arius: Errat Photinus. Ebion quidem errare cœperat ipsis etiam Ioannis temporibus, asserens incepisse aliquando Verbum, postquam aliquandiu (infinito nempe tempore) non fuisset. At ex aduerso mendacium illi exprobrant hæ voces, in principio erat Verbum: hoc est, *erat ante omnia intelligibilia, & ante sæcula*, inquit Chrysostomus. Vnde Basilius *homilia 15. in Ioannis initium*, ait hanc vocem Ἀρχὴ non esse τῶν πρός τι; non esse scilicet relatiuam, nec significare originem siue causam, quæ aliquid à se principiatũ respiciat. Quamuis enim verum sit Patrem esse principium Verbi, & ipsum Verbum Patris non esse ἄναρχον: atque in eam sententii dici debeat, quod in principio suo relatiuo, & in sinu Patris erat Verbum; sicque grauissimi Patres aliqui explicuerint, intelligentes hoc loco nomine principij Patrem. Tamen in alio etiam sensu absoluto, nec relatiuo dicendum est hanc vocem ἀρχήν, esse hoc loco solutam ab omni ad alterum comparatione, vt loquitur Basilius suprà citatus: λελυμένην τῆς πρὸς ἕτερον σχέσεως. Egregiè in hunc sensum Hilarius *lib. 2. de Trinitate*: *Quid est illud, in principio erat? Transeuntur tempora, transeuntur sæcula, tolluntur ætates. Respice ad mundum, & intellige quid de eo scriptum sit, In principio creauit Deus cœlum & terram. Fit in principio, nec erat antè, & ætatem continet quod creatur, & fit. Meus autem piscator, illiteratus, indoctus, liber est à tempore, solutus à sæculis, vicit omne principium. Erat enim quod est, & quantumcunque superiùs per sæculorum seriem imaginatione ascendas, Filium nunquam fieri, sed semper fuisse reperies, nec vllo praeueniri principio.* In eandem sententiam ait Ambrosius loco suprà citato: *Vbi impius inuenit quod non erat? Ioannes in epistola etiam sua dicit, quod erat in principio. Indefinitè tenditur, erat. Quicquid excogitaueris, erat Filius. Quod erat in principio, non includitur tempore.* Ex his patet, aliter intelligendam esse apud Ioannem rationem principij, cùm dicitur, in principio erat Verbum: & aliter apud Mosen cum dicitur, in principio creauit Deus. Etenim hìc sonat inchoationem, quà mundum aliquid esse cœperit; illic autem è contra significat id, in quo, quamtumuis ascendas sursum cogitatione, nullum possis inuenire terminum. Hactenus ostensum est Ebionem, qui Verbum in tempore natum esse asserebat, erroris, impietatisque conuinci

O uinci

uinci primis his Euangelistæ vocibus, *In principio erat Verbum.*

6. Cùm autem iteratâ, repetitáque illa voce, *erat*, additur continenter, *Et Verbum erat apud Deum*; idem est ac si diceretur, Errat Sabellius, qui nequaquam agnoscit rem vllam, quæ apud Deum esse possit; cùm Verbum à Deo Patre non distinguat. Si enim Verbum, vt diuinitate, sic & hypostasi esset idem cum Patre, non sanè Ioannes apud hunc illud esse dixisset: siquidem nemo rectè dici potest esse apud semetipsum: πῶς γὰρ (inquit Cyrillus, ὅλως τὸ ἐν ἀριθμῷ, αὐτὸ πρὸς ἑαυτὸ ὄν τοι παρ' ἑαυτῷ νοοῖτο ὑπάρχειν: id est, *Quomodo quod est in numero, potest indistinctũ ad seipsum referri, aut concipi esse apud seipsum?* Si Deus in corde suo Verbum habet nullatenus distinctum, qua ratione potest Verbi ad Deum esse relatio? Et quomodo Verbum, si non est persona distincta, sed tantùm cognitio, seu intellectio quasi elicita & physicè improducta, vocari potest Deus, qui sit apud Deum? Nec enim ab homine verbum elicitum, siue humana cognitio appellatur homo, qui sit apud hominem: οὐ γὰρ ὁ λόγος τοῦ ἀνθρώπου ἄνθρωπός ἐστι πρὸς ἄνθρωπον, vt ratiocinatur Athanasius contra Sabellium.

7. At cùm Ioannes deinde addit tertium illud erat (dicens, *& Deus erat Verbum*) obtrudit os Ario, & omni Arianorum gregi; quid enim aliud ea vox Euangelistæ sonat, quàm errat quisquis abrogat veram diuinitatem Verbo? Sed & præcedentibus huius Euangelij vocibus perinde conuincitur errare idem Arius, qui Verbum negauit esse æternum, absolutéve extitisse in principio; vtpote factum, & inter creaturas ex nihilo extractas numerandum. Cuius blasphemia efficacissimè item retunditur iis quæ idem Euangelista continenter subdit, *Omnia per ipsum facta sunt.* Cui consonat Paulus 1. *Corint.* 8. vbi ait: *Nobis tamen vnus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum. Et vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos in ipsum.* Sanè si omnia per Verbum, non debet ipsum cum omnibus numerari, vt subtiliter argumentatur Athanasius. Εἰ τὰ πάντα δι' αὐτοῦ, αὐτὸς οὐκ ἂν συναριθμούμενος εἴη τοῖς πᾶσι; necnon August. Posito enim quòd omnia per Verbum facta sint, oporteret vt si Verbũ factum esset, factũ ipsum fuisset per aliud verbum præsuppositum; atque ne in infinitum abiretur, necesse foret hærere in aliquo primo verbo, quod per præcedens verbum fieri nequiuerit. Tale autem verbum concipi non posset esse creatura; quare deberet eiusdem esse cum Deo substantiæ. *Liquidò enim apparet* (inquit Augustinus 1. *de Trinit. c.* 6) *Filium Dei factum non esse, per quem facta sunt omnia: & si factus non est, creatura non est. Si autem creatura non est, eiusdem cum Patre substantia est; omnis enim substantia, quæ Deus non est, creatura est; & quæ creatura non est, Deus est. Et si non est Filius eiusdem substantiæ, cuius est Pater; ergo facta substantia est. Si facta substantia est, non omnia per ipsum facta sunt. At omnia per ipsum facta sunt. Vnius igitur, eiusdemque cum Patre substantiæ est: Et ideò non tantùm Deus, sed & verus Deus.*

8. Quartò denique repetitur hæc eadem vox, *erat*, cum dicitur, *hoc erat in principio apud Deum.* Atque ita Photinus etiam errasse conuincitur, qui Ebione deterior, Verbum diuinum voluit non præcessisse tempore Mariam parentem suam. Habent alij quidam, qui inter Patres numerantur, nonnulla, quæ non longè à Photino dissita, nec satis accuratè tradita sint,

vt

vt nominatim Tertullianus *lib. contra Praxeam*, qui somniat Deum ita rationē, seu Λόγον, aut Σοφίαν ex æterno improductam penes se habuisse, vt Verbum, personamve Trinitatis secūdam decreuerit non antè producere, quàm esset mundum conditurus: atque ita tunc, quando sermonem, quo mundus conditus est, protulit, dicens, *fiat lux, &c.* Filium suum reipsa genuisse, Sophiæque suæ substantiam dedisse. Illa autem sermonis prolatione, qua res creatæ sunt, vult ille author Filium productum fuisse non ex nihilo, vt cæteras creaturas, sed ex ipsius Dei substantia. *Hæc est* (inquit *cap. 7.*) *natiuitas perfecta sermonis, dum ex Deo procedit; & procedendo Filius factus est primogenitus, vt ante omnia genitus; & vnigenitus, vt solus ex Deo genitus propriè de vulua cordis ipsius.* Illum porrò sermonem à Deo creaturas condente prolatum affirmat, atque inculcat non esse simpliciter vocem, aut sonum oris vacuum & inanem, neque carere substantia, propterea quòd de tanta substantia processerit & tantas substantias fecerit. Cum Tertulliano idem ferè censuit Lactantius *lib. 2. cap.* 8. & *lib.* 4. *cap.* 6. aliique præterea nonnulli. Nescio quid sibi sanctus Zeno Veronensis voluerit, cùm sermonem instituens de diuina generatione, significat Filium, antequàm gigneretur, extitisse indiscretum in Patre; generationem verò eius tunc fuisse, cùm res omnes creare Pater voluit. Sic enim ait sermone 2. *Patris ex ore, vt rerum natura quæ non erat, fingeretur, prodiuit vnigenitus Filius, cordis eius nobilis inquilinus, exinde visibilis effectus, quia humanum genus visitaturus erat.* Equidem crediderim sanctum hunc Martyrem nequaquam inficiari voluisse, quin Pater Filium ab æterno genuerit in profundo (vt ipse loquitur) suæ sacræ mentis, sine reuelamine; sed voluisse dumtaxat, Filium tunc prodiisse quodammodo foras, reuelatumque apparere cœpisse, quando Pater externo sermone locutus mundum molitus est. Tunc (inquit satis durè, & benignâ egens interpretatione) ineffabilis Patris sapientia sapientiam, omnipotentia omnipotentiam propagat; de Deo nascitur Deus, de ingenito vnigenitus, de solo solus, de toto totus, &c.

9. Hactenus ex iis, quæ Ioannes initio sui Euangelij protulit, probata sunt efficaciter ea duo, quibus Trinitatis mysterium continetur; scilicet reale personarum discrimen, & realis in iis identitas naturæ diuinæ. Discrimen quidem personarum ostenditur illis vocibus, *Verbum erat apud Deum.* Nulllus enim apud se esse dicitur, sed tantùm apud alterum. Identitatem autem naturæ probant cæteræ hæ voces, *In principio erat Verbum. Et Deus erat Verbum.* Quod autem de Patre, Filioque personalitate distinctis, vt naturâ confusis hic ostensum est, æquè ad Spiritum sanctum pertinere ostendemus paulò post. Non minùs ad idem probandum efficax est, quod in eiusdem Euangelij capite 10. ait ipse Christus, *Ego & Pater* (ecce duarum distinctionem personarum) *vnum sumus* (ecce identitatem naturæ.) Quod enim Christus ea voce, *vnum*, non de quacumque vnitate, sed de ipsius vera vnitate naturæ loqueretur, patet; primò quidem ex ipsius Christi ratiocinatione. Cùm enim dixisset non posse quenquam oues rapere de manu sua; id confirmat his verbis: *Nemo potest eas rapere de manu Patris mei: Ego & Pater vnum sumus.* Patet etiam secundò ex eo, quòd illum esse verborum eius sensum ipsi intel-

lexerint tunc Iudæi, quibus loquebatur. Qui scandalizati quæsiuerunt eum apprehendere cum voluntate ipsum lapidandi, & occidendi. *Quia tu homo cum sis, facis* (inquiunt) *teipsum Deum.*

10. Efficacissimus etiam est ex eiusdem Ioannis epistola 1. locus qui sic habet cap. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus; & hi tres vnum sunt.* Sermonem hic esse de testimonio eorum, qui & diuinitatum, & in testificando summam authoritatem habeant, constat ex sequentibus his verbis: *Quoniam hoc est testimonium Dei.* Vnde apparet illum Apostolum longè diuerso sensu deinde subdidisse: *Et sunt tres, qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua, & sanguis.* Tres siquidem hæ res, cum sint creaturæ, non id testimonium possunt dare, quod sit testimonium Dei. Non item sunt vnum naturâ, sed tantùm testificatione, quatenùs conueniunt ad vnum & idem testificandum, nempè quòd Christus esset Filius Dei. Quam testificationem, patiente Christo, attendens centurio exclamauit: *Verè hic homo Filius Dei erat.* Hi verò tres testes, *Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus*, non tantùm idem sunt, quatenùs in vnam & eandem conueniunt de Christo testificationē, sed etiam quatenùs vnam, & eandem omnes habent diuinitatem. Idque indicat Ioannes hoc loco. Quod enim diuinitatem habeant, significatur iis ipsius verbis, *hoc est testimonium Dei.* Quòd autem non nisi vna significetur eorum diuinitas, constat ex eo quòd alioqui multiplicitas foret Deorum. Constat item ex eo quòd Ioannes dicat horum testimonium esse testimonium Dei, non autem Deorum. Atque inde eminet non magis impium quàm inscitum esse, quod Blandrata contra explicationem iam allatam obiicit *in 2. disput. Albana.* Nec opus est nos immorari sacrilegis execrandi huius hæretici Antitrinitarij nugis referendis, ac refutandis. Videri potest Vasques *disput.* 109. *cap.* 2.

11. Denique testimoniis aliis omissis in nouo Testamento passim occurrentibus, quæ manifestè trium personarum ὁμοούσιον declarant, & quæ sparsim hoc toto de Trinitate opere à nobis referentur, contenti nunc erimus probationem addere desumptam ex primo illo, maximoque præcepto, quod fidei nostræ fundamentum est, & ab ipso Christo proponitur *Matt.* 28. his verbis: *Docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti.* Vi cuius præcepti neophytis in ipso Christianæ Religionis limine etiamnum subsistentibus credenda exhibetur trium personarum ὁμοτιμία; vt ad tam sublimis admirabile lumen veritatis expauescentes addiscant ipso statim initio in re obscurissima, ac difficillima authoritati, maiestatique reuelationis diuinæ subiicere intellectus humani siue imbecillitatem, siue superbiam. Etenim qui in verum legitimumque baptismum consentit, ad eumque accedit, credat necesse est tres realiter distinctas in vna simplici diuinitate personas; in quarum nomine supernaturalem vitam regeneratus accipit. Nisi enim Filium & Spiritum sanctum Patri consubstantialem crederet, falso, inutilique baptismo consignaretur. Siquidem *quantùm à vero Filio, Spirituque sancto diuersa est creatura* (vt ait Athanasius libro 3. contra Arianos) *tantùm à Sacramenti veritate distaret is qui conferretur baptismus.* Sicque Deus Pater tanquam creaturarum collega ad regenerationem

nem, consecrationemque mortalium insigni assumeretur sacrilegio. Nam si *omnis inæqualium societas melioris offensa est*, vt Ambrosius ait *libro 1. de fide, cap. 1.* quanta iniuria eius erit qui verè Deus est, si alius qui non verè Deus sit, ei comparetur, & in eadem cum illo serie numeretur? *Trinitas non est inæqualium enumeratio*, vt admonet Nazianzenus. Ex quo fit, vt non magis in veri baptismi formula possit Filius aut Spiritus sanctus, quàm Pater omitti. Qua in re notabilis est locus Athanasij ad Serapionem: *Qui in solo nomine Patris*, inquit, *baptizatur, nihil accipit, sed inanis, & sine initiatione manet. Nam in Trinitate initiatio perfecta consistit. Itaque qui Filium à Patre diuidit, aut Spiritum sanctum ad creaturarum conditionem detrahit, neque Filium habet, neque Patrem, sed Atheus est, & quiduis potiùs, quàm Christianus.*

12. Æqualitas igitur trium inter se personarum in eius formula Sacramenti, quod fundamentum & signaculum Christianæ professionis est, elucet. Primò, quia si creatam naturam haberet Filius aut Spiritus sanctus, non vtique cum Creatore, Deoque Patre numerari eos iussisset Christus; *qui* (vt inquit Theodoretus) *ad id venit in mundum vt doceret quantum sit Dei creaturaque discrimen* (ὥστε διδάξῃ θεοῦ καὶ κτίσεως διάφορον) *atque vt idololatriam exterminaret.* A motâ verò idololatria, consequens non erat, vt iuberet creaturæ inuocatione contineri sacramentum christianæ initiationis. Nam baptismi susceptio est earum adoratio personarum, in quarum nomine, quarumque munificentiâ homo regenerari, & pignus immortalitati, accipere creditur. Quare Nazianzenus regenerationem, quæ in baptismo fit, ait esse *Atheismi negationem, confessionemque Deitatis.*

13. Secundò ex eadem ipsa baptismi formula probat Ambrosius *lib. de Spiritu sancto, cap.* 14. trium personarum æqualitatem, & naturarum identitatem, quatenus baptizantur fideles non in nominibus tribus, sed in vno singularique nomine. Si enim per nomen intelligamus appellationem ipsarum omnium personarum, non potest vox vnica & singularis, nisi æquiuoca sit, plures diuersasque naturas significare. Ergo cùm baptismus confertur in vno singularique, nec æquiuoco nomine trium personarum, non significatur nisi vnica earum, singularisque natura. Si verò per nomen intelligamus authoritatem, & potestatem, constat earum esse personarum æqualitatem in natura, quarum est authoritatis maiestatisque identitas. Quòd autem vox hæc (nomen) hoc loco authoritatem sonet, Faustinus in libro contra Arianos egregiè docet: *Vnum*, inquit, *nomen ponetur, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vt vna principalis authoritas crederetur indiuisibilis & perfecta Trinitatis.* Eodem sensu vocem hanc vsurpauit Christus *Ioan.* 5. cùm dixit: *Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me; si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* Quin & apud prophanos *authoritas*, per hanc vocem (*nomen*) significatur, vt 11. *Æn.* Magnum Reginæ nomen obumbrat. Denique non est omittendus Augustinus, qui per vnum nomen, vnam intelligit diuinitatem, tractatu 6. in Ioannem: *Vbi vnum nomen audis*, inquit, *vnus est Deus: sicut de semine Abrahæ exponit Apostolus, in semine tuo benedicentur omnes gentes. Non dixit in seminibus, tanquam in multis, sed tanquam in vno, quod est Christus. Sic*

& hic, cùm dictum est in nomine, non in nominibus; quomodo in semine, non in seminibus, probatur vnus Deus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Hæc Augustinus. Alia multa colligi possent hinc & inde loca sparsa in nouo Testamento, quibus conuincitur personarum diuinarum consubstantialitas. Sed quæ hic diximus sufficiunt in præsenti.

CAPVT VII.

Probatur idem mysterium ex veteri etiam Testamento.

1. QVandoquidem in veteri Testamento cœpit christianæ de Trinitate fidei lucescere velut crepusculum iis locis, in quibus subobscurè plures in Deo personæ; iis item quibus vna in pluribus personis Diuinitas indicatur; primum eius mysterij diluculum apparuisse videtur ipso Geneseos exorsu, cùm dicitur; *In principio creauit Deus cœlum & terram. Et Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Quibus verbis (vt colligit Augustinus de Genesi ad literam, Origenes & Rupertus in eum locum) tres diuinæ personæ significantur. Prima quidem, vt fatētur omnes, nomine illo, *Deus*; secunda verò, nomine *Principij*; quasi *τὸ in principio*, idem valeat, quod *τὸ in Filio*, seu in Verbo; tertia demùm cùm dicitur, *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Addit Hieronymus in quæstionibus super Genesin, plerosque existimasse Hebræa habere, *In Filio fecit Deus cœlum & terram*; quasi בראשית, seu *in principio*, sit idem ac in Filio. Aitque Hilarius *in psalmum* 2. בראשית tria significare; in principio, in capite, in Filio. Et quidem *Ioannis* 8. *vers.* 25. Filius ait de se, *Ego principium.* De eodem dictum est, vt inquit Hierocymus. *In capite libri scriptum est de me.* Licet porrò hæc expositio nominis בראשית, pro in Verbo Diuino, minùs videatur propria (nam eo loco sonat initium temporis) quorumdam tamen est Iudæorum. Siquidem R. Eleazar (vt refert Marsilius Ficinus *lib. de Religione Christiana*) dixit interpretans hunc locum: *Non est creatus mundus nisi per Verbum, vel cum Verbo, sicut habetur in Psalmo* 32. *Verbo Domini cœli firmati sunt.*

2. Aliter ipso item Genesis exorsu argumentum plerique sumunt ex voce אלהים; quæ, pluralis cùm sit, pluresque denotet personas, iungitur verbo singulari ברא; & ita diuinitatem denotat singularem. Quamuis enim vsitatum sit vt plurale אלהים, pro singulari אלה ponatur, & nomina, quæ diuinitatem aliquam significant, ab illis qui eam colunt vsurpentur (vice singularis) honoris causa pluraliter; quemadmodum אדונים pro אדון., vnde אדני, Dominus meus, cùm est sermo de Deo; quod verum est in iis etiam nominibus quæ falsæ diuinitati tribuuntur, vt patet *Exodi* 20. *vers.* 3. in nomine אלהים: idem patet in nomen nomine בעלים, & in nomine fœminino עשתרת, quod significat *Iudicum cap.* 2. Deum pastorum, seu gregum: veruntamen in hoc, de quo agimus initio Geneseos, vbi legitur ברא אלהים, hoc est creauit Dij, visum est Magistro in *primo sententiarum dist.* 2. Galatino, Paulo Burgensi, Lyrano, Catherino, &c. significari velut mystico solœcophane tres in vna diuinitate personas. Potuisset enim hìc, si nullum attenderetur mysterium, vox illa quâ Deus declarandus erat, in numero poni

poni facile singulari, vt alibi in ipsa Scriptura sacra contingit. Fateor duo argumenta superiora non huiusmodi esse, vt conuincant; si quis ea velit eludere. Non tamen ea spernenda putauerunt ij, quos iam appellaui, authores; cùm præsertim omni Rabbinorum non destituantur authoritate. Suprà enim iam attuli quid R. Eleazar dixerit. Præterea verò R. Huna in minori super Genesin expositione (quæ magni est apud Hebræos ponderis) vt testantur Galatinus & Lyranus, sic habet: *Nisi hic sermo scriptus esset, non licuisset dicere, creauit Eloim.* Supponit hic Doctor Iudæus non absque latente mysterio illum scriptum fuisse sermonem. Efficaciora sunt ad ipsos Iudæos reuincendos argumenta, quæ sequuntur ex eodem antiquo eruta Instrumento.

3. Ex illo quod dixit Deus in eodem cap. 1. Genesis, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, eruitur dupliciter argumentum. Nam primò plurale verbum (faciamus) ostendit pluralitatem personarum. Significat enim Deum consultare cum pluribus personis, quas alloquitur. Estque omnino absonum, quod Iudæi quidam asseruerunt, Deum cum sua sola vna persona locutum esse, vt referunt Basilius *homil. 9. in hexam.* & Theodoretus *quæst. 19. in Genes.* fatetur & Abenhezra quosdam ex suis perperam ita sensisse. Quasi nimirùm Deus cum nulla alia persona solus verba in vanum fuderit (quod inter homines, vt in Accone inepta fatuaque muliercula docet vulgare prouerbium, non leuis censeretur esse stultitiæ) seque ipsum docere quid cogitaret ac deliberaret, voluerit. Qui id dicere præsumant, negentque Patrem locutum fuisse cum Verbo suo, damnati sunt meritò à Synodo Sirmiensi, quam Synodum in eo quòd Photinum damnauerit, recepit laudauitque Hilarius *libro de Synodis*. Quod quidam alij Rabbini dixerunt Deum fuisse allocutum eò loci Angelos, quasi deliberantem cum sua familia, nullo modo admitti potest. Cùm enim Deus dixit, *faciamus hominum ad imaginem*, &c. eas personas compellabat quæ & ipsæ cum eo essent hominem ex nihilo producturæ, ad imaginemque suam formaturæ. Angelos autem ad opus creationis adhibitos esse, Platonis commentum fuit. Et non ad Angelorum, sed *ad Dei imaginem factus est homo*, vt dicitur eodem Geneseos capite.

4. Secundò, vt verbum plurale (*faciamus*) pluralitatem personarum diuinarum indicat; sic voces sequentes (*ad imaginem nostram*) manifestè significant vnitatem singularitatemque naturæ diuinæ. Si enim natura diuina in pluribus illis personis multiplex esset, dicere oportuisset (ad imagines nostras) quandoquidem diuersorum prototyporum, seu exemplarium vna simplex non potest esse imago. Idem modus loquendi repetitur paulò post ibidem: *Creauit Deus hominem ad imaginem suam. Ad imaginem Dei*(nõ Angelorum scilicet)*creauit illum.* Audiendus est hoc loco Faustinus in hæc verba: *Hic Deũ & Deum scriptura pronunciat, vt Sabellium excluderet dicentẽ vnicam Dei esse personam. Et ne duos Deos induceret, vnam simplicem dixit imaginem. Quid agis, impietas Ariana? Si creatura Christus est, quomodo Creatoris & creaturæ vna imago est? Sed ne iterum occasione personarum Arius diuersitatem naturarũ induceret, diuersitas naturæ non admittit vnius formæ communionem.* Vbi notandum insuperest, hanc vocem (*faciamus*) non tantùm quia pluralis est

numeri

numeri indicare plures perſonas diuinas, ſed etiam ſignificare eas eſſe coëſſentiales & conſubſtãtiales, habereque (vt ſuprà iam dixi) creandi potentiam. Inuitantur enim à Deo Patre, vt cum ipſo communiter & per coæqualem potentiam operentur. In eo Verbo, *faciamus*, admonet Cyrillus *lib.1.commentariorum in Ioannem*. nihil humile de Filio tãquam miniſtro contineri: *Non enim dixit, fac, Fi io ſuo imperans; ſed tanquam coniunctum naturâ, indiuulsè operis deliberationiſque participem adhibet; non vt eam quæ eſt in ipſo Verbo cognitionem anteuertat, dum aliquid intelligit, ſed tanquam mens indiuulsè impreſſo & indito Verbo patefacta.* Præclarè idem Fauſtinus, *Non eſt*, inquit, *vnius perſonæ dicere, faciamus ad imaginem noſtram; ſed neque diuerſæ Deitatis. Nam pluralitas harum duarum vocum (faciamus, & noſtram) Patris & Filij Perſonas ſignificat. Quòd autem ſingulariter imaginem dicit, vna Deitas, vna virtus vtriuſque perſonæ ſignificatur.*

5. His locis Geneſeos iam productis addi debet ex Eccleſiaſte locus alius illis conſimilis, & eandem argumenti vim præbens ad noſtrum propoſitum. Vbi enim apud Eccleſiaſten legitur *cap.2.* in Vulgata; *Quid eſt homo, vt ſequi poſſit Regem factorem ſuum?* Hebraïcus textus pro (*Regem factorem ſuum*) habet (*Regem, qui fecerunt eum*) המלך אשר עשוהו. Quem locum ſic exponit Midras Coheler, ſiue commentarius in Eccleſiaſten: *Poſt Regem ſcilicet aliorum regum Regem, Deum ſanctum & benedictum tunc valebis ſtare? Docet per hoc dictum, quod non eſt ſcriptum (qui fecit eum) ſed (qui fecerunt eum;) quòd ex quo in lege ſcriptum eſt, dici poteſt Deus ſanctus & benedictus, & domus iudicij eius fecerunt eum. Si autem ex hoc dixeris, quòd ſunt duo principia, non ſequitur. Nonne enim iam dictum erat Deuteronómij cap. 32. ipſe fecit te, & aptauit, vel præparauit te?* Hactenus ille commentarius. In quo notandum eſt primò nomen ſingulare, *Rex*, iungi verbo plurali, *fecerunt*. Quomodo etiam dicitur Iſaiæ 54. *factores tui, Deus exercituum nomen eius*: vbi eſt nomen tetragrammaton. Secundò notandum eſt ſignificari in eo commentario Trinitatem, quatenùs dicitur, *Deum benedictum & domum iudicij eius conueniſſe ad faciendum hominem.* Per domum enim iudicij intelliguntur tres perſonæ. Quandoquidem domus iudicij apud Hebræos dicebatur, cùm tres vt minimùm ad iudicandum conueniebant. Significatur & vnitas diuinitatis, quatenùs illa expoſitio ait, *plura ex eo non eſſe principia, quòd domus conſilij ſeu iudicij Dei ad faciendum hominem conuenerit*; quia in Trinitate vna eſt natura, & potentia principij. Idque firmatur loco, qui ex Iſaiæ 54. allegatus eſt.

6. Eruitur & efficax argumentum ad probationem Trinitatis ex eo quod habetur Geneſeos 3. *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt.* Peto enim quoſnam Deus ibi alloquatur? Non certè ſe ſolum, ſed plures omnino perſonas; nec eas niſi diuinas. Se ſolum; reſpondet R. Selomoh. Angelos, nec diuinas perſonas, reſpondet R. Abenhezra. Primò, quàm abſurdè R. Selomoh Deum inducit quaſi ſoli ſibi loquentem? Sed quàm ineptè illius explicat locutionem quaſi his vteretur verbis: *Ecce Adam ſingularis eſt & vnus in inferioribus, ſicut ego in ſuperioribus ſum ſingularis & vnus.* Verùm ex illo Rabbino quæro, in quonam huiuſmodi vnitatis prærogatiuam, ſingularitatemque poſitam eſſe velit. *In ſcientia*, inquit, *boni & mali*,

mali, cuiusmodi non est in bestiis. Atquàm opica vereque Iudaïca est illa sermonis diuini explanatio? Quòd instar Acconis vesanæ mulierculæ Deus secum solitarius loquens, se doceat id quod nec doceri debeat, si sciat nec, docere possit, si nesciat, indigeatque doceri. Præterea si vnitas ac singularitas illa, & prærogatiua consistat in scientia, esto reperiatur in homine versante inter bestias expertes scientiæ: atquomodo reperiri potest in Deo versante cùm Angelis, qui toti sunt intelligentia, nec sunt expertes scientiæ boni & mali? Adde non potuisse Deum (si sibi soli loquebatur) dicere, *Adamus est vnus ex nobis.* Secundò quod attinet ad Abenhezra, non minùs inscitè ille respondet Deum sermocinatum esse cum Angelis. Quomodo enim, cùm Deus & Angelus sint diuersissimæ conditionis, potuerunt illa verba dirigi ad Angelos, *Adam est quasi vnus ex nobis;* hoc est, quasi vnus ex Deo & Angelis? Quid sibi vult hic nugacissimus loquendi modus, nisi Rabbinum illum insanire, qui Scripturam sacram ita interpretetur? Valet igitur locus iste contra Iudæos, & conuincit pluralitatem dari personarum diuinarum, vt docet Augustinus *lib.* 11. *de Genesi ad lit. cap.* 39. Basilius 5. *contra Eunomium*, Cyrillus 3. *contra Iulianum &c.*

7. Addi potest præcedentibus locis, quod narratur Geneseos *cap.* 18. Abrahamum tres, quos vidit, Angelos (diuinum, vt nemo diffitetur numen repræsentantes) pro vno habuisse atque adorasse. Ipsos vero ex sua parte Angelos pro vno item se gessisse, & perinde ac si tres suæ personæ vnum essent, contulisse cum ipso Abrahamo sermonem talibus verbis: *Reuertar ad te hoc eodem tempore*, &c. Et Moses narrans totum hunc congressum atque colloquium, illos tres in singulari Dominum nominat pluries. *Apparuit*, inquit, *ei Dominus*, (יְהוָה) *in conualle Mambre.* Ex hoc Geneseos loco Augustinus *lib.* 2. *de Trinit. cap.* 11. & 12. Hilarius 4. *de Trinit.* aliique non pauci argumentum colligunt, quo tres consubstantiales personæ probentur. Nec valet quod fingere quis posset, illorum trium vnum extitisse insigniorem, alios autem duos quasi eius asseclas; atque illum insigniorem fuisse in singulari & compellatum ab Abrahamo, & de se vno locutum. Id, inquam, figmentum est, & voluntaria diuinatio. Et qui benè verba Scripturæ perpenderit, ex iis intelliget, Abrahamum eadem illa vnica adoratione, quà vnum, tres ipsos omnes adorasse.

8. Denique variè sparsi toto veteri Testamẽto loci occurrunt, in quibus aliqua saltem leuis aura spiret huius veritatis. Tales sunt in quibus tres personæ, vel nominantur disertè, vel subobscurè significãtur repetitione terna cuiusdam vocabuli diuinum numen exprimentis, aut ad illud pertinentis, vt cùm dicitur in Psalmo 66. *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.* Isaiæ autem 6. nomen tetragrammaton in singulari cum terna repetitione sanctitatis diuinæ, vnitatem Deitatis simulque ternarium personarum numerum designat, cùm dicitur, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus*, יְהוָה, *exercituum.* Vbi Ambrosius *lib.* 2. *de fide, cap.* 4. notat, vt ostenderetur vnam tantùm esse Deitatem, postquam repetitum est ter nomen, *Sanctus*, addi singulariter, Dominus Deus Sabaoth. Psalmo 32. ipsa trium personarum vocabula exprimuntur, Verbum Filius, Dominus Pater & Spiritus velut ab vtroque efflatus halitus: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritus oris eius*

omnis virtus eorum. Geneseos *cap.* 9. Dominus Deus distinguitur à Domino Deo, tanquam à diuersa persona, cùm dicitur: *Pluit Dominus à Domino è cælis.* Vtrobique enim Dominus significatur nomine יהוה.

9. Denique sunt quædam loca veteris Testamenti, quæ in nouo explicata probant ἀναντιῤῥήτως Trinitatem Catholicis, & iis hæreticis, qui nouum Testamentum admittunt. Talis est locus Psalmi 11. *Dominus dixit ad me. Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Qui locus de Christo Filio Dei explicatur *Actor.* 4. *&* 13. & *ad Hebr. cap.* 1. *&* 5. necnon *Apocal.* 11. *&* 29. Itáque intelligebant veteres Rabbini, vt testatur Abenhezra. Quiuis R. Selomoh in odium Christianorum, quos Minæos, seu Hereticos vocat, addat locum hunc detorquendum esse ad Dauidem להשובה המינים: hoc est, *ad respondendum Minæis.* Talis item est locus, quo Paulus diuinitatẽ Christi probat *Hebr.* 1. ex Psalmo 44. *Sedes tua Deus in sæculum sæculi. Virga directionis virga regni tui. Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Vbi significare Apostolus intendit verum esse Deum, qui vnctus sit secundùm naturam humanam; & Deum vngentem, quem palàm est nec diuersum Deitate, cùm duæ Deitates esse non possent; nec eundem personalitate. Deniq; nõnullis aliis omissis locis, id quod habetur Psalmo 109. *Dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis*, est manifestè intelligendum de Christo, quem Dauid suum vocat Dominum; & cui Deus Pater sedem assignat ad dexteram suam. Hinc habetur illum, cui loquitur Pater, esse ab hoc distinctam personam. Risu enim dignum foret, si quis assereret, quòd Pater seipsum velit assidere sibi ad dexteram. Sed & habetur præterea illum, cui Pater loquitur, esse verè Deum. Nam Christus ex illo psalmi loco probat *Matthæi* 22. suam diuinitatem. Quæ probatio teste Euangelista, Iudæis, quibus ipse Christus loquebatur, visa est tam efficax, vt ne mutire quidem contrà sint ausi, compressaque sit procax eum amplius integrandi temeritas.

CAPVT VIII.

Probatur idem mysterium traditione, & Sanctorum Patrum authoritate.

1. QVod in cæteris orthodoxæ fidei placitis ferè contigit, vt antequam quorundam hæreticorum imbutæ prauitatis erroribus mentes contra illa resistere, repugnareque cœpissent, velut circumfusa tenebris quodammodo laterent, & pios inter doctosque viros flexiloqua multa, obscuraque dicta de illis proferrentur; donec conuocatis examinata Conciliis decretorio tandem Ecclesiæ iudicio definirentur; idipsum in hoc præcipuo Christianæ Religionis est videre mysterio, cuius vel penitus extinguere, vel saltem adulterare, vitiareque fidem explicatis omnibus suis viribus dæmon ab initio contendit, vt Dei naturam, quam in ea ipsa non poterat, saltem in hominum opinione destrueret. Hac enim via rationeque machinationis ille processit, vt ferè, quo ordine in Apostolorum Symbolo Catholicæ dogmata professionis priùs vel posteriùs proponuntur, eodem sæculorum ordine aggrederetur, euerteretq; conaretur. Nihil itaque priùs habuit, quàm vt in primum Symboli caput inuaderet, ac mortales

mortales à Patris, seu Dei Creatoris fide cultuque, & ab omni Numinis opinione dimoueret. Vnde Atheiſmi impietas, & (quod omnino idem eſt) Polytheiſmi; nullus enim Deus, niſi ſit vnicus. Tùm is dæmonomachiæ contra Deum Patrem furor cætera ſymboli capita continenter appetens, vltrà progreſſus eſt ad oppugnandam Filij conſubſtantialitatem. Tùm ad auferendam Incarnationis fidem. Poſt hæc ad ſequentes articulos deſcendens, Chriſti patientis,& mortem quà obeuntis, quà ſuperantis, itemque in cœlo regnantis obliterare veritatem conatus eſt. In Spiritus ſancti deinde numen, illamque gratiæ vim, quæ libertates hominum illæſas indeclinabiliter flectit; ac tandem in Eccleſiæ,quæ illo Spiritu animatur, ſanctitatem, & in omnem huius doctrinam errationis expertem ſuos conuertit impetus. Adeo vt omnia Symboli Apoſtolici capita fuerint diabolica machinatione eodem oppugnata ſæculorum ordine, quo in ipſo Symbolo propoſita reperiuntur; & nullum ſit caput, quod non aliquandiu ſic manſerit obſcuratum, vt de illo minùs accuratè caſtigateque ſancti etiam aliqui viri ſcripſerint. Quod eò dictum eſt à me, vt nullus miretur, ſi de Trinitate Sancti nonnulli quædam non ſatis ad Eccleſiæ norman examinata protulerint, nonnec omnem caliginem Synodus Nicæna depulit.

Ante Nicænam Synodum, licèt à non nullis minùs benè explicata, viguit ſemper apud Sanctos Patres Catholica de Deo Trino fides.

2. Non mirum igitur, ſi ante illius tempora Synodi exciderit Irenæo vt diceret lib. 4. cap. 17. *miniſtrare Deo Patri ſuam progeniem, & figurationem ſuam.* Quomodo & Clemens Alexandrinus, necnon Iuſtinus martyr vocat Filium ὑπηρετοῦντα τῷ πατρί. Dionyſius item Alexandrinus non ſatis cautè eundem nominat ποίημα γενητόν. Tertullianus *lib. 2. contra Marcionem, c.27.* vult eũ qui Abrahamo, reliquiſque illis maiorum gentium Prophetis ſe videndum præbebat,fuiſſe Creatoris Filium ſpecie humana: *Qui iam inde ediſcebat hominem, quod erat futurus aliquando. Inuiſibilem verò ob ſummam ſuam perfectionem Patrem, qui dum mundi vniuerſitatem fabricare voluit, Sermonem ſuum, quem antea nondum genitum intra ſe habebat, proferendo, Filium feciſſe,& omni diſpoſitioni ſuæ,voluntatiq; præfeciſſe.* Tunc igitur quando mundus condendus erat, ipſe Dei ſermo (vt hic author comminiſcitur) ornatum ſuum ſumpſit, ſonum, & vocem, cùm dixit Deus, *fiat lux*: ſic tamen vt ille Dei ſermo non eſſet tantùm prolatitius, ſonuſque ſolus oris, ſed ſubſtantia, & perſona; *cui nomen,* inquit, *filij vindico; & dum filium agnoſco, ſecundum à Patre defendo.* Quod Theologiæ genus dignum eo eſt, qui aliunde ab Eccleſiæ fide deſciuit. Non minore eſt implicatum errore quod Theophilus Antiochenus voluit, Deum habuiſſe Λόγον ſuis intimum viſceribus (ἐνδιάθετον τοῖς ἰδίοις σπλάγχνοις) & eructaſſe illum ante cæterarum rerum productionem, &c. Quod Platonem redolet. In variis quorundam antiquorum de Patre differentium hallucinationibus aliqua reperiuntur, quæ tangunt, omninoque diſſoluunt id quod in hoc myſterio intrinſecum eſt, & ἀπωδεῖς, vt per ſe conſtat. Nonnulla tamen, ab iis præſertim,qui ſancti,nec vllius aliunde ſuſpecti fuerunt hæreſeos, dicta

occurrunt, quæ vel ad Filium vt incarnatum referri possunt, vel ad quædam illi connexa tantùm, & consectaria pertinent, vel in solo damnanda sunt loquendi modo.

3. At vero contrà manifestum est, inuentos fuisse quamplurimos, quorum scriptis, & authoritate Catholicum de Trinitate dogma iam inde ab Apostolicis temporibus ad Nicænam vsque Synodum perpetuo, nec interrupto tramite propagatum sit. Imò aduertendum est magnam partem illorum, quos circa illud perperam alicubi locutos esse iam vidimus, in variis scriptorum suorum locis disputasse de hoc mysterio apprimè catholicè. Sanè ipsi Trinitatis hostes, cum in Christi diuinitatem æquales Apostolicorum ferè temporum insurrexerunt, argumentum contrà ac intendebant, ipsius quam impugnabant veritatis certissimum, & ad insequentium sæculorum posteritatem transmittendum pepererunt. Cùm enim constet, quotquot tunc erant sanctitate insignes, illorum conatibus obuiam iuisse, acerriméque restitisse; dubitare non possumus, quæ fuerit primorum huiusmodi temporum fides, & ab Apostolis paulo ante tradita de Trinitate doctrina. Et qui postea præcipui fuère catholicæ fidei defésores, vt Athanasius, Basilius & multi alij variis etiã in Synodis Patres asseruerũt se illius dogmatis propugnationem suscepisse, quod tanquam certissimum ab Apostolis patrimonium ad ætatis suæ Ecclesiam peruenisset. Athanasius quidem *orat.* 1. significat, dogma illud acceptum fuisse à Nicænis Patribus tanquam vetus; idque vocat τὴν ἐκ πατέρων πίστιν, ἣν ἔγνωσαν οἱ ἐν Νικαίᾳ συνελθόντες ὑπεμνημάτισαν, *fidem scilicet ex antiquo traditam, quam Nicæna Synodus recoluit veterum explicans memoriam temporum.* Basilius autem ait Sanctos Patres consubstantialitatem Spiritus Sancti διὰ μακρᾶς τῆς συνηθείας ταῖς ἐκκλησίαις ἐγκαταρριζῶσαι, *per diuturnam scilicet consuetudinem altis in Ecclesia radicibus stabilisse.* Fuerunt igitur, testibus Athanasio atque Basilio, plurimi, qui omni memoria Catholicam de hoc mysterio doctrinam propugnarint, velut πατροπαράδοτον traditionem longis ad suum vsque sæculum successionibus deuolutam.

4. Illi autem, per quos velut per canalem perpetuum ad Nicænos vsque Patres ea traditio descendit, fuere quamplurimi, vt habetur ex prædictis Athanasio, atque Basilio, qui se illorum lucubrationes legisse testantur. Quarum lucubrationum, quamuis plurimæ perierint, non paucas habemus superstites; ex iisque aliquas hìc indicare attinet. Clemens quidem Romanus, *qui*, vt ait Irenæus, *& vidit Apostolos, & cum iis contulit*, sic scripsit ad Corinthios: *Annon vnum Deum habemus, & vnum Christum, & vnum Spiritum gratiæ effusum in nos?* Vbi tres personas vno ductu ita percenset, vt eas nullo haberi velit naturæ dignitatisque discrimine. Basilius eiusdem Clementis, vt ipse vocat, ἀρχαιοτέρου, hęc non absimilia prædictis verba refert libro de Spiritu sancto, cap. 29. *Viuit Deus, & Dominus Iesus Christus & Spiritus sanctus.* Quid aliud quam consubstantialitatem sonat hæc Ignatij sententia non suppositita, neque falsi suspecta (cùm ab Athanasio citetur in libro de Synod.) Christum asserens increatum: *Quoniam non est ex operum & creaturarum numero, sed Filius ex Patre.* Sanè cùm nolit eum esse ex creaturarum genere, necesse est vt velit naturam habere diuinam, quandoquidem creatam inter, diuinamque naturam nihil est medium.

medium. Illorum æqualis ferè temporum fuit Polycarpus ab Apostolis, & iis qui Christum viderant edoctus; & qui, vt ait Irenæus, docuit semper quæ ab Apostolis didicerat. Hic igitur Polycarpus hanc edidit cycneam dum moreretur vocem, quam refert Eusebius lib. 4. cap. 14. *O dilecti & benedicti Filij tui Iesu Pater, de omnibus te laudo, te benedico, te glorifico per sempiternum Pontificem Iesum, dilectum Filium tuum, per quem tibi cum ipso in Spiritu sancto gloria, nunc & in futura sæcula sæculorum. Amen.* Illis item ætate propinquus Iustinus hæc habet in apolog. 2. *Iesus Christus solus propria ratione Filius genitus est à Deo: μόνος ἰδίως υἱὸς τῷ θεῷ γεγέννηται.* Vbi explicat quod antè dixerat, *eum esse peculiari modo Filium Dei, non propter ortum, qualis est in creaturis.* Athenagoras in legatione pro Christianis ad Aurelium & Lucium Commodum; *Sunt*, inquit, *vnum Pater & Filius; estque Filius in Patre & Pater in Filio.* Sed quid illis Irenæi verbis, qui suppar fuit Apostolis tempore, pronunciari potest illustrius ad æqualitatem Patris & Filij ostendendam, cùm pronunciauit, *Ipsum immensum Patrem probè dici à suo mensurari Filio: mensura Patris Filius, quoniam capit eum.*

5. Quamuis Origenes multos accusatores habeat, quasi de Trinitate malè sentiens: audiendum tamen est, quid Athanasius non in hac re suspectus referat in decretis Nicænæ Synodi, quasi dictum ab ipso. *Si Christus est Dei imago inuisibilis, ipsa quoque inuisibilis. Equidem hoc quoque adiecerim; cùm sit idem similitudo Patris, non fuisse aliquando cùm non esset. Quandonam enim Deus, qui secundum Ioannem lumen dicitur, splendorem propriæ gloriæ non habebat, vt audeat quispiam initium dare Filio cùm antea non esset? Ecquando verò illa hypostaseos Patris imago, character ille Verbum Patrem cognoscens non fuit? Animaduertat enim si quis dicere hoc audeat, Erat aliquando quando non erat Filius; illud etiam se esse dicturum, Sapientia aliquando non erat; &, Verbum non erat; & Vita non erat.* Sic Origenem scripsisse testatur Athanasius. Testatur & Basilius *cap. 29 de Spiritu sancto*, religiosas ipsum voces de Trinitate protulisse. Clemens Alexandrinus vt Platonicos alicubi habeat loquendi modos, & παρορᾶματα quædam circa Trinitatem; ea tamen non id lædunt quod in hoc mysterio caput est, & vt Patres Græci loquuntur, τὸ ὑγιὲς καὶ τὸ συνέχον τοῦ δόγματος. Et in Protreptico asserit Patrem, & Filium vnum esse Deum. Tam densa occurrit testium nubes fidem quæ de Trinitate in Ecclesia ante Nicænam Synodum viguit declarantium, vt si eos recensere velim, infinitus sim, qui iam nimius fui. Ex dictis agnoscere potest vnusquisque canalem ab Apostolicis temporibus ductum vsque ad Nicænam Synodum, quo dilucido, nec interrupto Catholica fides, licèt inter quasdam tanti mysterij nondum tunc satis explicati salebras difficultatesque, defluxit.

In Concilio Nicæno stabilita fuit Catholica de Trinitatis mysterio fides: & omnium Christiani orbis Præsulum collecta authoritate definitum ὁμοούσιον.

6. Quandoquidem hoc capite probationem instituimus mysterij Trinitatis sumptam ex Patrum authoritate, omitti non debet Nicæna Synodus; in qua nubes densissima testium, & numerosa Patrum se nobis offert authoritas. Antequam celebraretur ea Synodus (cuius & habendæ occasionem

nem, & habitæ historiam interest hîc strictim exponi) acciderunt nonnulla, quæ turbarent Ecclesiam, eiusque cogendæ necessitatem attulerint. Erât qui in celebratione Paschæ ritum vellent seruare Iudaïcum, quantum attinet ad tempus, aliis contrà nitentibus. Vnde magna erat orta confusio. Quippe eodem tempore alij ieiuniis ac pœnitentiæ, alij lætitiæ remissionique Paschali operam dabant. Hæcque fuit vna ex causis Nicænum cogendi Concilium. Altera fuit praeterea causa, nempe fidelium non parua commotio ex Meletij schismate. De quo Meletio Socrates asperiùs, Epiphanius multò suauiùs loquitur. Erat is in Thebaïde Archiepiscopus, & secundum locum post Patriarcham Alexandrinum obtinebat. Aliquid verò controuersiæ (qualecunque illud fuerit, non enim Socrates Epiphaniusque conueniunt) habuit cum sancto Petro Alexandrino; & ab hoc deficiens, schisma fecit; seque ducem eorum præbuit, qui ex ipso Meletiani sunt appellati. Hoc Meletij cum sācto martyre Petro dissidium Nicænos Patres videtur induxisse ad condendum canonem de prærogatiua sedis Alexandrinæ, qui est sextus inter Canones Græcos. Ipse verò Meletius (confessor alioquin egregius) sic fuit à Concilio damnatus, vt Lycum incoleret, nomen solum, functionem vero nullam Episcopi retinens.

7. Tertia, potissimaque causa œcumenicum Episcoporum Senatum Nicæam conuocandi fuit Arius, qui tanquam dæmonium meridianum (vt eum Hieronymus vocat) ipsi Trinitati bellum indixit, & Christo in meram creaturam deposito æternitatem abrogare conatus est. Cùm enim in vrbe Alexandria plures essent variis assignatæ presbyteris Ecclesiæ; nam præter magnam (quæ Cæsarea dicebatur, cuius ædificationem Athanasius absoluit) nonnullæ visebantur aliæ, in quarum vna Colluthus erat, in aliis alij; in ea quam vocabant Baucalidem, Arius. Isti verò Presbyteri diuersas doctrinas, populis quisque suis, proponebant; Colluthus præcipuè se pro Episcopo gerens, & maiore fidelium damno Arius. Qui subtristi specie pietatem præ se ferens, colloquio dulcis, nouitatis, & gloriæ amans, contra Verbi consubstantialitatem blasphemias euomens, septingentas adolescentulas virginitatem professas sibi adiunxit, & septem, vt fama fuit, Presbyteros, Diaconos duodecim. Eaque pestis ad Episcopos vsque peruenit, ac Pentapoleos Præsulem inuasit, nomine Secundum. Cuius rei gratià conuocato Alexandriam Concilio ipsum Arium Alexander excommunicauit, & contra eundem vicinos circumeuntem Episcopos encyclicas misit epistolas. Illum autem excepit ad se confugientem Eusebius Nicomediensis.

8. Incubuit Constantinus Imperator curando huic morbo in dies ingrauescenti. Sed spe recuperandæ pacis frustratus, ex omnibus Christiani orbis partibus conuocauit Episcopos Nicææ ciuitate Bithyniæ. Quare habitum est ibi Concilium anno Christi 325. siue (quod idem est) æra 363. Incepit enim prima æra annis 38. ante Christum natum; quando Hispani multùm æris (vnde nomen æræ) pependerunt ob agendum de Sertorianis à Domitio Caluino in Hispania victis triumphum. Inchoatum autem est Concilium die 18. Kalendas Ianias; & tenuit vsque ad 8. Kal. Septembris; vel eiusdem anni, vt quidam

dam volunt, ita vt parum excesserit tres menses; vel anni 328. ita vt excesserit tres annos.

9. Sumitur autem pro consubstantialitate Verbi ex hoc Concilio validum argumentum. Primò enim ille Patrum numerus, quo totius flos continebatur Ecclesiæ (conuenerant enim trecenti & octodecim ex omni collecti orbe Christiano) dum in sancienda consubstantialitatis fide tam vnanimis illicò fuit; satis indicauit altis radicibus fidem illam apud omnes nationes ab initio nixam fuisse, atque adeo antiquissima traditione firmatam. Nisi enim quisque suis ex prouinciis, tanquam inueteratam, prisceque traditam opinionem illam detulisset, nũquam tam prompto vnanimique consensu in eam sciscendam conspirassent. Vnde intelligitur infinitò plures fuisse viros sanctos atque doctissimos, qui, etiam scriptis, orthodoxam de Trinitate doctrinam ante Nicænorum illorũ Patrum ætatem propugnarant, quàm eos quorum ad nos monumenta peruenerunt. Secundò pro sana circa Trinitatem fide sumitur argumentum inexpugnabile ex propria Nicænorum ipsorum Patrum authoritate; qui eam fidem non tantùm explicuerunt, sed & definierunt, omnibus qui repugnarent, damnatis, anathematique subiectis. Constat autem omnem illum (quantus erat) sapientissimorum Præsulum Senatum in eam sanctionem, Ariique dãnationem consensisse, exceptis solis, qui septem supra decẽ erant, Arianis.

10. Catholici porrò Episcopi erant omnes ferè sancti, & inter illos doctissimi non pauci. Aderat ex Ægypto Paphnutius ille miraculorum patrator, cui effossus fuerat à Maximino dexter oculus, & sinister poples succisus; cuius oculũ Constantinus non sine reuerẽtia obsculabatur. Aderat & Spiridion ex Cypro, & ipse miraculis clarus. Potamon Heracleensis, & Paulus Neocæsareensis, illustres ambo mutilatis membris confessores. Iacobus Nisibenus, prodigiosis coruscans operibus. Leontius, quem columnam Ecclesiæ Athanasius nominauit; qui, cùm iret ad Synodum, Patrem Gregorij Nazianzeni baptizauit, Episcopumque fore prædixit. Nicolaus Myræ Episcopus, quem Ecclesia in eius festo infinitis canit decoratum fuisse miraculis. Quid cæteros enumerem? Sanctum Alexandrum Patriarcham Alexandrinum cùm suo tunc Archidiacono Athanasio: Eustathium Patriarcham Antiochenum, qui nomine totius Concilij habuit orationem ad Constantinum, & clarissimi tubâ (vt ait Hieronymus) contra aduersarios bellicum cecinit? Quid denique Hosium Cordubensem, qui Sancti Syluestri Legatus Concilio præfuit? Illos, quos dixi omnes, & alios quamplurimos Patres, quotquot in illo extitère consessu, ex prisca incorruptæ Ecclesiæ vetustate produco testes Trinitatis omninò idoneos. Cum illis repertus est etiam vnus Nouatianus Episcopus, nomine Acesius, qui cum Catholicis Concilio subscripsit: eaque de re à Constãtino interrogatus, *nihil*, inquit, *ô Imperator, Concilium definiuit noui; illa enim vsque ab Apostolis fuit semper Ecclesiæ doctrina.*

11. Isti igitur numero trecenti, vno omnes ore, pestilentem Arij (aduocati sæpiùs, & patienter auditi) hæresin cum execratione damnauerunt, præsente Imperatore, qui auro gemmisque collucens ingressus erat, & posita illi aurea sella humili non priùs assederat, quàm Patres annuissent. Ab iis conditum est Symbolum fidei, inserto in illud nomine ὁμοούσιον.

Damnatâ

Damnatâ Arij doctrinâ, personam etiam eius damnauerunt. Cui damnationi cùm septem decim Episcopi reclamassent, subscribereque recusassent, vndecim ex illis intentato exilij metu se assentiri simularunt. Eusebius vterque, Nicomediæ & Cæsareæ: Theonis Nicææ, Maris Chalcedonis, Theonas Marmaricæ, Secundus Ptolemaidis, subierunt exilij damnationem. Licèt Theodoretus duos tantùm obstinatiùs restitisse, exilioque mulctatos asserat Eusebium Nicomediensem & alterum Cæsareensem (vt versipelle est, quod & nostro tempore in Iansenistis experti sumus, hæreticorum ingenium) ad pœnam declinandam subscripsisse ὁμοουσίῳ testatur Athanasius libro de decretis Nicænæ Synodi. Verumtamen, cùm hæc hæresis verbo illo ὁμοουσίῳ, tanquam lethifero telo se traiectam sentiret, eum commolita est dolum, vt prætextu pacis τὸ ὁμοούσιον, taceretur. Quod qui Sirmij conuenerunt Ariani statuerunt: Ἐπειδὴ, inquiunt, πολλοὺς κινεῖ περὶ τὸ λεγομένης ὁμοουσίου ἑλληνιστὶ δὲ λεγομένης οὐσίας. τοῦτ' ἔστιν ἵνα ἀκριβέστερον γνωσθῇ τὸ ὁμοούσιον ἢ τὸ ὁμοιούσιον· οὐ χρὴ παντελῶς τούτων μνήμην γίνεσθαι.

Ariana hæresis, postquam tam valido Nicænæ Synodi telo icta magno se furore diu commouit, oppressa tandem fuit omnium sequentium deinceps Patrum authoritate.

12. Ex dictis habetur numerosum illud trecentorum Patrum agmen ita pro Trinitatis, & ὁμοουσίου veritate pugnasse, vt vno veluti prælio fractæ fuerint Arianæ impietatis vires: sicut trecentis suis expeditis, à seque instructis (חֲנִיכָיו) Abrahamus olim quatuor Barbaros fudit. Veruntamen monstrum illud hæreseos, instar colubri tortuosi, attrito suo capite Ario, sic longè lateque se per aliquot annos volutauit, omnes vt orbis partes complicuerit, compressasque tenuerit arcto gyrorum amplexu. Estque non minùs incredibile quàm luctuosum memoratu, quàm nefarios conatus, impetusque monstrum illud animam agens habuerit. Tanto successu ipsos vbique Episcopos adortum est, vt nisi Deus nobis reliquisset semen in quorundam Præsulum per singulas prouincias exporrecta virtute, totus orbis extincta vera fide se Arianum esse professus esset. Præcipuè Athanasius in Oriente Dei domum suffulsit, & in diebus suis labore diutino corroborauit orthodoxæ pietatis templum, quod vndique impietatis hæreticæ tormenta quatiebant. In Italia egregiam Religioni operam nauauit Ambrosius. Hilarius (quem ritè quis Athanasium Gallicum nominarit) concussam in Gallia fidem fulsit doctrinâ, sanctitate & omni ope, nullo iacturæ, nullo exilij, nullo cuiusvis respectu periculi. Sed Romanæ imprimis robur Ecclesiæ, quæ columna & firmamentum est veritatis, omnium terrarum ac gentium orbem, ne laberetur, sustinuit. Non defuerũt quidam alij virtutis celsitate animique magnitudine insignes, qui se murum opponentes pro Christi diuinitate tuenda, Imperatorum sub Christiano nomine conantium ipsius Christi nomen extinguere, fallaces contempserunt blanditias, necnon summam in tormentis crudelitatem.

13. Nec enim atrocior fuit Neroniana, Diocletianeáve contra Christianos, ne idola repudiarent, persecutio, quàm fuerit ab Arianis Principibus contra Catholicos, ne Christum Patri, ὁμοούσιον, faterentur. Huius verò persecutionis atrocitas eò maior fuit, quòd

quòd partim blanditiis, specieque pietatis sæuitum sit, partim cruciamentis, atque torsionibus. Vtrumque illud persecutionis genus testatur Hilarius vsurpasse Constantium, quem his verbis compellat: *At tu, omnium crudelitatum crudelissime, subrepis nomine blandientis, specie religionis impietatem peragis, Christi fidem Christi mendax prædicator extinguis; non relinquis miseris excusationes, vt æterno Iudici laniatorum corporum præferant cicatrices, vt infirmitas defendat necessitatem. Scelestissime mortalium omnia persecutionis mala ita temperas, vt excludas & in peccato veniam, & in confessione martyrium.* Hæc Sanctus ille Doctor de Constantij in blanditiis crudelitate. Quantam verò ille blanditiis miscuerit tormentorum sæuitiam, ostendit ipse etiam Hilarius postquam eidem Episcoporum quorundam exprobrauit exilium: *Mediolanensem*, inquit, *piissimam plebem furore terroris tui turbasti. Tribuni tui adierunt sancta sanctorum, & viam sibi omni per populum crudelitate pandentes, protraxerunt de altario Sacerdotes. Vertisti deinde vsque ad Romam bellum tuum: eripuisti illinc Episcopum; &, ô te miserum! qui nescio vtrum maiore impietate relegaueris, quàm remiseris. Quot tu deinde in Ecclesiam Tolosanam exercuisti furores? Clerici fustibus cæsi, Diacones plumbo elisi, & (vt sanctissimi mecum intelligunt) in ipsum Christum manus missæ, &c.* Verùm vt seditiones, cædes, trucidationesque tam Alexandriæ à Gregorio, & huius successore Georgio pseudopatriarcha gemino, infulatoque tyranno; quàm ab aliis alibi perpetratas omittam, incredibilia sunt luctuosissimaque memoratu, quæ Vvaldenses in Affrica Reges Ariani crudelitatem ex intimo pectore anhelantes contra fideles ὁμοουσιαστὰς sanxerunt, & omnem superantes barbariem per ministros suos patrauerunt, vt Victor narrat Vticensis.

14. Nihilominùs fieri non potuit, vt monstrum illud hæreseos, eo ipso ab Ecclesia fulmine percussum, multis sæculis palpitaret, nedum vires haberet sæuiendi. Quare idem illi denique contigit quod idololatriæ, cuius vindices Imperatores, contrà ac animo intendebant, Christianorum constantiam nobilitarunt, eorumque fidem concitatis in eosdem persecutionibus stabilierunt: ipsimet autem exterminati sunt, & ad inferos descenderunt. Sic, inquam, moribunda hæresis Ariana illustriorem Catholicorum de Trinitate fidem reddidit, & in Ecclesia Doctores suscitauit, qui tanti veritatem mysterij elucidiùs quàm veteres explicarint integris in eam rem voluminibus. Quod contra ipsos nominatim Arianos tam multi præstiterunt, vt longum esset vel sola eorum nomina recensere. Definitiones innumeræ contra Arium accessere, cùm summorum Pontificum, tùm eorum omnium Conciliorum, quæ post Nicænum secuta sunt. Nec maiorem hìc opus est authoritatem quærere ex subsequentibus sæculis, in quibus omnibus inualuit, vt non tantùm in templis Sacerdotes, quam Patri, eandem Filio, & Spiritui Sancto gloriam pro singulorum clausula Psalmorum concinant; sed & ipsi ferè in cunis pueri Trinitatem, & personarum in ea æqualitatem testentur, dum crucis formare signum addiscunt, & primas voces balbutiente lingua in nomen Patris, & Filij, & Spiritus Sancti frangunt.

CAPVT IX.

De diuinorum mysteriorum, ac præsertim summæ Trinitatis obscuritate contemplatio mystica.

1. VErè tu es Deus absconditus, ô sancta Trinitas, & inhabitans in cœlo lucem inaccessibilem posuisti tenebras latibulum tuum. Nec enim consentaneum est præsentiam tuam, & interiora (vt ita loquar) familiæ tuæ, domesticaque in personarum propagatione mysteria creatis, profanisque vulgare conspectibus. Attamen quò ab hominum remotior es intuitu, eò magis accenditur, quod nobis innatum est, te videndi, tuaq; contemplandi desiderium. Sanè quemadmodum nihil est humano ingenio curiosius, & ad rerum abditè latentium inuestigationem sagacius: ita nihil reperiri potest, ea naturali sagacitate iucundius, nihil etiam vtilius, nihil honestius, quandiu quis rationis ductum sequẽs circa Deum resq; diuinas ita occupatur religiosã, vt iis indagãdis moderationẽ teneat. Quæ maior enim iucunditas? Quis fructus maior vtilitatis? Quid honestius creaturæ compoti rationis accidere potest, quàm si ex euentis, & effectis, quæ in natura patent, ad principem causam, & diuinam rerum originem per caussarum naturalium gradus eius notitia perueniat si præsertim supernaturale Christianæ sapientiæ lumen accedat? Præ qua sapientia Chrysostomus *homil. 21. in epistolam ad Ephesios*, ait omnem, quæ purè humana sit, sapientiam triobolarem esse, ac pro nihilo habendam. Et certè tam abiecta ea est, vt vespertilionis instar in maligna solùm infimi velut aëris luce circumuolitet, orbes nullo progressu, gyrosque percurrens inutiles.

2. Quid enim illi sapientes, quos tanto in pretio prisca inter Ethnicos vetustas habuit, de Deo rebusque diuinis produxerunt vnquam in medium, nisi insipidas disputationes, siccitate aridas, crassis obductas tenebris, atque anilibus implicatas ineptiis? Quare Apostolus Colossenses admonet *cap. 2.* ne vllus ex Gentilitiæ sapientiæ cloaca pestilentes ad sui fundi vtilitatem aquas deducat, licèt earum fluxus ob dictionis politioris elegantiam dulci murmure, lenique susurro tenere mentes imbecillas videatur. *Nemo vos*, inquit, *decipiat in subtilitate sermonis per Philosophiam, & inanem fallaciam. Paulus enim* (ait Tertullianus *lib. de præscript. cap. 2.* & *lib. de anima, cap. 3.*) *fuerat Athenis, ibique expertus linguatam ciuitatem, cùm omnes illic sapientiæ atque facundiæ cauponas degustasset, inde concepit præmonitorium istum edictum.* Videbat scilicet diuina illa anima Tyaneum illo tempore Apollonium sub Philosophi nomine magum, & alios eiusdem farinæ homines orbem circuire, infernamque cœlesti sapientiæ vanitatem opponere. Quare non magis eleganter quàm verè idem Tertullianus subdit, *Hæreses Philosophiâ subornari.* Ac deinde quæ, ex quibus Philosophorum sectis hæreses ortæ sint recensens asserit, *introductam quandam chimaricam hominis Trinitatem à Valentino, propterea quòd Platonicus erat.* Libro autem primo contra Marcionem, *Hæreses de Philosophorum* ait *ingeniis animari, & ex subtiloquentiæ viribus ac Philosophiæ regulis constare.*

3. At illa, quam Christiani sequimur, vera, germanaque sapientia, vt

vt mirabilem habet vtilitatem, liquidissimaque voluptate mentem humanam perfundit, sic maximo est honori, cùm in Dei, cuius excellentiæ nihil æquiparari potest, sublimi contemplatione versetur. Ipse enim docet Aristoteles primò libro de partibus animalium, cap. 5. *Etsi notio rerum caducarum, quæ in promptu nobis sunt, plenior à nobis habeatur, diuinarum autem longè exilior, tamen vi & pretio hanc illi antecellere, atque summè honorificam esse.* Εἰ γὰρ τῷ ὄγκῳ μικρά ἐστι, δυνάμει πολὺ μᾶλλον ὑπερέχει, πάντων τιμιωτάτη. Additque sapientiam ideò τιμιωτάτην esse, quòd se ab omni materiæ concretione expediens, ad superiorem naturam, & ad primum omnis naturæ authorem assurgat.

Res Diuinas nec omnino ignorari, nec penitùs introspici; sed omnibus & notas aliquomodo, & simul obscuras esse oportere.

4. Ex summa quam dixi, iucunditate, tum etiam vtilitate, atque honestate patet nihil nobis in hac vita debere potius esse quàm vt ea, quæ ad Dei notitiam pertinent, semper mente voluamus. Ideoque liber, quem primum de sapientia Salomon scripsit, Prouerbiorum, seu Parabolarum aut Paræmiarum inscriptione editus est, vt nimirum homines admonerentur, tam sibi familiaria esse oportere illa de Deo, diuinisque rebus dictata, vt in ore passim haberentur, atque in prouerbij venirent quodammodo consuetudinem, sicut præcipitur Deuterominij. *cap.6.ver.7.* Eam enim vim habet verbum Hebraïcum שִׁנַּנְתָּם, pro quo Biblia nostra habent, narrabis ea filiis tuis Prætereà nomine inscriptioneque Paræmiarum atque Parabolarum admonemur, ea quæ circa res diuinas nos scire conuenit, talia esse, vt allegoricis comparationibus iactari proponique passim in triuiis eo debeant modo, quo & ipse Christus proponebat; vnde & Paræmiarum nomen. Est enim, vt ait Basilius παροιμία ἐστὶ λόγος παρόδιος. Et vt explicat Athanasius, ὀνομάσθη παροιμία ἐπειδὴ παρὰ τὰς ὁδοὺς (τὰς οἴμους) οἱ τοιοῦτοι λόγοι ἐγράφοντο: hoc est, vocata est Paræmia quasi viatorius sermo, qui secundùm publicas tritasque vias, & in triuiis olim proscribebatur ad doctrinam quorumcunque obuiorum: quibusdam tamen allegoriis obscuratus, cùm sacra mysteria nòn aliter debeant prophanis oculis exponi, quàm velata.

5. Quàm enim retrusa per se, abditaque sit mortalibus rerum diuinarum notitia, significarunt Ægyptij solo naturæ lumine illustrati. Nam (vt est apud Plutarchum in eo quem inscripsit de Iside, Osirideque tractatu) ante suorum vestibula templorum sphyngas collocabant, earum vt aspectu singuli, priusquam in locum religiosum se inferrent, admonerentur, doctrinam rerum sacrarum occultissimè latêre, ac magnum esse mortalibus ænigma quicquid ad diuinitatem pertineret, πρὸ τῶν ἱερῶν τὰς σφίγγας ἱστᾶσιν, ὡς αἰνιγματώδη σοφίαν τῆς θεολογίας ἐχούσης. Atque nominatim in vrbe Sai fuisse memorat idem author fanum patriis religionibus consecratum diuinarum Scientiæ rerum, Isidi apud eos nuncupatæ (παρὰ τὸ εἰδέναι, Vt Ægyptiacum illud nomen Græci suo sunt interpretati sermone, quasi εἴδησιν.) Quo in fano incisum erat literis vncialibus illud ipsius de se Sapiẽtiæ diuinæ elogium; *Ego id sum quod est, & fuit, & erit: nec inter mortales quisquam peplum, quo*

tota obuoluor, auferre potuit, nec me vllus aliter quàm per huius pepli inuolucra perspiciet. Ἐγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγονὸς, καὶ ὂν καὶ ἐσόμενον. καὶ τὸν ἐμὸν πέπλον οὐδείς πω θνητὸς ἀπεκάλυψεν.

6. Quod Gentiles illi de abstrusis loquentes diuinæ sapientiæ latebris per mythicam Theologiam tradiderunt, idipsum Dionysius per mysticam Theologiam longè excelsiùs docuit, cùm asseruit, *Diuina lumina occultis interpretationibus nobis fuisse tradita, & quibusdam rerum corporatarum velis inuoluta*: τὰ θεαρχικὰ φῶτα, καὶ κρυφίᾳ παραδόσει ἐκφαντορικῶς ἡμῖν ἱδρυμένα, διὰ τῶν ἱερῶν παραπετασμάτων. Diuina siquidem scriptura cœlestem sapientiam non denudatam velo, & humanis aspectabilem oculis, sed opertam quasi peplo exhibet. *Velum* (inquit Hieronymus ad Paulinum) *non solùm in facie Moysis, sed & in Euangelistis, & Apostolis positum est. Turbis Saluator in parabolis loquebatur, & contestans mysticum esse quod dicebatur, aiebat, Qui habet aures audiendi audiat. Nisi fuerint aperta vniuersa, quæ scripta sunt, ab eo, qui habet clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit; claudit & nemo aperit; nullo alio reserante pandentur.* Res porrò diuinas ait idem Dionysius illustrissimas per se ac radiantes esse, nostram verò lippitudinem illis officere. Ex quo fit vt eos qui in aliquam earum cognitionum veniunt, asserat *in tenebras incidere nimio candore fulgentes, & in lumine tenebroso per id fieri doctos, quod ignorent, perque inscientiam eruditos euadere*; γνῶναι αὐτὸ τῷ μὴ γνῶναι.

7. Ex dictis constat mysteriorum maiestatē obscuritate custodiri. Quare ne cognitio rerum diuinarum vilesceret, factum est vt scriptura sacra ex destinato Dei consilio perobscura sit, & quasi velo minùs proprij sermonis obtenta. Illudque ait Origenes (*tomo 9. in Ioannem, cap. 9. Philocalia*), propositum fuisse tam Prophetis, quàm Apostolis. Vnde contigit vt Scripturam experiamur intricatam sæpè atque perplexam, potissimùm apud Paulum. Mysteriis enim enunciandis consentaneus est ille dictionis character, *Bona sunt* (inquit Prosper ex Augustino) *in scripturis sanctis mysteriorum profunditates; quæ ob hoc teguntur, ne vilescant; ob hoc quæruntur, vt exerceant; ob hoc aperiuntur, vt pascant.* Quæ vera cùm sint, quoties de quibuscumque mysteriis agitur; multò veriora sunt, cùm de ipsiusmet Dei natura dissseritur; cuius nec quidem proprium nomen יהוה sic traditur in lingua sacra, vt proferri audirive possit. Literis enim quatuor mutis ita constat, vt eius non solùm vis, sed vel ipse sonus (ignoratâ vocalium pronunciatione) lateat. Postquam *Exodi* 3. Deus, se id quod est, esse pronunciauit his verbis, *Ego sum qui sum: qui est misit me*; paulò post subdidit ea verba, quæ ita sumi possunt, vt nomen ipsius ignotum esse debere intelligatur, si pro eo quod lectio communis habet זה שְׁמִי לְעֹלָם: *Hoc meum*, scilicet, *est nomen in æternum*; legere quis velit mutata punctorum sub iisdem literis notæ, זה שְׁמִי לְעַלֵּם, nempe, *hoc meum nomen est ad abscondendum, siue ad latendum.* Quasi nomē suū, ideò vt nesciretur, indicauerit, neq; illud tā ad seipsū significandum, quàm ad se contegendum, occultandumque proposuerit.

8. Arcam Testamenti, quæ Dei sedes habebatur, & ipsius Dei appellatione in Scripturis sæpè designatur, nefas erat relectis inuolucris nudam intueri. Idque ex eo intelligitur seueritatis exemplo, quod in Bethsamitas Deus edidit, cùm pla-

gam

gam lethalem quinquaginta millibus hominum idcirco imposuit, quòd illam euolutam detegere, curioseque aspectare veriti non fuissent. Quam Arcam ipse Deus à Iudæis (vt augustum sui numinis seu typum, seu habitaculum) tali situ intra sancta sanctorum reponi, collocarique voluit, vt nec in tenebris, quantum ad se, obscura iaceret; nec tamen, quantum ad homines, palam esset, aut in vllius oculos posset incurrere. Candelabri enim ex auro perfecti (quod iuxta illa sancta penetralia foris positum erat) fulgore ac vigilibus noctu diuque lucernis semper illustrata collucebat, obliquâ scilicet veli extensi patefactione relictâ ad transmittendum in eam ipsius Candelabri lumen, sed tamen in suo illo, quo clàm splendebat, lumine, iis qui propè adstabant latebat, officiente nimirùm, ac tegente interpositi directâ custodiâ veli. Eodem ferè modo ipsum Creatoris numen, quod per se lucidissimum est, cùm (vt ait Ioannes) Deus lux sit, & tenebræ in eo non sint vllæ, per creaturam velut per vitream transennam internoscitur, edito vndecunque illustri sapientiæ, bonitatis, potentiæque summę specimine; ita tamen, vt infinitæ aliæ perfectiones illius delitescant; sed nec illarum ipsarum, quæ apparent, habeatur plena, & adæquata cognitio. Verùm imperfectam saltem illam, & quantulam potest humani vis ingenij obtinere, Dei notitiam æquum est vt quisquis in studium incumbit sapientiæ conetur acquirere; obseruando per omnia creaturarum diuerticula, flexionesque, diuinæ vestigia prouidentiæ.

Notitia Trinitatis non habetur nisi per mysticum ignorantiæ lumen in summo sapientiæ, charitatisque cacumine.

9. Nihilominus cùm in creaturis nulla sit inuenire vestigia, quæ nos ad Trinitatis cognitionem deducant; illi quos gratia cœlestis ad exquisitius aliquod Sapientiæ genus extulit, conantur alio quàm per creaturarum contemplationem tramite ad illud peruenire Theologiæ mysticæ cacumen, quod vsque ad diuinarum personarum lucem inaccessam assurgit. Ad quod nimirum cacumen Dionysius adspirabat cœli ales Empyrei, cùm suum de mystica Theologia librum ordiebatur, implorando summæ ipsius præsidium Trinitatis, quam τῶν χριστιανῶν θεοσοφίας ἔφορον, seu diuinæ Christianorum sapientiæ præsidem appellat. Eodem nos perciti desiderio, & nostram cum illius imploratione postulationem consociantes, à te iisdem cum ipso verbis, Trinitas summa, contendimus, vt nos *ad Theologiæ verticem omni cognitione, lumineque superiorem dirigas; vbi tua internæ diuinitatis mysteria obuoluuntur silentij tenebris præfulgentibus, & ea ipsa quæ operiunt occultantque, illustrantibus:* ἴθυνον ἡμᾶς ἐπὶ τὴν ὑπερφανῆ κορυφὴν, ἔνθα μυστήρια κατὰ τὸν ὑπέρφωτον ἐγκεκάλυπται τῆς κρυφιομύστου σιγῆς γνόφον. Lates enim, Deus, in lumine tuo abstrusissimè, & tenebris præfulges offusus. *Trinitas tua* (inquiebat olim suis in soliloquiis quidam perfectionum tuarum, vt pro homine mortali, acerrimus contemplator) *tibi soli integrè nota est, quæ exsuperat omnem sensum. Quis enim cognouit te, nisi tu te? Imperscrutabiliter habitas in teipso. Hoc est cœlum tuum Domine, cœlum celans,*

superintelligibile & superessentiale lumen, de quo dicitur, Cælum cæli Domino, cui terra est omne cælum; quia supermirabiliter exaltatum est super omne cælum, ad quod etiam terra est cælum Empyreum. Hoc est enim cælum cæli Domino, quia nulli notum nisi Domino; quem neque Seraphim perfectè cognoscunt; sed alis contemplationum suarum velatur facies sedenti super Thronum excelsum & eleuatum.

10. Illos qui continua mysticorum (vt Dionysius idem loquitur) spectaculorum exercitatione ad diuinum illud Trinitatis cupiunt eleuari cælum, necesse est creaturas omnes relinquere infrà se, & ipsorum etiam symbolorum sacrorum cogitationem excutere. Tunc verò lucis nihil ex creaturis mutuati, ad supremam illam regionem adspirant, in qua & solus diuinarum tenebrarum affulgeat radius, & per negationes infinitas quid in sua Trinitate Deus non sit, intelligatur, quid autem re sit, creatæ nulli appareat intelligentiæ. Quare cùm illic nec creatum, nec diuinum quippiam, quod per aientem Theologiam affirmetur, videndum se nobis præbeat, sed quicquid est vtrarumque rerum sileat; idem Dionysius docet ibi reperiri *silentij, quo inuisibilia Dei explicantur, caliginem omne lumen superantem, & diuinarum tenebrarum radium, omni superiorem essentia: ὑπέρφωτον γνόφον καὶ τοῦ θείου σκότους ἀκτῖνα.* Quo diuinæ latebræ radio mysticus Theologus in religiosam ignorationis caliginem irrepat, vt cognitionis omnis velut cessatione ipsi Trinitati, quæ manet incognita, coniungatur; & *hoc ipsò quòd nihil cognoscit, mentem omnem cognitione superet: τῷ μηδὲν γινώσκειν ὑπὲρ νοῦν γινώσκων.*

11. Vt non decet mortales, Domine Deus, per obstinatam impudentiam (quod fecerunt hæretici) aut per humanæ vanitatis arrogantiam (quod Ethnici Philosophi) in adyta Trinitatis tuæ prorumpere: sic non licet in omnimoda earum, quas colere adorareque debemus personarum, ignoratione versari; cùm præsertim vitam æternam eo solo contineri Scriptura tua testetur, vt & Patrem Deum verum, & quem Pater Filium misit Iesum Christum, seu per fidem, & in ænigmate, dum in hoc mundo degimus, cognoscamus; seu reuelata facie tandem æternitate donati contemplemur. Sed interest modi, quo homines tam salutarem, atq; necessariā cognitionē quærāt. Quærere visus est Trismegistus, visus & Orphæus, necnon cū suo præceptore Platonici, aliique Ethnici maximam partem magi. At illi omnes supernaturali lumine destituti, & sola vanitate curiositateque ducti, nihil præter impia multiplicatæ diuinitatis idola sub speciosis Patris & Filij, seu primæ secundæque mentis nominibus inuenerunt, hæresique Arianæ, quæ non nisi illis excitata est fundamentis, præluserunt, eius lolij spargentes semina, quæ in quorundam etiam sanctorum Patrum scriptis infelici segete succreuerunt. Non potuit Trinitatis mysterium illotis Ethnicorum manibus cum puritate tractari; fuitque in Philosophorum infidelium ore de tam augusta pretiosaque materia disputatio velut aureus circulus in naribus suis.

12. Neque mirum est illos, quorum ait Apostolus obscuratum esse cor insipiens, in luce illius caligasse diuinitatis, quæ ipsos tradidit in reprobum sensum, repletos omni iniquitate. Et cùm aliunde in rerum creatarum indaganda natura tot errorum tenebris implicati fuerint, necesse erat, vt in summa Creatoris natura, perfectioneque

néque

neque scrutanda non ad eam peruenirent mysticam caliginem, quæ lumen omne splendore superat. Explosis itaque Philosophicis Ethnicorum de prima (vt ipsi vocant) secundaque Dei mente, personarumque diuinarum propagatione hallucinationibus, & impiis hæreticorum commentis, catholica christianæ fidei sapientia hęc est, inquit Athanasius, *vt Deum vnum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur, neque confundentes personas, neque substantiam diuidentes.* Quare tres personæ cùm vnam & eandem diuinitatem, immensitatem, æternitatem, &c. habeant, non tres sunt Dij, nec tres immensi, nec tres æterni, &c. sed vnus Deus, vnus immensus, vnus æternus, &c. Pater ex se solo est, Filius à Patre gignitur, Spiritus sanctus ab vtroque procedit: *Et hi tres vnum sunt.*

13. Tua, Domine, magnum profectò est ænigma diuinitas. Mens enim nostra & cogitur fateri Deum ex Deo: *Et tamen fidem suam in Deos laxare prohibetur* (vt ait Hilarius) *nec permittitur ad naturæ diuersitatem in Deum alterum ex Deo decedere, aut præposterum ex Deo Deum sentire.* Illud itaque tibi, ô summa Trinitas, obsequium offero mei intellectus, vt quemadmodum olim Abraham in spem contra spem id credidit, quod nequaquam fieri posse videbatur, ac mentem supra effœtas naturæ suæ vires ad tuam omnipotentiam promissionisque certitudinem heroïca fide erexit; sic & ego quæ naturale lumen tanquam contraria secumq; pugnantia respuit, mihi persuadeo tanquam certa, & abdicato rationis omnis creatæ iudicio indubitanter amplector. Æquum est, vt tui perfectio Numinis omnes rationis creatæ fines excedat; & quæ vbivis alibi contradictoria citra vllam possibilem conciliationem à mutua societate abhorrent, intra tuam diuinitatem ob tantæ maiestatis reuerentiam, omni deposito inter se dissidio, concilientur.

14. Porrò consentaneum est, vt nostram non magis intelligentiam fides, quàm voluntatem charitas Trinitati tuæ consecret, atque personas diuinas intra cordis nostri capacitatem, quam hæ solæ implere possunt, aduocet. Id enim charitatem posse docet Christus Ioan. 14. *Si quis diligit me*, inquit, *Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Itaque dum quis Deo Trino apud se ita manenti adhæret, vnus cũ eo Spiritus est. *Quæ spiritus vnitas* (vt ait author de vita solitaria apud Bernardum) *ipsa est* (*si fas aliquo sensu dicere*) *tertia persona Trinitatis, Deus charitas. Qui cùm sit amor Patris & Filij, & vnitas, & suauitas, & bonum, & osculum, & amplexus, & quicquid commune potest esse amborum; in summa illa vnitate veritatis, & veritate vnitatis, hoc idem homini suo modo fit ad Deum, quod cum substantiali vnitate Filio est ad Patrem, & Patri ad Filium; cùm in complexu Patris, & Filij mediam quodammodo se inuenit hominis beata conscientia, cùm modo ineffabili fieri meretur homo Dei, non Deus; sed tamen quod Deus est ex natura, homo ex gratia.* Eiusdem charitatis nos admirabiliter cum diuinis personis penetralia mentis incolentibus coniungentis exponit eodem ferè modo sanctus ipse Bernardus tum dulcedinem summam, tum vtilitatem, tum etiam decus & gloriam hoc cœlesti velut condimento verborum: *A te Spiritum tuum accipimus, qui est amor tuus obtinens, & possidens omnes affectionũ nostrarum recessus, & perfectè eos conuertens in puritate*

ritate veritatis tuæ, & veritatem puritatis tuæ in plenum amoris tui consensum; vbi tanta sit coniunctio, tanta adhæsio, tanta dulcedinis tuæ fruitio, vt vnitas ab ipso Filio tuo nominetur dicente, Vt sint ipsi vnum in nobis; tanta dignitatis, tanta gloria, vt subsequatur & dicat, Sicut ego, & tu vnum sumus. O gloriam! ô diuitias! ô superbiam! habet enim sapientia sui generis superbiam; quæ dicit, mecum sunt diuitiæ, & gloria, & opes superbæ, & iustitia.

15. Consideret anima pia singulas Trinitatis ad se diuertentes personas, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum: oculis fidei tres videat, & vnum adoret, mentisque suæ inuitet hospitio, commodum ei præparans locum, vt quo par est habitet apparatu. Ipsa quidem Trinitas sibi est sua sedes, sua aula, sua ædes. Ipsa sibi, vt Minutius Felix ait, *ante mundum fuit pro mundo.* Quamobrem apud Hebræos nomine quasi proprio, מכון, hoc est, locus, appellatur, & מעון, hoc est, habitaculum, non tam vtique rerum aliarum, quàm suum. Sed cùm Deus erga creaturas omnes hospitalissimus sit, atque velut communis locus eas in seipso receptas contineat: *nullus enim* (vt ait Hilarius lib. 1. de Trinit.) *Sine Deo locus est, neque vllus non in Deo locus*; mutuæ tamen ius hospitalitatis cum hominibus sancire voluit; vt qui per omnem æternitatem in ipso vita erant, in eorum mentibus idem ipse aliquo modo viuat.

16. Contemplare, anima Christiana, qualem hospitem, quàm illustrem habeas diuersorem: attende tuum inde decus: attende gloriam, diuitias, & gaudium: attende gratiarum, quibus circumfluis riuos ex eo, qui in te habitat, bonorum omnium fonte manantes. Et quidem si decus & gloriam velimus attendere, quæ non contemnat ac respuat ab hominibus delatæ honorum insignia ille, qui summæ Trinitatis maiestatem in semetipso inhabitantem sentiat, & infinitæ illius gloriæ lumine perfundatur? Si diuitias, quid ei potest æquiparari opulentiæ, qua diuinitatis plenitudo, totaque Trinitas possideatur? Quàm illum necesse est auarum esse, cui tantarum opum fruitio non sufficiat? Si gaudium lætitiamque rebus cæteris præferimus; quid illi assimilari potest gaudio, quo eum perfundi necesse est, qui conscius sit cor suum esse thalamum, in quo Pater æternus coæternum generet Filium, atque cum ipso simul Filio spirationis adorandæ mysterium peragat, tertiam producendo personam; & in quo æterna condita sint quodammodo Trinitatis gaudia, personarumque communis omnium beatitudo. Si denique diuinam gratiam tanti facimus, quanti profectò est; maioremne potest nobis gratiam conferre Deus, quàm vt suas omnes personas in corda nostra immigrare velit, nec lautiùs alibi quàm in illis habitare se iudicet, si ea purgata, & quibus par est virtutibus instructa inueniat?

17. Quæ denique tam vitalis potest inueniri vita, ac ea quam περιχωρήσει, circuminsessioneque mystica in illo viuimus, qui & ipse intra nos viuat ac regnet cum omni sua maiestate, atque magnificentia, cum omnibus suis perfectionibus, attributorumque thesauris, cumque propensissima voluntate, vt eas ipsas diuitias in mentes nostras, pro eo quanta erit earum capacitas, profundat? Conuerte me quæso, indiuidua Trinitas, intra cor meum, habitaculum sanctum tuum, vt ibi inter mutuos personarum

tuarum

tuarum amplexus medium me constituam, & ad earum exemplum, veræ charitatis leges addiscam; atque quanta tu apud me benignitate manebis, tanta ego apud te fide maneam. Quis mihi det vt te Deum meum inueniam semper intus apud me, vt amplectar te, & tu deosculeris me osculo oris tui, & me deinceps nemo despiciat. Si amas esse Deus absconditus, oro vt cordis mei, quo nihil profundius, nihil obscurius ac tectius, soli tibi peruia incolas penetralia, in abysso occlusus abditeq; latens altissimâ, donec me aliquando tandem in lucem introducas inaccessam, vbi in abscondito faciei tuæ mihi generantis generatæque Sapientiæ tuæ notionalia manifestabis secreta in præmium fidei illius, quæ iam obstruens rationis humanæ luminibus summum, & omni obscuritate obscurius firmissimè mysterium id credidit quod tu ipsa es, ô beata Trinitas.

LIBER TERTIVS,

Aduersus eos, qui ex vnitate Deitatis, personæ vnitatem; & ex pluralitate personarum, Deitatum pluralitatem inferunt.

QVANDOQVIDEM iis, quæ primo libro de vnici Dei existentia demonstrauimus, aduersari videntur, quæ in secundo de diuinarum personarum pluralitate protulimus, sunt qui duarum velut conflictu veritatum conentur eam, quæ est de Dei singularitate, doctrinam illi, quæ est de trium distinctione personarum, opponere. Quales fuere cum Iudæis Christianos inter Sabelliani Hæretici. Quibus accensendi sunt omninò, licet contrariæ videantur esse factionis, Ariani, & quicumque ita verbo tenùs persònas diuersas numerant, vt earum vni soli tanquam ex Timæo Platonico adiudicent substantiam, naturamque propriè diuinam, quæ nullum immediatè cum rebus creatis vsum, & commercium habere possit; aliis verò

duabus perſonis aliquod inferius numinis genus; & quandam ad ſummum relinquant æquiuocam atque impropriam appellationem Deitatis, nudumque creaturas quà producendi, quà curandi miniſterium; hos enim vnius conſtat veri Dei vnicam perſonam agnoſcere.

Ex contrario non deſunt alij, qui catholico (quod admittunt) plurium perſonarum dogmate vnitatem impugnent naturæ diuinæ; quaſi perſonæ multiplicari niſi multiplicata diuinitate non poſſint, quare introducta ſupremi Numinis ſubſtantiali diuerſitate Trinitatem diſtrahunt, atque in polytheiſmum diducunt: quæ impietas eſt cùm Tritheitarum, qui æqualem & vniformem; tum Arianorum, qui inæqualem diuerſique faſtigij tribus perſonis diuinitatem concedunt.

Itaque iam conſentaneum eſt, vt geminum prædictum confutemus errorem, illoſque hoc libro tertio coarguamus, qui duo Catholicæ Religionis capita opponendo, inter ſeque committendo, nituntur alterum altero committere; & contra vtroſque ita commemoratos illud myſterium conemur euoluere, quod omnem & loquendi facultatem, & naturalem exſuperat ſenſum. Vt enim ait Hilarius libro 1. *Verborum ſignificantiam rei ipſius natura conſumit, ſenſus contemplationem imperſpicabile lumen obcæcat, intelligentiæ capacitatem quidquid nullo fine continetur excedit.* Nos pro eo vt poterimus primùm quidem illos hic adoriemur, qui ſic vnitatem naturæ diuinæ tuentur, vt perſonarum in ea numerum prohibeant. Deinde contra illos contendemus qui plures ita fatentur diſtinguendas eſſe perſonas, vt in ipſam etiam naturam numerum inducant Ac Demùm diſputationem illam totam morali, piaque conſideratione claudemus.

CAPVT I.

Refelluntur illi qui vnitatem Deitatis abſque perſonarum pluralitate agnoſcunt.

1. EX eo quòd ratio naturalis Deum nobis vt vnum, nullatenus autem vt trinum patefaciat, quemadmodum ſuperiore libro *cap.* 2. *num.* 4. docuimus; hinc factum eſt, vt multi, dum ſupra naturalem rationem per fidei lumen non aſſurgerent, ſolam promiſcuè in ipſo Deo, cùm eſſentiæ, tùm perſonæ vnitatem defenderint. Poſtquàm enim pro polytheiſmo contra Deitatis vnitatem tot ſæculis pugnauit impietas, ea ea ipſa

ipsa vnitate, quam tandem confiteri coacta est, hæresin cudit contra diuinarum personarum pluralitatem. *Variè Diabolus* (ait Tertullianus contra Praxeam) *æmulatus est veritatem: affectauit illam aliquando defendendo concutere: vnicum Dominum vindicat, Omnipotentem, mundi Conditorem, vt de vno hæresin faciat.* Imprimis ergo Iudæi, ex eo quòd à suis Sanctis Patribus, & Prophetis multiplicitatem Deorum horrere didicerint, plures personas quæ diuinitatem habeant, negauerunt, existimantes quòd vt impium est asserere cum Ethnicis, Diuinitatem per sui multiplicationem ad plures pertinere; ita chimæricum sit asserere cum Christianis, illam sine reali sui multiplicatione pluribus communicari personis. Cùm scilicet non valerent eam sibi persuadere, quæ ænigmatis instar est, trium discretam coniunctionem, & coniunctam discretionem, qualem doctrina Catholica profitetur. Nos enim (ait Basilius *epistola* 43. ὑπονοοῦμέν τινα, ὥσπερ ἐν αἰνίγματι καινὴν καὶ παράδοξον διάκρισίν τε συνημμένην καὶ διακεκριμένην συνάφειαν.

2. Iudæos multi ex Christianis hæretici eo in errore sunt secuti; quatenus Diuinitatis vnitate confusas personas distingui negarunt posse realiter. Inter hos primum fuisse Noëtum existimauit Epiphanius *hæresi* 57. Nihilominus anteà huius patrocinium hæreseos susceperat Praxeas, cuius blasphemiam singulari libro Tertullianus coarguit; eidemque Victorinum quemdam adiungit *in lib. de præscript* vbi illam ipsam hæresin iis Montanistis impegit, qui κατὰ Αἰσχίνην dicti sunt, de quibus Nicephorus *lib.* 4. *cap.* 22. & Hieronymus *epistola* 55. *ad Marcellam.* Prædicti hæretici, eorumque discipuli, cùm (vt est apud eundem Tertullianum) *Patrem, Filium, & Spiritum sanctum naturâ hypostasique confunderent, Deum Patrem contendebant esse ipsum Iesum Christum crucifixum, passum, ac mortuum, sedereque sibi ad dexteram suam.* Quare appellati sunt à Cypriano epistola 73. *Patripassiani.* Quos ait Augustinus *libro de hæresib. ad Quodvultdeum, hæresi* 41. ab eorum principe Praxeanos vocari potuisse. Sed & dici Noëtani similiter potuerunt.

3. Porrò antiquis illis obliteratis ferè nominibus, factum tandem est, vt illius sectatores hæreseos à Sabellio, cuius hac in re impietas, quàm cæterorum illustrior ac celebratior fuit, Sabelliani dicerentur. Hic Sabellius, teste Athanasio, Deum appellabat υἱοπάτορα. Itáque τὸ τριπρόσωπον auferebat, & (vt Nicephorus *lib.* 6. *c.* 26. refert) asserebat Patrem, Filium, & Spiritum sanctum vnam trinominem esse personam, quæ nimirum triplici tantùm nominis sono varietur, provt diuersas operationes exercet: creationis quidem, vt Pater; Incarnationis verò, siue hominum Redemptionis, vt Filius; & sanctificationis, vt Spiritus sanctus; quod est dicere, Patrem πλατύνεσθαι (vt loquitur Athanasius) hoc est dilatari in Filium, sumendo carnem, & in Spiritum sanctum, infundendo sanctitatem hominibus.

4. Notandum verò est iuxta hanc hæresin, Patrem solum veram esse personam propria solidáque diuinitate constitutam; neque Filij, & Spiritus sancti nominibus subiici veram Dei naturam, aut aliud, quàm diuinæ naturæ superadditas operationes. *Cùm Verbum confitentur* (inquit Basilius *homilia* 1. *contra Sabellium & Arium*) *actionem mentis significant aduenientem in intelligenti natura*: ὅταν

ὁμολογῦσι λόγον τῷ ἐνδιαθέτῳ αὐτὸν παρεικάζεσι: & simile humani nostri intellectus verbo diuinum Verbum faciunt; atque eo modo vnam esse Patris, Filiique personam volunt, quo vnus homo dicitur non distincta esse persona ab eo quod elicit verbo: ὡς ἄνθρωπος εἷς λέγεται, ἐ διαιρέμενος ἀπὸ τῦ συνυπάρχοντος αὐτῷ λόγυ καὶ σοφίας. *Sapientiam in Deo existimant* (vt habetur etiam in expositione fidei attributa Gregorio Thaumaturgo) *sicut in homine sapientiam humanam, qua sapiens est; & Verbum simile esse interpretantur verbo, quod ore profertur, vel mente concipitur, nulla hypostasi. Patrem Sabellius eum dicit qui loquitur: Filium verò Verbum in Patre manens & tempore creationis patefactum; completis verò rebus in Deum remeans.*

5. Superiori sæculo plures fuère, qui distinctionem omnem personarum diuinarum, & τὸ τρισυπόστατον sustulerunt, vt videre est apud Bellarminum *lib.* 1. *de Christo, in præfatione*, & *lib.* 2. *cap.* 1. & 2. Atque apud Valentiam *in controuers. de Trinitate*, *lib.* 1. *c.* 7. huius extitit inter illos princeps impietatis Michaël Seruetus, proiectæ iuuenis Hispanus audaciæ; qui Trinitati dementissima temeritate bellum ausus indicere, atque illam horrendis etiam conuiciis impetere, quosdam edidit libros *de Trinitatis* inscriptos *erroribus*; Personas diuinas aliud esse nihil affirmans, quàm externas quasdam ideas, quæ in Dei essentia nequaquam subsistant; Christumque aliter Dei Filium dici negans, quàm vt hominem in vtero Virginis ex Spiritu sancto genitum. Et Caluinus (qui fanaticum illum Antitrinitarium, in quem aliundè offensiore animo erat, viuum igne comburi curauit) haud multò melius videri potest de Trinitate sensisse; cùm *lib.* 1. *Instit. c.* 13. *num.* 5. optet *Trinitatis, Personæ, Consubstantialitatis nomina sepeliri*. Atq; vniuersim nostri temporis Nouatores, licèt simulent verã de Trinitate doctrinã, præsumi potest quid in re sentiant, ex eo quod Luterus dicat contra Latomum, *Anima mea odit vocabulum* ὁμοούσιος: & quòd ex 1. *Ioannis c.* 5. deleuerit hæc verba, *Tres sunt qui testimonium dant*, &c. Item ex eo quòd *in epistola* 1. Beza, qui in cunctis vna mente cum Caluino, vtpote eius cultor eximius, consensit, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum vocet *tricipitem Cerberum*. Quid? quod in Luteranorum & Caluinistarum Ecclesiis nunquam cantari audiatur, *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto*? Nunquam inuocari Trinitas sub hoc nomine? Nunquam Spiritus sanctus? Præcipuè verò recruduit Antitrinitariorum hæresis in Polonia, vbi magno applausu & præconio Serueti nomen fuit acceptum; in eoque regno ante paucos annos è stygiis tenebris in lucem prodiit Crellij cuiusdam vnicâ diuinam naturam personâ definientis liber hac inscriptione, *De vno Deo Patre*. Quod satanicum opus Dionysius Petauius toto suo tertio de Trinitate libro confutauit.

6. Hic error, qui distinctionem personarum in conceptu Trinitatis inclusum impugnat, satis quidem à nobis refutatus est superiori libro contra hæreticos, *cap.* 6. argumentis ex nouo Testamento petitis; contra Iudæos autem *cap.* 7. ex veteri Testamento. Multa etiam *cap.* 8. adducta sunt ex traditione authoritateque Sanctorum Patrum. Addique ex iisdem Patribus & Conciliis possunt hîc aliqua: *Confitemur* (inquit Nicænum in professione fidei apud Nazianzenum.

num *orat.* 50. initio) *non sic vnum Deum quasi solitarium, nec eundem qui sibi ipsi Pater sit, & ipse Filius ; sed Patrem verum , qui genuit Filium verum.* Huc referri debet Symbolum Athanasij ; *Neque confundentes personas, neque substantiam separantes. Alia est*) *enim persona Patris , &c.* Concilium Constantinopolitanum anathematizat Sabellianos, *c.*1. Denique omnia Concilia quæ nomen ὁμοουσίου , seu Consubstantialis retinuerunt & vsurparunt , amplexa sunt in illo nomine distinctionem personarum tanquam definitam in fide. *Nam* ὁμοούσιον (ait Ambrosius, *lib.*3. *de fide ad Gratianum,* c.7.) *est aliud alij, non ipsum sibi : rectéque* ὁμοούσιον *Patri dicimus Filium, quia eo verbo & personarum distinctio & naturæ vnitas significatur.*

7. Demùm hac in re idem est omnium Sanctorum Patrum sensus, quem clarè Cyrillus Alex. exponit, eiusque rationem reddit *lib.* 1. *in Ioan. cap.* 2. his verbis : *Veritas ita se habet quòd necessariò à generante genitum reipsa distinguitur.* Quam distinctionem realem multi Patres diuisionem, discretionem, separationem, varietatem , alterationem , diuersitatem appellant , vt ostendit Ruis *disp.* 10. *sect.*6. Hæc realis distinctio patet etiam ex eo , quòd cùm per fidem Catholicam vna persona dicatur alteram verè & propriè generare ; ratio generantis & geniti importet oppositionem relatiuam, atque adeò realem distinctionem extremorum ; nihil enim ad seipsum dicitur oppositionem , aut realem habere relationem. Secundò eadem realis personarum distinctio inde patet, quòd Christus (quem ex sequenti cap. verum esse Deum constat) non possit non esse persona distincta realiter à Patre , à quo in mundum missus fuit ; est enim impossibile, vt qui verè & propriè ab aliquo mittitur , sit eadem persona cum illo ; nec vllus, nisi insaniat, mittentem dicet esse illum ipsum quem mittit. *Solus non sum* (inquit ipse Christus *Ioan.*8.) *sed ego , & qui misit me Pater. Et in lege vestra scriptum est , quia duorum hominum testimonium verum est. Ego sum , qui testimonium perhibeo de meipso , & testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater.* Super quæ verba manifestè distinctionem realem inter Christi , & Patris personas indicantia, Athanasius in oratione contra Gregales Sabellij sic scribit : *En tibi duas personas, & nisi dicas verè duos esse , cùm hæc loquitur , non permittis testimonium verum existere : id enim testimonium confirmat , non ab vno, sed à duobus prolatum.*

8. Consonat planè Athanasio circa illum ipsum Ioannis locum Basilius *homil.* 28. *contra Sabellianos* , post initium : *Numera* (inquit) *si places personas. Ego vnus sum qui testificor , & testificatur de me, qui misit me : ecce duos testes. Ego non ausim ita numerare ; verùm Dominus ita ipse docuit dicens : In lege vestra scriptum est , quod duorum hominum testimonium verum sit.* Denique sine reali distinctione personarum non possunt esse veræ locutiones illæ , quibus Scriptura Spiritum sanctum dicit esse *alium à Filio* , vt Ioan. 14. *Patrem , Filium, & Spiritum sanctum esse tres.* 1. Ioan. 5. *Verbum esse apud Deum.* Ioan.1. Sed nec potuisset Christus absque personali inter se, Patremque suum distinctione dicere vnquam (vt sæpè fecit) *Ego & Pater.* Nam vt docuimus in tractatu de Incarnatione *lib.*8.*c.*1.*n.*7. Hæ voces, *Ego, Tu,* necnon pronomina demonstratiua,

Hic, *Ille*, &c. præfixa nominibus communibus significant personam; vt si dicamus, *hic homo*, *ille qui est Rex*, &c. Itaque dum Christus dixit: *Ego & Pater* (hoc est, ille qui est Pater meus) *vnum sumus*, Ioan. 10. *Ego, & qui misit me Pater*, Ioan. 8. &c. perinde est, ac si dixisset, persona mea, & persona Patris.

CAPVT II.

Soluuntur variæ contra diuinarum personarum pluralitatem obiectiones.

1. ADuertendum est inter hæreticos personarum diuinarum distinctionem impugnantes, sectarum fuisse quædam diuortia. Licèt enim in eo genere conuenerint illi omnes, vt τὸ τριυπόστατον auferentes, vnicâ summum verumque Deum subsistentiâ definirent; in varias tamen suam illam impietatem formas distinxerunt. Fuerunt enim, qui ex Sabellij norma tres personas diuinas in vnam ita confunderent, vt omne, quod personis Filij, Spiritusque sancti tribuitur, in Patrem etiam ipsum velut in eandem cum ipsis personam censerent conuenire; itáque hunc & incarnatum, & ad hominum Redemptionem in Cruce fudisse sanguinem asseuerarunt; vnde Patripassianorum traxere nomen.

2. At Marcellus Ancyranus in Galatia Episcopus, non eo penitus modo censuit Filium hypostasi cum Deo Patre confundi; ipsum enim Filium voluit nullius hypostaseos esse participem; sed esse tantùm Dei ἐνέργειαν, seu efficientiam; quatenus Deus sermonem prolatitium, seu λόγον ἀνυπόστατον, hoc est subsistentiæ expertem, effundit. Atque sic Verbum existimauit prodire à Deo, vt ad eumdem post aliquod tempus regrediatur; eoque modo vnicam esse Dei personam, quæ, vt huius hæresis patroni loquuntur πλατυνομένη, hoc est, per quandam sui dilatationem extra se diffusa, nunc Verbi, nunc Spiritus sancti appellationem suscipiat. Talem Marcelli (quem Photinus magistrum habuit) fuisse ferè sententiam testantur non solùm Eusebius Cæsariensis (qui, quòd Arianam extreméque oppositam sectaretur hæresin, suspectus in hac Marcelli antagonistæ sui causa esse poterat) sed etiam plures alij ex præcipuis ὀρθοδοξίας propugnatoribus. Multi præterea reperiuntur hæretici, qui idem, quod Marcello Ancyrano (vt iam dicebamus) tribuitur, censuerunt. Quòd nempe Filius, & Spiritus sanctus non sint persona, aut quid ἐνυπόστατον; sed tantùm operationes in Deo, sicut est in homine sapientia & sanctitas, quæ non distinguitur personaliter ab ipso homine. Horum hæresin meritò Basilius vocat ἰουδαϊσμὸν; quia propriè non alium agnoscunt Deum, quàm eo modo, quo Iudæi, qui in intellectu voluntateque diuina tales operationes, quæ sint absque propria hypostasi, non inficiantur.

3. Porrò sunt etiam alij varias in factiones diuisi, qui personam vnicam Diuinitati sic tribuant, vt eam nolint esse communem Filio, & Spiritui sancto; quibus nempe distinctas & creatas hypostases assignent. Illi quamuis eatenus Praxeæ, Noëto, Sabellióque assentiant, quatenus personas non admittunt plures in Deo; tamen propriè non dicuntur Trinitatem in vnam personam, vt prædixi, contrahere per συστολὴν καὶ συναίρεσιν

φέρειν θεότητα, vt cum Nazianzeno dicam: Trinitatem enim potiùs dissoluunt per θεότητα διαίρεσιν, creatas Filio & Spiritui sancto sine propriè dicta diuinitate naturas, æquè ac personas asserendo. Atque ad hanc classem referri debent imprimis Ariani, qui vt Sabellianis videantur oppositi, cum iis tamen consentiunt, quatenus vnam solam personam agnoscunt, quæ verè diuina sit. Eódem pertinere possunt Ebionitæ, quandoquidem Ebion Filium Dei finxit & naturâ & personâ creatâ constare, vt scribit Hilarius *lib.* 2. his verbis: *Ebion omne initium Fily Dei ex Maria concedens, non ex Deo hominem, sed ex homine Deum profert, quasi non subsistens anteà, quod in principio apud Deum Deus erat Verbum, Virgo in carne susceperit.* Omnes quos hîc retulimus, etsi diuersas de diuinis hypostasibus opinandi vias inire profiteantur; nihilominus in aliquo idem, quamtumvis dissimiliter, censent: quemadmodum nempe Samsonis vulpes, licèt in opposita discedentes fugere se inuicem niterentur, caudis tamen constrictæ deuinctæque simul tenebantur. Sic isti, quamuis inter se dissidentes, vno tamen omnes ore consentiunt, vt Orthodoxam de tribus diuinis personis doctrinam impugnent, easque contra illam obiectiones adducant, quas nos hîc ordine proponendas diluendasque suscepimus.

4. Obiicitur itaque ab iis primò non posse tres realiter distinctas esse personas diuinas, quin sint tres Dij; quælibet enim earum Deus est, eo modo, quo non possunt esse tres personæ, quarum quælibet homo sit, nisi sint tres homines. Atqui certum est, non esse tres Deos: *Nam Dominus Deus noster, Dominus vnus est.* Deuteron. 6. Aitque de se Christus: *Ego & Pater vnum sumus.* Ioan. 1. Hoc fuit præcipuum Sabellianorum argumentum, vt videre est apud Epiphanium *hæresi* 62. Cùm enim difficile sit conciliare simul hæc duo, nempe esse tres diuinas personas, & esse vnum solum Deum; hinc factum est, vt Sabellius studio secundi defendendi negarit prius; quemadmodum Arius studio prioris impugnauit secundum. Sed dicendum est non eamdem esse rationem naturæ diuinæ & cæterarum naturarum. Illa enim est infinita, & sine sui multiplicatione mirabiliter communicabilis pluribus personis; cùm cæteræ naturæ, vtpote creatæ, id non habeant; sed multiplicari debeant, provt in iis multiplicatur personalitas. Quare licèt necessariò tot sint homines, quot humanæ personæ, non tamen sunt tot Dij, quot diuinæ personæ: nec repugnat tres personas vnum esse Deum, vtpote vnicam possidentes diuinitatem; de qua veritate sæpiùs occurret dicendum inferiùs; eamque solita sua gradiloquentia sic explicat *lib.* 1. Hilarius: *Non Patri adimitur quod Deus vnus est, quia & Filius Deus sit; est enim Deus ex Deo, vnus ex vno; ob id vnus Deus, quia ex se Deus. Contrà vero non minùs per id Filius Deus, quia Pater Deus vnus sit, &c.* Nec minùs luculenter lib. 7. *Ex Deo Deus, vel in Deo Deus nec duos Deos perficit, cùm vnus ex vno in natura vnius nomine maneat; nec in solitarium Deum deficit, cùm vnus & vnus in significatione non solus sit.* Ac tandem sub finem eiusdem libri. *Vnitas in Patre & Filio Diuinitatis sacramentum natiuitatis natura consummat, dum Dei Filius nihil aliud quàm Deus est; & idcircò non in Deos duos vnigeniti generatio deputatur, quia in Deum Dei Filius nascens, naturam in se gignentis exhibet.*

5. Obiicitur

5. Obiicitur 2. Non possunt realiter distingui Pater & Filius, nisi in eorum vno sit aliquid, quod non inueniatur in altero: atqui nihil est in Patre, quod non sit in Filio, & contrà, vt Filius ipse testatur Ioan. c. 16. *Omnia, quæ Pater habet, mea sunt*. Et cap. 17. *Omnia mea, tua sunt; & tua, mea sunt*. Vbi est sermo de perfectionibus intrinsecis & diuinis. Ad hanc obiectionem respondēdum est verbis Concilij Florentini in litteris, vbi sic loquitur Eugenius: *Omnia, quæ Patris sunt, ipse Pater vnigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem*. Quæ responsio sumpta est ex Damasceno *lib.* 1. *de fide*, vbi ait, *Cùm Pater dicitur omnia dedisse Filio, excipiendam esse innascendi proprietatem*. Quæ exceptio manifesta est ex ipsis Scripturæ verbis. Cùm enim Filius dicitur accipere, & Pater dare, constat hoc ipso eos supponi distinctos. Cùm ergo Filius accipit omnia, non debet destrui ipsum accipere, quod est in Filio; nec ipsum dare, quod est in Patre: destrueretur autem, si tolleretur distinctio. Prætereà cùm Filius dicitur accipere à Patre omnia, intelligi potest ipsam etiam accipere paternitatem; siue quatenus accipit formaliter diuinitatem, in qua eminenter ipsa paternitas continetur; siue quia, cùm Pater sit totus Filij Pater, oportet paternitatem ad Filium eatenùs totam pertinere, non vt Filium faciat esse Patrem, sed vt Patrem esse faciat Patrem illius, & Filium faciat esse id ipsum, quo Filius est.

6. Obiicitur 3. distinctionem personarum, si vera sit, & realis, debere esse omnium realium distinctionum maximam, vtpotè pertinentem ad perfectionem diuinam, in qua nihil est non summum ac maximum: at distinctio realium omnium maxima non admittit identitatem realem, consistit enim distinctionis formalitas in negatione identitatis. Igitur si est distinctio realis inter personas diuinas, hæ non possunt identificari in essentia diuina. Respondeo distinctionem, quæ in Deo est, fundari quidem in perfectione quæ summa sit, & maxima; sed non est necessarium vt id omne, quod in diuina & maxima perfecti ne fundatur, sit in suo proprio genere maximum: ita quando se Deus constituit nobis debitorem, non est opus, vt illud suum debitum ac vinculum sit omnium maximum, ita vt per illud ipse magis iuri alieno submittatur, quàm possit vllus submitti per sua debita. Certum est nos magis esse Deo debitores per nostra debita, quàm ille sit nobis per sua. Eodem modo non est inconueniens distinctionem personarum in diuina perfectione fundatam non habere summam simpliciter distinguendi, ac seiungendi vim, atque non esse incompatibilem cum summa aliunde identitate respectu essentiæ. Quare potest eatenus concedi, personarū distinctionem aliquo modo non esse in suo distinguendi genere perfectissimam. Talis enim perfectio distinctionis non foret Dei perfectio, sed imperfectio, vtpotè ad limitationem essentiæ pertinens. Vnde D. Thomas 4. *contra Gentes, cap.* 14. *ad* 10. ait istam esse minimam distinctionem. Nec sanè vlla alia tam parua possibilis est inter entitates realiter distinctas. Nihilominus aliunde etiam verum est, prædictam distinctionem in genere suo esse aliquo modo perfectissimam, quatenus inter personas diuinas est maxima oppositio, maiorque repugnantia, vt vna sit alia, quàm possit esse inter res creatas distinctas. Qua ratione etiam vnitas diuinæ essentiæ dici debet perfectissima; nam maiorem

iorem habet repugnantiam, vt in suis attributis diuidatur, quàm omnis alia res creata; ideoque à Dionysio vocatur ὑπερηνωμένη ἑνάς. Atque huc spectat illud Sophronij in epistola, quæ habetur in VI. Synodo, actione 11. *Neque vnum quod extra vnum est, tria recipit; neque tria secundùm quòd tria sunt, vnum admittit.* Hoc est, neque vnitas Dei admittit talia tria, quæ illam extra vnitatem transferant; neque Trinitas personarum admittit vnitatem in personis.

7. Obiicitur 4. plures sanctos Patres consequenter ad vnitatem diuinitatis visos esse excludere omnem in personis multiplicitatem realem; nec aliam agnoscere nisi rationis, & eam quæ sit secundùm nomina. Ait enim Nazianzenus *oratione* 35. quæ est 3. de Theologia, *vnam esse Dei essentiam, & naturam, & appellationem, tametsi per cognitiones quasdam distinctas nomina* (*Patris & Filij*) *simul distinguantur.* Cui consonat quod habet Epiphanius in Anchorato: *Tria nomina, vna Deitas Patris & Filij & Spiritus sancti.* Accedit Damascenus lib. 1. de fide, c. 11. *Vnaquæque ipsarum personarum,* inquit, *se habet ad aliam nihilo minùs, quàm ad seipsam: hoc autem est, quia secundùm omnia vnum sunt Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, præter (si ita dicamus) ingignentiam, gignentiam, & processionem: ratione autem aut intelligentiâ hoc distinctum.* Respondeo Patres illos velle dumtaxat diuinitatem non tantùm esse vnum quid simplex, identificatum cum tribus personalitatibus, nullam per illas contrahens distinctionem realem, aut diuisibilitatem; sed etiam facere, vt personæ per prædictam ipsius identificationem connexæ omnino sint inter se: ita vt, quatenus diuinitatem participant, non possint ab inuicem disiungi, nisi per rationem quæ & ipsam distinguit diuinitatem vt communicatam in Filio, & non communicatam in Patre. Cùm igitur nos cogitando, & loquendo vnam totalem personam ab alia totali persona diuidimus, & sumimus vnam seorsim ab aliis duabus, illud non fit, nisi diuinitatem ipsam velut multiplicando ratione, & diuidendo cogitatione, cui nomina locutionesque respondent. Quare citatus Damascenus optimè dixit, *personas ratione in intelligentia distingui.* Quamquam Diuus Thomas *in* 1. *dist.* 2. *quæst vnica, art.* 5. & *dist.* 25. *quæst. vnica, art.* 4. aliter explicat, vt personæ dicantur distingui ratione, hoc est, relatione, quia relatio dicitur ratio per comparationem ad essentiam. Vt autem comparatio relationis triplicis ad essentiam fiat, oportet ipsam essentiam intelligentiâ distingui.

8. Obiicitur 5. locus *ex Ioannis c.* 17. vbi Christus Patrem alloquens significat illum solum (& nullum alium præterea) esse verum Deum. Sic enim ait: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Quibus verbis significat, Patrem solum, & vt ab ipso Iesu Christo distinctum, esse Deum verum. De se enim ipso, vt altero, & extra illum solum qui verus Deus sit, considerato, subdit posteà: *Vitam æternam esse item, vt cum solo vero Deo cognoscatur qui ab illo missus est Iesus Christus.* Respondeo primò hanc vocem (solum) se tenere ex parte prædicati; atque ita non supponere materialiter, nec iungendam esse supposito Patris; neque enim censendus est Christi sensus hoc loco talis esse, quasi diceret, vt solum te (qui meus es Pater) verum esse Deum cognoscant; sed po-

tiùs legitimus Christi sensus est, vt te (qui meus es Pater) cognoscant esse Deũ, qui solus verus Deus est. Hic esse legitimam expositionem constat ex Græco, vbi apposito articulo dicitur, *τὸν μόνον*, hoc est, illum qui est solus: *ἵνα γινώσκωσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν θεόν*: vt cognoscant te Deum habere veram illam diuinitatem, quæ vnica & sola est. Respondeo secundo τὸ solum, in ea Christi sententia positum fuisse, vt illi Dij, quibus Gentiles diuinitatem falso tribuebant, & quos passim Scriptura sacra prohibet coli, excludantur; *εἰς ἀναίρεσιν τῶν μὴ πεφυκότων εἶναι ἀληθινῶν*, inquit Athanasius *lib. 4 contra Arianos.* Respondeo tertiò Christum in prædictis verbis seipsum comprehendere, atque se cum Patre copulare, hancque illius esse sententiam, vt te, ô Pater, & me Iesum Christum, quem misisti, cognoscant esse solum Deum.

9. Obiicitur sextò pariter locus ex Diuo Paulo 1. *ad Corinth. cap.* 8. sic: *Nam etsi sunt, qui dicuntur Dij, siue in cælo, siue in terra, si quidem sunt Dij multi & Domini multi; nobis tamen vnus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum: & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos in ipsum.* Videtur enim eo loco Paulus, explicans quis sit ille vnus Deus, dicere simpliciter eum esse Patrem, omissis Filio & Spiritu sancto, non hos omissurus, si Deus ille vnus non esset solus Pater. Respondeo iuxta id, quod numero præcedente dicebamus, Patrem quidem significari à Paulo esse Deum illum, qui vnus sit Deus, seu cuius diuinitas sit immultiplicabilis, verumtamen nequaquam excludendum esse Filium & Spiritum sanctum, quominus sit etiam ille vnus Deus, quemadmodum cùm postea idem Apostolus subdit, *Vnus Dominus Iesus Christus*, nequaquam excludere voluit Patrem, quominus sit etiam Dominus. Ait verò Chrysostomus *homil. 20. in 1. Corinth.* Paulum cùm loqueretur Corinthiis Deorum colendæ multitudini assuetis, *noluisse dicere Deum Patrem, & Deum Filium; sicut nec Dominum Filium, & Dominum Patrem, ne illi Deum & Deum, Dominum & Dominum audientes putarent plures à se prædicari Deos, pluresque Dominos adorandos*: ὅτι πρὸς εἰδωλολάτρας ἦν ὁ λόγος αὐτῷ. τὸν πατέρα οὐκ ἐτόλμησε καλέσαι κύριον μετὰ τοῦ υἱοῦ, ἵνα μὴ δύο ὑποπτεύωνται λέγειν κυρίους. οὐδὲ τὸν υἱὸν θεὸν μετὰ τοῦ πατρός, ἵνα μὴ δύο νομίζηται λέγειν θεούς.

10. Sed & notandum est vnitatem posse speciali quadam ratione inter personas diuinas tribui Patri; quòd is non tantùm diuinitatem habeat illam, quæ vna sola, & immultiplicabilis sit; sed etiam, quoniam eius paternitas ratio sit vnitatis consubstantialis in tota Trinitate. Si enim fingeremus Filium, non à Patre acceptam, sed ex semetipso diuinitatem habere, talis diuinitas, quam secunda persona possideret, (atque idem est de Spiritu sancto) non posset esse eadem cum diuinitate primæ personæ; atque ita, vt duæ nullo inter se ordine diuinitates, sic duo forent æquales Dij, quorum neuter posset esse primum summumque ens; tale nimirum vt ante & super omnia esset. Qui enim æqualem & parem habet, non potest esse omnium primus & summus ac super omnia. Quâ de re nos fusè *lib. 1 cap.* 12. egimus. Vt intra Trinitatem Pater omnia in vnitatem colligit, cùm sit primum absolutè principium, ad quod aliæ duæ personæ suam referunt originem; sic & omnia quæ inter creaturas aliquam habent existentiam, ad illum quasi

primum

primum principium omnis existentiæ, vt ait Dionysius, πάσης ὑπάρξεως ἀρχὴν, respiciunt Itaque in eo velut cunctæ in centro lineæ vniuntur, quatenus omnipotentia, per quam ex omnibus personis diuinis communiter profluxerunt, ex ipso ad Filium, Spiritumque sanctum profluxit.

11. Obiicitur septimò. Si personæ distinguantur realiter, ergo est in Deo propriè, ac simpliciter numerus; ea enim plura sunt, quorum vnum non est aliud; quæ verò plura sunt, faciunt numerum. Atqui consequens est falsum; nam ratio numeri varias imperfectiones continet. Etenim partibus constat, ideóque compositum est. Deinde totus numerus est maior sui parte; est ens per accidens; est limitatus, est finitus. Propterea Magister *dist.* 24. existimat nomina numeri, multitudinis, vel ternarij Deo propriè non conuenire, sed tantùm metaphoricè; sicut ei conuenit *longitudo, sublimitas, & profundum.* Ephes. 3. & vt eidem conueniunt cætera nomina quantitatis. Dionysius quidem *de diuinis nom.* c. 13. ait, *nullam monadem, neque numerum, neque vnitatem aut fœcunditatem, nec quicquam eorum quæ aut sunt, aut cognita sunt, posse arcanum summæ Diuinitatis enunciare.* Vnde & Isidorus Pelusiota dixit, *Diuinum Numen numero esse excelsius.* Bernardus verò asseruit, *nos non habere in Deo, quod ad numerum diuidamus, non quæ colligamus in vnum: & hoc verè vnum esse, in quo nullus est numerus.* Respondeo nequaquam esse inconueniens si dicamus in diuinis personis numerum propriè, nec tantùm metaphoricè reperiri. Nec verò is numerus imperfectiones continet. Non enim est imperfectio aut ternarium componi ex tribus vnitatibus, cùm nulla prætereà compositio in personas diuinas cadat; aut vnam vnitatem minorem esse extensiuè, & in sola ratione numeri, toto ternario: qui quidem ternarius non est per accidens, quemadmodum nec ille binarius quẽ in ente physico facit materia & forma; nec est limitatus & finitus nisi in ratione multitudinis, & quatenus non plures continet vnitates quàm tres. Quod tantùm abest ab imperfectione, vt oppositum foret in Deo maxima imperfectio. Magistri autem sententia communiter reiicitur. At Patres, qui in Deo numerum & multitudinem negauerunt, intelligendi sunt de Deo considerato secundùm naturam, seu Diuinitatem. Vel loquuntur de numero, & multitudine, quatenùs à nobis concipitur cadere in res creatas, ac limitatas, & propriè compositionem facere.

12. Non est hîc audiendus Aureolus, qui ex eo quod personæ diuinæ realiter distinguantur, sequi negat in iis esse numerum. *Quia*, inquit, *res distinctæ, quæ ita computari non possunt, vt earum qualibet sit tantùm vna, & non importet alias omnes, non possunt coalescere in vnam summam numeralem. Sed personæ diuinæ non possunt computari sumendo præcisè quamlibet personarum diuinarum; quoniam accipiendo vnam personam, accipiuntur etiam reliquæ in ea existentes per circumincessionem Ergo*, &c. Confirmatur. Nam si in qualibet vnitate continetur tota summa numeralis, sequitur esse tres summas, tresque ternarios, vbi sunt tres vnitates. Sed contra Aureolum est, quòd per se pateat, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, eo modo, quo distinguntur, esse verè & absolutè tres; atque Ioannes 1. 5. dixit absolutè: *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt.* Nec magis numeratio-

nem seu pluralitatem impedit circuminsessio, quàm distinctionem; quid enim repugnat aliqua, quæ ob immensitatem & summam perfectionem se circuminsedeant, & consertè ac inseparabiliter se habeant, esse verè tria, præsertim quando dubium non est, quin realiter inter se distinguantur?

13. Notandum tamen est, illum numerum ternarium, qui propriè & simpliciter est in Deo secundùm personas inter se immediatè comparatas, iunctum esse cum summa & indiuisibili vnitate, ac identitate earumdem personarum consideratarum secundùm essentiam. Quæ causa est, vt si de Deo totaliter sumpto loquamur, non dicendus sit numerus absolutè; nec nisi secundùm quid; nempe secundùm personas immediatè inter se comparatas. At verò si de solis ipsis personis sermo sit, numerus absolutè, atque simpliciter dicendus est. Vnitatem hìc coniunctam cum numero Patres sæpe indicarunt, cùm numerum visi sunt nolle absolutè concedere, vt eleganter Damascenus *lib. 3. de fide, c. 5.* sic scribens: *Tres hypostases supernæ Trinitatis inconfusè vniuntur, & indiuisibiliter discernuntur, numerantur, & numerus diuisionem, distantiam, alterationem, aut sectionem non inducit.* Nec minùs eleganter Bernardus *lib. 5. de consid.* inquit: *Cùm tres illæ personæ vna substantia sint, & illa vna substantia tres illæ personæ; quis numerum neget? Nam verè tres sunt. Quis numeret tamen? Nam verè vnum sunt. Dicas itaque tres, sed non ad praiudicium vnitatis: pluralitas in vnitate, & ipsa in pluralitate vnitas.*

14. Notandum secundò, illum personarum numerum consistere formaliter, tum in positiuo, nempe in vnitatibus positiuis ac realibus; tum in negatiuo, nempe in diuisione, & negatione vnionis illarum vnitatum. Vt enim vnum est indiuisum in se, sic multa sunt in se diuisa; atque cùm illud tam positiuum, quàm negatiuum existat à parte rei, dubium non est, quin numerus formalis realis sit. Cùm autem multa diuiduntur, non facerent numerum, nisi haberent aliquid omnibus commune, quod per numerum diuidatur & multiplicetur. Verbi causâ, quatuor equi, & simul tres canes non possunt concipi facere septenarium numerum sub conceptu equorum, vel sub conceptu canum. Quare illi omnes simul sumpti non sunt septem equi, nec septem canes; sunt tamen septem animalia, septem res, &c. quia conceptus animalis, rei, &c. omnibus iis communis est, & in iisdem septempliciter diuiditur. Ita Pater, Filius, & Spiritus sanctus non sunt tres in conceptu Patris, in conceptu Filij, &c. hoc est, non sunt tres Dij, non tres Patres, nec tres Filij, sed sunt tres in conceptu personæ, entis, rei & alio simili conceptu, qui tripliciter diuidatur, vt sit illis tribus communis.

15. Notandum tertiò numerum personarum diuinarum, provt est numerus numeratus, esse quid diuinum, & verè adorandum. Quamuis autem in rerum creatarum numeris ordo, & habitudo (quam habent vnitates inter se, quatenus vna est prima, altera secunda, alia tertia, &c.) sit per solam numerantis rationem; quomodo D. Thomas dixit numerum non habere esse, nisi in intellectu; pendet enim ab arbitrio numerantis, quòd sistatur in ternario, aut progressus fiat vlteriùs; & quod hæc potiùs quàm alia vnitas vltimo loco ponatur, & alias præsupponat; vel contrà, præcedat, & præsupponatur: vnde potest eatenus dici numerum formaliter esse ens rationis.

tionis: nihilominus in Trinitate res aliter habet; nam non ab arbitrio,& mente numerantis petitur habitudo, & ordo, quem habent personæ inter se vt Pater sit primo loco,tum Filius, ac denique Spiritus sanctus; sed is ordo est in ipsis personis, in quibus verè ac realiter Filius Patrem, & Spiritus sanctus Filium Patremque præsupponat; quamquam possit hic ordo arbitrio numerantis inuerti, vt Spiritus sanctus primo loco, & Pater secundo,tertiòve ponatur; atque tunc ordo qui consurget,erit rationis.

Esse in Deo tres res, tria entia, &c. relatiua.

16. Obiicitur 8. Non possunt in Deo esse tres personæ realiter distinctæ quin sint tres realiter distinctæ res, tria entia, tria indiuidua, tres substantiæ, tres existentiæ, tres perfectiones, tres immensitates, æternitates, &c. Patet, quia quælibet persona, provt distincta, & provt habens oppositionem cum aliis, est ens, res, indiuiduum, existens, substantia, perfectio, &c. Atqui consequens non videtur admittendum. Nam in Trinitate non est nisi vnum esse,& vna essentia.Quare Diuus Thomas *in 1.dist.25. art.* 4. non vult vt concedamus tria entia. Diuus Augustinus *lib.* 7. *de Trinit. cap.* 8. negat in Deo tria entia, asserens, *Diuinitatem non esse communem tribus personis tanquam tribus indiuiduis, quoniam aliàs essent tres Dij.* Sunt denique Theologi, qui nolint in personis diuinis agnoscere plures res, substantias, existentias, perfectiones, immensitates, &c. sic enim vna persona haberet perfectionem aliquam, quam non haberet alia, & in duabus vel tribus plures essent perfectiones, quàm in vna; ac per consequens nulla persona esset summè perfecta: & non esset verum quod habetur in Symbolo Athanasij, *Non tres æterni, nec tres immensi.*

17. Antequam obiectioni propositæ respondeamus, notandum est primò prædicata, quæ de personis diuinis enuntiari possunt, aliqua se tenere ex parte naturæ; & hæc sunt absoluta,nec multiplicantur pro multiplicatione personarum Aliqua verò se tenent ex parte personalitatum; & ea sunt relatiua, atque si sint relatiua per abstractionem à tribus vel duabus personis, multiplicantur à parte rei pro multiplicatione ipsarum personarum. Denique aliqua sunt, quæ nec ex parte solius naturæ,nec ex parte solarum personarum se tenent, sed ab vtroque abstrahunt, & communia vtrique sunt. Quare nec absoluta determinatè, nec relatiua sunt determinatè. Talia sunt transcendentia & quædam alia, vt infra dicetur.

18. Notandum secundò, concreti prædicationem, si per nomen substantiuum fiat, non posse fieri in plurali, nisi forma ipsa, quæ per tale nomen expresè significatur, multiplicetur. Quare si sit vnitas formæ, substantiuum nomen debebit proferri in singulari; quamuis sint plura supposita, in quibus forma de facto subsistat. Ita non dicuntur tres Dij, quia non est nisi vna deitas, esto in tribus personis subsistens. Eodem modo non dicimus duos spiratores, sed vnum; si autem prædicatio fiat per nomen adiectiuum, tunc debebit ipsum nomen pluraliter prædicari, quando personæ vel supposita, de quibus prædicatur, plura sunt, etiamsi forma per illud expresè significata non multiplicetur. Ita personas tres dicimus diuinas esse tres creantes; dicimus etiam esse duos spirantes. Nec dubium est, quin

si vna & eadem albedo duos homines supernaturaliter informaret, dicendi forent duo albi. Vnde apparet, cùm Athanasius dixit in Symbolo, *non tres aeterni, nec tres immensi*, hos terminos, *aeterni, immensi*, non adiectiuè, sed substantiuè prædicari. Hæc doctrina de prædicatione nominis substantiui & adiectiui certa esse debet; sed non ita conueniunt omnes in reddenda illius ratione.

19. Et quidem Diuus Thomas hanc reddit 1.*p.q.*36. *art.* 4. & *q.* 39. *art.* 3. Quòd scilicet nomen substantiuum significet formam modo quodam absoluto, seu per modum substantiæ, & per se stantis; substantia autem, sicut per se habet esse, ita per se habeat vnitatem, vel multitudinem. Vnde singularitas, vel pluralitas nominis substantiui attenditur secundum formam significatam per nomen, hoc sensu, quod si forma sit singularis, nomen nequeat prædicari nisi singulariter, licèt personarum sit pluralitas. Sed si contrà accidat formam ipsam habere pluralitatem; non tamen illicò debebit nomen prædicari pluraliter, nisi simul adsit & pluralitas personarum. Vnde fit vt ob vnitatem formæ dicatur vnus tantùm Deus, non obstante pluralitate personarum: & ob vnitatem personæ Pater diuinus dicatur vnum principium (non duo principia) Filij & Spiritus sancti, non obstante duplicitate formæ significatæ per hanc vocem, *principium*. Quod est dicere, nomen substantiuum concretum poni in numero tantùm singulari, quoties non conuenit simul formæ & personæ pluralitas. At verò nominis adiectiui alia est ratio; illud enim significat formam per modum accidentis inhærentis subiecto, accidentia autem sicut esse habent in subiecto, ita ex subiecto suscipiunt vnitatem, vel pluralitatem. Et ideò in adiectiuis attenditur singularitas & pluralitas secundùm supposita. Quando enim forma quædam per modum accidentis est in multis suppositis, licèt ipsa sit vna & singularis; tamen adiacentiam habet non vnicam. Vnde fit vt verè plures sint habentes vnam illam formam; nihil autem aliud significatur per nomen adiectiuum pluraliter enunciatum. Quid enim aliud est si dicas duos albos, quàm si duos habentes albedinem, &c. Hactenus explicata est ratio, quam Diuus Thomas reddit, cur nomen substantiuum, quando forma non multiplicatur, prædicari in plurali non possit; possit autem, & debeat adiectiuum.

20. Eam Diui Thomæ rationem improbat Scotus *dist.* 12. §. *iuxta quæstionem.* Quia terminus numeralis ponit significatum suum circa significatum sui determinabilis; hoc est numerat significatum eius nominis, cui adiunctus est. Atqui significatum substantiui & adiectiui idem est, quoniam vtrumque significat formam. Ergo siue substantiuo, siue adiectiuo iungatur, semper numerat formam; nec hoc ei tollere potest modus significandi diuersus, quo scilicet forma significetur per modum subsistentis, vel per modum adiacentis. Ergo non magis potest nomen adiectiuum poni in plurali, & adiungi terminis numeralibus, quàm nomen substantiuum. Verùm neganda est Scoto maior. Nam terminus numeralis nullò modo ponit significatum suum circa formam significatam, si nomen sit adiectiuum; sed dicendum est quod semper significatum suum ponit circa suppositum, quod importatur per nomen, cui adiungitur; & quidem circa suppositum solum, & non circa formam, quando non est adiectiuum:

at

at verò & circa suppositum, & circa formam simul, quando nomen est substantiuum, & ipsam formam significat vt per se subsistentem.

21. Quamuis porrò Diui Thomæ rationem immeritò refutet Scotus; non tamen ea contemnenda est, quam ipse nouam assignat, quæ sic habet. Quando terminus numeralis (putà duo, tres, quatuor, &c.) additur substantiuo, ab hoc ita dependet, vt suam dependentiam non referat ad aliud vlterius, sed in eo hæreat. At verò quando additur nomini adiectiuo, vlteriusque tendenti, non potest ad ipsum suam dependentiam vltimò terminare; sed oportet, vt tam ipse terminus numeralis, quàm nomen adiectiuum referatur ad tertium, quod non referatur vlteriùs, & sit ab omni alio nomine independens, atque adeò non sit adiectiuum, sed substantiuum: verbi gratiâ, si dicas, tres creantes, duo spirantes, nihil dicis vltimum; sed exprimere, vel subintelligere debes nomen substantiuum, in quo terminus numeralis, & nomen adiectiuum vltimò conquiescat, & quod per consequens numeretur. Tale autem nomen substantiuum in exemplis hìc positis est, aliqui, vel personæ: quasi dicas, tres creantes aliqui, duo spirantes aliqui: seu, tres creantes personæ, duæ spirantes personæ. Quæ locutio recta est, quia personæ, quæ solæ numerantur, numerari possunt, cùm plures sint: creatio autem vel spiratio, quemadmodum numerum & pluralitatem non habet, ita nec numeratur, cùm terminus numeralis totus in substantiuum numerabile incumbat. Atque si nomen, Creantes, aut, Spirantes, ponitur in plurali, hoc fit propter solum substantiuum, cuius forma multiplicata numeratur. Hæc est mens & doctrina Scoti, quam eatenùs bonam esse aduerto, quatenùs continet superiorem eam rationem Diui Thomæ, quam ille suprà reiecerat. Nam peto à Scoto, quare terminus numeralis non cadit vltimò in adiectiuum, ita vt illud numeret; cadit verò in substantiuum, & illud numerat; nisi quia, vt dixit sanctus Thomas, substantiuum formam per modum substantiæ & per se stantis significat, adiectiuum autem formam declarat per modum adiacentis, & in alterum incumbentis, vnde fit, vt substantiuum cùm ad aliud non referatur, nequeat ab alio habere vt ponatur in plurali, si à seipso id non habet.

22. His prænotatis respondeo ad obiectionem superiùs factam *num.* 16. omnia prædicata quæ ibi proponuntur, posse non quidem vt absolutè, sed vt relatiuè sumpta, enunciari de personis tribus eo modo, quo hæc intendit obiectio. Nam verum esse existimo quod ibidem asserunt aduersarij, ea cuilibet personæ diuinæ, provt ab aliis distinctæ, & vt relationem & oppositionem habenti, conuenire. Ac primò quidem negari non potest personas in Trinitate esse plures res relatiuas. Cùm enim personæ multiplicentur, & secundùm rationem differentiæ, quam habent inter se, non sint nihil, oportet vt eatenùs vnaquæque sit aliqua res, & omnes sint plures res, alioqui distinguerentur per nihil, atque adeò non distinguerentur. Sanè numerus non potest verè & realiter esse nisi inter plures: atqui in Trinitate verè & realiter est numerus ternarius. Confirmatur: nam dicere Patrem & Filium esse duas res, nihil est aliud quàm dicere Patrem vt Patrem esse rem, & distingui à Filio; Filium item esse rem alteram, & vt talem distingui à

Patre

Patre: quod certè verum est,& in fide Catholica negari non potest. Ita sentit D. Thomas *in 1. dist. 25. art.4.* & *in 1. p. q. 30. art. 1.& 3.* necnon *q.39. art.3.* & simul omnes Theologi, præter vnum ferè Gregorium *dist.27.quæst. vnica, art. 2. concl.3.* vbi asserit nullam entitatem aut rem esse in Patre, quæ non sit in Filio, propterea quod alioqui sequeretur non communicari Filio à Patre totam entitatem quam habet, sed hunc eam entitatis partem sibi retinere, cuius non sit particeps Filius. Consequens autem falsum esse patet *ex cap. Damnamus, de summa Trinitate*, vbi hæc habentur: *Dici non potest, quòd Pater partem substantiæ suæ Filio dederit, & partem ipse sibi retinuerit.* Confirmatur: nam si Pater & Filius sunt duæ res: ergo non sunt vna res, contra Lateran. Concilium, ex eodem illo cap. *Damnamus*, in quo dicitur, *quòd vna quædam summa res est, quæ veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.* Sed in his Gregorius nihil pro se adducit, præter solam difficultatem Mysterij. Dicimus verò, quod licèt in Patre non sint plures realiter formaliterque entitates, sed vna indiuisibilis, quæ non potest formaliter in duas partes diuidi, vt secundùm vnam partem communicetur,& secundùm alteram partem non communicetur; quare si communicatur Filio, necesse est totam identicè communicari: nihilominus in ea quædam virtualis duplicitas reperitur; habet enim rationem absolutam & rationem respectiuam. Vnde fit vt possit & secundùm priorem rationem communicari,& secundùm posteriorem non communicari. Quod est dicere illam Filio communicari quidem totam, sed non omni ratione: atque hæc est mens capitis, *damnamus*, & Sanctorum Patrum, vt mox patebit.

23. Ad confirmationem dicendum est, Patrem, & Filium ex Concilio Lateran. & Augustino lib. 1. de Doctrina Christiana, c. 5. *esse quamdam vnam summam rem absolutam*, ac per consequens non esse duas res absolutas; est enim vna essentia, vna diuinitas: sed hoc non obstante duæ illæ personæ sunt verè duæ res relatiuæ, quarum vna est realiter producens,& altera realiter producta; ac per consequens non possunt dici esse vna res relatiua, sed in seipsis, & immediatè distinguntur ab inuicem realiter, licèt ab essentia distinctionem non habeant nisi virtualem, & in ea realiter identificentur. Quare Hilarius *lib. 7. de Trinitate*, ponderans illud Ioan. 10. *Ego & Pater vnum sumus. Ego & Pater* (inquit) *rerum nomina sunt.* Et Augustinus suprà ait; *Tres diuinas personas res esse, quibus fruendum nobis est*: Audiendus est Anselmus *lib. de Incarnatione Verbi, c. 3.* vbi sic habet: *Solemus vsu dicere rem quidquid aliquo modo dicimus esse aliquid. Qui autem dicit de Deo Patrem aut Filium, aliquid de Deo dicit: & omnes sciunt in Deo Patrem non esse Filium, & Filium non esse Patrem. Hoc ergo modo nihil prohibet dicere duas personas, Patrem & Filium esse duas res; si tamen intelligatur cuiusmodi sint res. Non enim sic sunt Pater & Filius duæ res, vt in his duabus rebus intelligatur eorum substantia, sed eorum relationes.* Hæc Anselmus. Eodem modo, quo dici possunt esse in Trinitate tres res, seu tres realitates relatiuæ; ita dici possunt esse tria entia, & per consequens tria vera, tria vnitatem multiplicatam habentia; item tria indiuidua, tres substantias, tres existentias, tres perfectiones; dummodò

dummodò hæc prædicata relatiuè sumantur. Vide Suarem *lib.3. c. 5. & sequentibus, vsque ad* 11

24. Aduerte quod vt ex suprà dictis habemus, tres personas dicendas esse in Trinitate plures res,ita nec dubitandum est, quin possint dici plures realitates. Realitas enim vel idem est cum re, vel est eius tanquam abstractum. Quare dum multiplicantur res, necessarium est & realitates multiplicari. Non enim possunt concreta substantiua multiplicari, quin multiplicentur eorum abstracta. Dices, hoc nomen, *res* & *realitas* (vt metaphysici dicunt cum Auicenna) sonat quidditatem: non sunt autem tres quidditates in Trinitate.Respondeo,si per quidditatem intelligas essentiam seu naturam, res non est idem, quod quidditas: si autem intelligas per quidditatem, quamcumque formam realem,seu quodcumque non est nihil, hoc sensu dico esse in Trinitate tres quidditates, seu tres rationes formales quidditatiuas, nimirum tres relationes differentes in formali, & quasi specifica ratione relationis. Atque eo modo, quo hactenus ostendimus in Deo esse tres res, seu realitates, non quidem absolutas,sed relatiuas,ostendi potest in eodem esse tria entia, tria vera, tria indiuidua, &c.

25. Superest tandem explicandum, an tres sint immensitates, æternitates, &c. in Trinitate. Negat Suares *lib.* 3. *c.* 11. & 12. & 3 *p. disp.* 11. *sect.* 2. Vasques *disp.*122.*c.* 7. & *disp.*126. *c.*3. Cuniga *disp.* 14. *dub.* 1. *memb.* 2. & *disp.* 5. *dub.* 11. Ruis *disp.* 27. *sect.* 1. & 2 aliique plurimi, quia Symbolum Athanasij, & Patres communiter aiunt esse *vnum æternum, & vnum immensum; non autem tres æternos, & tres immensos.* Vnde sequitur non esse admittendam vllam seu æternitatem, seu immensitatem relatiuam, sed eam solùm, quæ absoluta sit, & se teneat ex parte essentiæ. Dicunt igitur prædicti Theologi, æternitatem, & immensitatem essentiæ esse rationem formalem, per quam constituatur æternus & immensus Pater sub ratione Patris; & Filius sub ratione Fili, eodem modo quo omnipotentia essentiæ est ratio formalis per quam Pater & Filius est omnipotens. Quod si instes, paternitatem & filiationem secundùm se, & prout distinctam ratione ab essentia non participare omnipotentiam, quemadmodum nec intellectum & voluntatem. Quare mirum non esse, si Pater & Filius sit omnipotens per solam essentiam. At verò clarum esse,non solam essentiam, sed & ipsas proprietates personales prout sibi oppositas, omnem temporis & loci imaginarij differentiam implere ex necessitate suæ entitatis; atque adeò sibi peculiarem habere durationem æternam, & præsentiam immensam. Respondent diuersè. Nam Suares quidem fatetur tres proprietates personales, vt tales, & vt sibi opponuntur, habere tres durationes, præsentiasque distinctas, & relatiuas, quæ omnem temporis & loci differentiam impleant, sed eas negat appellari æternitates & immensitates; æternitas enim & immensitas ex illius sententia sonat durationem & præsentiam, non quamcumque infinitam, sed eam quæ sit in essentia, seu in Ente infinito simpliciter in omni genere infinitatis. Quare si per æternitatem & immensitatem nihil aliud quàm eam durationis & præsentiæ extensionem, quæ nullo fine circumscribatur, intelligamus, non negabit Suares,quin tres personæ habeant tres

æternitates, immensitatesque relatiuas. Atque eadem est sententia Cunigæ, qui cùm fateatur disertè triplicem durationem præsentiamque in Deo infinitam, asserit tamen eam non solere dici propriè æternitatem & immensitatem; *Non enim extensa sunt*, inquit, *hæc nomina extra essentiam.* Alij tamen negant in tribus personis reperiri vllo modo durationes, aut præsentias relatiuas. Cuius ratio à priori est, inquit Ruis disp. 27. sect. 2. *Quia duratio & vbicatio sunt prædicata non perfectè transcendentia. Quamuis enim duratio, & vbicatio quibuscumque rebus conueniant, attamen non conueniunt ratione cuiuscumque formalitatis aut proprietatis realis, sed ratione totius & integræ realitatis simul sumptæ, qualis non est in Deo personalitas.* Confirmatur: nam quod relationes diuinæ virtualem durationem & extensionem localem habeant infinitam, prouenit ex infinitudine in genere entis; quæ infinitudo est solius essentiæ diuinæ.

26. Ego tamen certum existimo primò, quidquid existentiam veram & realem habet, debere habere suam per se durationem & præsentiam. Nam quidquid est, aliquando & alicubi est; & quidem per seipsum. Implicat enim rem existentem perseuerare in esse, aut vbicari aliter, quàm per suam formaliter entitatem. Quare asserendum est cum Suare tres personalitates, vt habent existentiam relatiuam, sic & habere cùm durationem, tùm præsentiam relatiuam. Cùm verò talis duratio & præsentia sit infinita, & impleat omnem temporis, locique differentiam, nihil impedit, quominùs possint æternitatis, immensitatisque nomen aliquo modo sortiri: atque ita tres erunt æternitates, immensitatesque relatiuæ eo modo, quo Suares & alij omnes concedunt esse tres infinitates relatiuas. Quod si quis nolit id genus durationis ac præsentiæ relatiuæ vocare æternitatem & immensitatem (quemadmodum id dici posse aduerto de æternitate specialiter, prout definitur à Boëtio, *immutabilis vitæ tota simul ac perfecta possessio*) quæstio erit de nomine, in qua ego quidem non contendo. Imò consultius existimo, vt dum tres durationes præsentiasque infinitas relatiuas in Deo asseremus, abstineamus à nominibus æternitatis & immensitatis (nisi addatur, relatiuæ,) propterea quòd illa simpliciter dicta solent frequentiùs accommodari essentiæ; & videri posset durum ac insolens, si absolutè dicerentur aliquo modo in Trinitate tres Æterni, ac tres Immensi. Aduerte aliqua alia esse item prædicata, quæ si relatiuè, & non (vt sæpiùs solent) absolutè sumantur, multiplicari in tribus personis posse satis intelligitur ex iam dictis de æternitate & immensitate. Talia sunt, esse increatum, esse infinitum, incomprehensibile, ineffabile, inuisibile, & similia.

CAPVT III.

De illo axiomate: *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.*

1. PRæter illas aduersariorum obiectiones, quas superiori capite expediuimus, hæc præcipua est, (atque ideo seorsim & peculiari hoc capite explicanda) quòd implicare videatur contradictionem, vt tres diuinæ personalitates realiter inter se distin

distinguantur, cùm eas vt certum supponamus identificati naturæ diuinæ per summam simplicitatem; ita vt nullum cum illa faciant realis compositionis genus. Quæcumque enim eo modo sunt eadem vni alicui tertio, necessarium est esse eadem inter se, vt continetur trito inter Philosophos axiomate per se clarissimo, quod ab Aristotele traditur *lib. 7. top. c.* 1. his verbis; *Si cui alterum idem, & alterum; nam si non sunt ambo eidem eadem, manifestum est, quod nec sibi inuicem.* Idem traditur 3. *phys. text.* 21. vt refert Sanctus Thomas *q.* 28. *art.* 3. *ad* 1. Atque hoc, sunt qui putent, esse primum principium in quo discursus, omnisque forma syllogistica fundatur. Ad hanc obiectionem addi debet hæc velut appendix: *Eorum quæ sint idem re, si vnum multiplicari non potest, nec multiplicari poterit alterum.* Sed in diuinis essentia & personalitas sunt idem re: ergo quandoquidem essentia multiplicari non potest realiter, nec poterit personalitas. Apparet etiam, augeturque vis obiectionis ex eo quod consequenter ad prædictam personalitatum & essentiæ diuinæ identificationem fieri possint aliqui syllogismi expositorij, qui euidenter concludant Patrem & Filium (idemque est de Spiritu sancto) non distingui inter se realiter. Verbi gratiâ, si quis sic argumentetur: Essentia diuina est Pater: sed essentia diuina est Filius: ergo Filius est Pater. Aut sic: Hic Deus est Pater: sed hic Deus est Filius: ergo Filius est Pater. Vnde patet formam syllogisticam aduersari fidei; & vel concedendam esse syllogismi prædicti expositorij conclusionem contra fidem, si forma valet in diuinis; vel si conclusio neganda sit, formam syllogisticam non esse in diuinis admittendam, atque adeò mysterium Trinitatis esse contra rationem.

2. Ad primum huius difficultatis caput respondent primò Scotus *dist.* 2 *q.* 4. & Durandus ibidem, negando personalitates, & essentiam identificari à parte rei inter se omnimodè, & per summam simplicitatem. Volunt enim personalitates comparari ad essentiam; Scotus quidem vt formalitates distinctas ex natura rei, Durandus verò vt modos ab ea distinctos. Quare ad obiectionem dicunt, quòd quęcumque aliquo identitatis genere sunt eadem alicui, illa eodem ipso entitatis genere sunt eadem inter se. Fatenturque per consequens relationes non differre ab inuicem maiori distinctione, quàm ab essentia differant. Pessimè. Nam (præter quam quod falsum est distingui in re essentiam à personalitatibus) docet fides Catholica relationes personales differre vt distincta supposita, & habere distinctionem plenè realem. Quare post horum Doctorum solutionem manet adhuc tota difficultas, quomodo fieri possit, vt ea quæ ita se habent ad essentiam diuinam, vt ab ipsa distinguantur tantùm formaliter in re aut modaliter (quod & ipsum obstat diuinæ simplicitati) distinctionem tamen habeant omninò realem.

3. Imò aduerto Scotum eiusque discipulos, cùm negant identificari per summam formalemque simplicitatem personalitates, & essentiam, iactare immeritò personalitates in sua doctrina non distingui ab essentia secundùm entitatem, sed tantùm secundùm formalitatem à parte rei. Quod vt meliùs ostēdam sumo, verbi causâ, paternitatem, hancque cōparo cum essentia: & probo distinctionem, quam Scotus ponit inter vtramque, non posse (si res ad viuum resecetur) sistere in solis formalitatibus ante opus mentis. Nam propterea vult Scotus essen-

tiam & paternitatem distingui ex natura rei, quia verè à parte rei essentia communicatur Filio, & paternitas non communicatur. Vult ergo ita distingui essentiam & paternitatem, sicut illis à parte rei competit, vt vna communicetur, & altera non communicetur. Atqui, inquam ego, id illis competit secundùm veram ipsarum entitatem. Nam à parte rei communicatur Filio ipsa realitas, & vera entitas essentiæ: & è contrà paternitatis realitas ac verissima relationis entitas est Filio incommunicabilis, & ei opponitur. Ergo si propter illam quasi separationem realem distinctio quædam ex natura rei adstruitur, debet talis distinctio adstrui inter realitatem paternitatis & realitatem essentiæ. Ex dictis apparet non posse per Scoticarum formalitatum considerationem solui argumentum, quod contra distinctionem personarum diuinarum sumitur ex axiomate, *Quæ sunt eadem vni tertio*, &c. atque cum proportione contra Durandum potest eadem consideratio valere.

4. Secundò Gregorius Ariminensis *in 1. dist. 33. q. 1. art. 3.* respondet, latère æquiuocationem, cùm dicitur, *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.* Ille enim terminus, *eadem*, potest significare identitatem rei; potest item identitatem personæ. Si importet identitatem rei, ita vt sit sensus, *quæ sunt eadem res vni tertio, sunt eadem res inter se*, concedit Gregorius totum quod intendit obiectio, nempe tres diuinas personalitates, quæ cum essentia sunt eadem res, esse inter se eamdem rem. Putat enim ille personas diuinas non esse tres res. Si autem terminus, *eadem*, importet identitatem personæ, ita vt sit sensus, *quæ sunt eadem persona cum vno tertio, sunt eadem persona inter se*; tunc negandum ait tres personas identificari cum essentia. Quare vult stare omninò in diuinis prædictum axioma; & tres personas habere eamdem identitatem inter se immediatè, quam habent cum essentia; & quemadmodum sunt eadem res cum essentia, sic esse inter se eandem rem; quemadmodum verò inter se ipsas non sunt eadem persona, sic nec habere identitatem personæ cum essentia.

5. Ea Gregorij solutio non potest valere. Nam primò supponit doctrinam in fide falsam, quòd personæ nulla re inter se differant. Sanè docet fides, Patrem Filium, & Spiritum sanctum differre realiter, & esse tria verè distincta supposita. Quod stare non potest, si nullam rem habeant, qua differant, nisi quis concipiat posse aliquid verè & realiter differre ab alio, & tamen differre per nihil. Quare in hac solutione malè distinguntur hæc duo, Res vniuersalissimè sumpta, & Persona diuina; quasi nimirùm persona non sit aliqua res in Deo. Secundò falsum est consequenter, quòd in hoc axiomate, *Quæ sunt eadem vni tertio*, &c. terminus, *eadem*, sit æquiuocus & indigeat distinctione. Sumitur enim vniuersalissimè, & nullum excludit possibile genus identitatis, perindeque est ac si diceretur; Quæ sunt eadem vni tertio, aliquo possibili genere identitatis, sunt in illo ipso genere eadem inter se. Atque istud clariùs apparebit, si huiusmodi axioma & obiectionis argumentum his æquiualentibus verbis enunciemus per negationem; *Quæ non sunt vllo possibili modo distincta realiter ab vno tertio, non sunt item vllo modo distincta realiter inter se.* Cùm autem tres personæ non sint realiter vllo possibili modo (nec vt res, nec vt personæ, &c.) distinctæ

diſtinctæ ab eſſentia; videndum eſt cur non poſſit inferri hæc falſa concluſio: Ergo perſonæ diuinæ non ſunt realiter inter ſe diſtinctæ. Vnde aduertis, cùm certum ſit Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum non obſtante omnimodo genere identitatis in eſſentia, diſtingui inter ſe realiter vt perſonas, inutilem eſſe Gregorij ſolutionem; & poſt illam reſtare adhuc integram difficultatem, & obiectionis vim. Quare oportet vt Gregorius oſtendat, quomodo perſonæ diuinæ poſſint realiter diſtingui à ſe inuicem, cùm nullatenus ab eſſentia realiter diſtinguantur.

6. Tertiò non valent aliæ quorumdam ſolutiones; qui huic difficultati ſic reſpondent, vt petant principium, & explicent idem per idem. Talis eſt illa ſolutio Caietani, cùm dicit: Quæ ſunt eadem vni tertio, eſſe quidem eadem inter ſe, verùm in illo ſolùm tertio. Id enim aliud nihil eſt, quàm ſi quis dicat: Illa, quæ ſunt eadem vni tertio, eſſe illa-tenus eadem, ſeu conuenire in hoc, quod identificentur in illo tertio; ſiue, id habere, vt identificentur illi tertio. Quo reſpondendi modo nihil dicitur noui, nec ratio redditur eius, de quo eſt quæſtio.

7. Quartò reſponſum Valentiæ & quorumdam aliorum eo tandem reſoluitur, vt eſſentia diuina, quandoquidem tres perſonalitates cum ipſa identificantur, ſit re quidem vnum, ſed virtualiter plura. Quare, quod perſonalitates cum tali eſſentia virtualiter multiplici identificentur, id non impedit, quominus ipſæ inter ſe realiter diſtinguantur. Verùm ſi nihil aliud dicas, niſi eſſentiam virtualiter eſſe plura, quoniam pluribus identificatur, verſuram facis; & per idipſum quod quæritur, reſpondes; & tantundem poſt huiuſmodi ſolutionem debes, quàm antè; probandaque tibi reſtat pluralitas perſonalitatum, quam præſupponis, vt eſſentia dici poſſit multiplex virtualiter.

8. Quintò denique reſponſio quam adhibet Diuus Thomas *q. 28. art. 3. ad* 1. quod ſecundùm Philoſophum 3. *phyſ. text.* 21. quæcumque ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe, ſi fuerint eadem illi tertio, & ſecundùm rem, & ſecundùm rationem, eo modo, quo tunica & indumentum; non autem ſi ratione differant. Hæc, inquam, reſponſio difficultatem habet. Iuxta illam enim fatendum eſſet perſonalitates eo modo, quo ſunt idem realiter cum eſſentia, quamuis ab hac differant ſecundùm rationem, debere neceſſariò eſſe idem inter ſe realiter, & ad ſummum ſola ratione differre.

9. Vt quid in hac difficultate dicendum tandem ſit, definiamus, notandum eſt aliquos, ne concedant myſterium Trinitatis aduerſari rationi, nolle formam ſyllogiſmi niti illo axiomate, Quæ ſunt eadem vni tertio, &c. ſed potiùs niti dicto de omni, & dicto de nullo. Quare aſſerunt perſonalitates, quatenùs identificatæ cum eſſentia inter ſe diſtinguntur, aduerſari quidem illi prædicto axiomati, ſed non propterea formæ aduerſari ſyllogiſticæ, vtpote nihil habenti commune cum illo axiomate. Sic Vaſquez, & alij multi, qui vt probent formam ſyllogiſticam non fundari in illo axiomate, videntur poſſe dicere, quod in ſyllogiſmo habente medium vniuerſale, hoc eſt includente dictum de omni, duo extrema non

propriè sunt idem alicui tertio, quod sit simpliciter vnum, quandoquidem medium vniuersale plurimas, & diuersissimas habet partes subiectiuas. Quare, inquient, efficacitas ac vis tota formæ, dum nititur dicto de omni, non nititur axiomate, Quæ sunt eadem vni tertio. Sed contra. Nam qui ita sentiunt, non considerant, in ipsis etiam illis syllogismis, vbi medium est vniuersale, formam ideò solùm valere, quoniam duo extrema sunt idem vni tertio, quod sit verè ac simpliciter vnum. Etenim medium vniuersale (quatenus est verè ac formaliter medium) non debet sumi secundùm omne, quod in sua potentia continet, vt patet in hoc, verbi gratia, syllogismo: Omne animal est viuens: sed homo est animal: igitur homo est viuens. Conclusio enim huius syllogismi propterea solùm valet, quia inter cunctas generici animalis partes subiectiuas reperitur vna, nimirum ea species, quæ per rationalitatem differt ab aliis, non necessariis ad rationem medij; neque vsurpatur in prædicto syllogismo dictum de omni, seu maior vniuersalis, nisi quatenus omnes partes vniuersaliter nulla relicta in medio distributo sumi debuerunt, ne illa pars specialis omitteretur, cui duo extrema *homo*, & *viuunt*, sunt eadem. Quare dicere formam syllogisticam fundari in dicto de omni, idem est ac dicere fundari in illo axiomate: Quæ sunt eadem vni tertio.

10. Ergo vt denique meliùs quàm per prædictos respondendi modos soluatur obiectio proposita *num.* 1. fatendum existimo, illud Philosophicum axioma, Quæ sunt eadem vni tertio, dici benè posse fundamentum syllogisticæ formæ, atque in ipsis etiam diuinis valere, nec restringendum videri ad solas creaturas, si benè, & vt par est, explicetur. Prior huius assertionis pars sufficienter elucidata est numero præcedenti. Vnde colligitur eos, qui volunt fundari formam syllogisticam in dicto de omni, non discrepare ab iis, qui eam formam niti volunt illo axiomate, Quæ sunt eadem, &c. non enim dictum de omni potest formam syllogisticam fundare, nisi quatenus (cùm aliquid dicitur de omni) duo extrema identificantur cum medio vniuersali inadæquatè, nec in omni latitudine suæ distributionis sumpto; sed tantùm sumpto secundùm vnam partem eius subiectiuam: sic nempe, vt quæ sunt eadem vni illi subiectiuæ parti, sint eadem inter se. Ita si hæc duo extrema, *homo* & *viuens*, sunt idem cum ea subiectiua parte animalis, quæ rationalitatem respicit, necesse est vt secum etiam idem sint. Quod si maius & minus extremum essent idem cum animali sumpto secundùm diuersas partes subiectiuas, non foret syllogistica forma, vt cùm quis diceret in secunda figura non distributo medio: Omnis homo est animal: sed omnis bos est animal: ergo omnis bos est homo.

11. Altera pars assertionis, quòd etiam in diuinis prædictum axioma formam syllogisticam fundet, probari similiter potest. Nam in rebus & diuinis & creatis necessarium est ad bonam syllogisticam formam, vt medium, quatenùs maiori, minorique extremo identificatur, sit verè ac simpliciter vnum. Ac per consequens, si medium aliquam vniuersalitatẽ, nimiamque amplitudinem habeat, non potest secundùm id totum, quod sub se continet, sed tantùm quatenus continet id quod est minus extremum syllogismi, habere proprium & formale officium medij, vt in illo tanquam

quam in vno tertio duo extrema ſint idem. Itaque ſicut animal non poteſt eſſe aptum medium, in quo ſecundùm totam ſuam vniuerſalitatem ſumpto bos & homo ita ſint idem, vt homo ſit idem cum animali ſecundùm vnam eius partem, & bos ſecundùm alteram; non enim homo identificatur omni animali: ſic eſſentia diuina, ſiue Deus, prout extenditur ad tres perſonas, habens virtualem vniuerſalitatem, non poteſt habere rationem medij; quatenùs vni extremo eſt idem ſecundùm vnam partem ſui quaſi ſubiectiuam, & idem alteri ſecundùm alteram ſui partem. Quæ ratio eſt cur veræ non ſint duæ præmiſſæ huius ſyllogiſmi: Deus eſt Pater: ſed Filius eſt Deus: ergo Filius eſt Pater. Quapropter cùm talem ſyllogiſmum conſtet peccare in forma, quoniam duo extrema non ſunt idem cum medio, quod ſit ſimpliciter vnum (aliter enim ſumitur in maiori, & aliter in minori propoſitione, cùm non diſtribuatur) conſtat formam ſyllogiſticam valere debere etiam in diuinis; eamque in hoc fundari axiomate, Quæ ſunt eadem vni tertio.

12. Dices. In iis quæ iam allata ſunt, vt probetur formam ſyllogiſmi in diuinis etiam niti illo axiomate, *Quæ ſunt eadem vni tertio*, &c. ſupponitur eſſentiam diuinam virtualiter eſſe multiplicem. Non apparet autem cur illa eius multiplicitas virtualis aſſeratur, niſi quia re ipſa identificatur tribus realiter diſtinctis perſonalitatibus: at ea ratio niſi aliud addatur, nulla eſt, vt ſupra indicauimus, *num.7.* nam rationem illam reddere, eſt petere principium, & idem probare per idem; etenim cùm quæritur, quomodo eſſentia (cùm ſit vna ſimpliciſſima formaliter) queat identificari tribus realiter diſtinctis; non poteſt aliud reſponderi, quàm quia eſt virtualiter multiplex. Poſtea verò cùm inſuper quæritur, vnde habeatur illam eſſe virtualiter multiplicem; non videtur alia reddi poſſe ratio, quàm quia identificatur tribus diſtinctis realiter. Ad id reſpondeo negando petere nos in hac re principium. Si enim poſtquam aſſeruerimus eſſentiam ideò eſſe virtualiter multiplicem, quoniam tribus realiter diſtinctis identificatur, inſtet aliquis, & petat, vnde illam tribus perſonalitatibus identificari habeamus; non reſpondebimus, quia eſt virtualiter multiplex, ſed dicemus, nos id habere, quia ſic docet reuelatio diuina teſtificans vnicum eſſe ſimpliſſimum Deum, & tres eius conſubſtantiales perſonas: quod eſt vnam Dei eſſentiam tribus perſonalitatibus identificari.

13. Oſtenſum quidem eſt hactenùs, quomodo eſſentiæ cum perſonalitatibus diuinis identitas non aduerſetur rationi, & quomodo cum Ariſtotelico axiomate, *Quæ ſunt eadem vni tertio*, &c. conciliari poſſit. Verùm vlteriùs addo, quamuis illud axioma explicari commodè non poſſet, nec ad veritatem catholicam aptari; non tamen nos inde cõmoueri oporteret, cùm fidei noſtræ myſteria ſic ex pronunciatis Ariſtotelicis emineant, vt eis etiam derogare poſſint. Quemadmodum in multis aliis apparet, in quibus naturalis Philoſophia cæcutit. Quid enim inter Philoſophos eſt illo vſitatius effato, *Ex nihilo nihil; in nihilum nil poſſe reuerti?* & tamen quàm diſſentaneum eſt illi primum hoc Religionis Chriſtianæ Scripturæque diuinæ pronunciatum, *In principio creauit Deus cælum & terram?* Et quis contra philoſophicæ rationis

tionis ludibria non asserat, cœlum ipsum & terram, ne in nihilum quolibet puncto temporis reuertatur, Creatoris sui vi substantifica sustentari? Causas tantum naturales Aristotelica Philosophia inuestigat. Verùm in agendi modo longè alia quàm naturalium causarum ratio est primæ, omnipotentisque Causæ. Porrò non magis in agendi modo, quàm in essentia ipsa sua Deus est dissimilis creatarum omnium rerum. Quam non habet repugnantiæ speciem, si Aristotelem consulamus, diuina immensitas? quòd ea substantia quæ indiuidua est, nec per partes funditur, sit vbique tota, & à se quodammodo diuidatur, vt infinita simul repleat loca? Quis vim diuinam præsciendi futura contingentia; quis ipsorum futurorum contingentium prædictionem, & definitam certamque veritatem per Aristotelis placita explicet? Quis æternitatem vel Dei negare, vel mundi asserere audeat, quorumdam Philosophorum authoritatem sequutus? Quis eisdem Authoribus innumera expedire possit, quæ humanum intellectum subtilitate sua fatigant, & creduntur tamen ab omnibus? *Si inter Deum & nos est incomprehensibile interuallum* (inquit Cyrillus lib. 11. in Ioannem) *cur naturæ nostræ defectus & infirmam intelligendi vim, tanquam canonem & regulam illi præfiniamus; quasi ex iis, quæ nobis impossibilia sunt, naturam omni necessitate potiorem metiri debeamus?* τί τὰ ἡμετέρας φύσεως ἐλλίμματα κανόνα καὶ σταθμὸν ὁρίζομεν τῷ θεῷ ἀπάσης ἀνάγκης κρείττονι. Sanè si vllis in rebus ad incomprehensam Dei naturam pertinentibus humanum deficere experiamur, & captiuari deceat intellectum; maximè id in Trinitatis, de quo hic disputamus, mysterio necessarium est.

CAPVT IV.

Refelluntur illi, qui realem personarum pluralitatem sic agnoscunt, vt in iis negent diuinitatis unitatem.

1. Errori, quem præcedentibus huius libri capitibus iam refutauimus, neganti personarum diuinarum distinctionem, quasi ea conciliari consociarique non possit cum Deitatis vnitate, extremè oppositus est error ille, qui nunc refellendus occurrit; negans earumdem personarum in essentia vnitatem, quasi repugnantem ipsarum distinctioni reali.

Error eorum redarguitur qui veram propriéque dictam diuinitatem in Trinitate multiplicant.

Duæ sunt autem huius erroris sectæ; quidam enim hæretici in tribus personis diuinitates totidem veras propriéq; dictas agnoscunt: alij vnam quidem veram diuinitatem, quæ sit in sola prima persona; duas autem in reliquis personis duabus, impropriè & æquiuocè dictas. Prioris sectæ principes fuerunt Peratæ, vt refert Theodoretus *lib. 1. hæret. fabul. cap.* 19. necnon Philoponus, teste Nicephoro *lib.* 18. *cap.* 48. Sicut enim plures humanæ personæ ita participant humanitatem, vt eam non omnes vnam & eandem, sed suam singulæ diuersam habeant: pari modo illi existimarunt in tribus personis diuinis diuinam multiplicari naturam. Eos secuti sunt Tritheitæ, seu Trinitarij recentiores, de quibus Bellarminus in præfatione librorum de Christo, & alibi. In horum

rum

rum ordinem cooptandus est Beza, qui vt refert Coccius *lib. 1. de Trinitat. artic.* 4. dixit essentiam diuinam esse realiter, & secundùm veritatem distinctam in tres personas.

2. Idem videntur censuisse, licet alioquin orthodoxi, & pij, Remundus Lullius, tres personas diuinas vocans tres essentias; & ante hunc Abbas Ioachimus, affirmans tres personas esse vnam essentiam collectiuè solùm. Displicebat isti Abbati, quod Petrus Lombardus 1. *sent. dist.* 5. docuerat, *quamdam summam rem esse, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, & illam non esse generantem, neque genitam, neque procedentem.* Illis Magistri verbis adstrui putabat Ioachimus quaternitatem in Deo; nempe cum tribus personis communem essentiam, velut quartam rem; negabatque rem vllam esse, quæ sit Pater, Filius & Spiritus sanctus. Definit contra illam boni Abbatis hallucinationem heterodoxam Synodus Lateranensis sub Innocentio III. *quòd vna quadã res est, quæ veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, tres simul personæ, ac singulatim qualibet earumdem. Et ideo in Deo Trinitas est solummodo, non quaternitas; quia qualibet trium personarum est illa res, quæ non est generans, neque genita, ne procedens: sed est Pater qui generat, Filius qui gignitur, & Spiritus sanctus qui procedit.* Optimè Augustinus *lib. 7. de Trinit. cap. 6.* ostendit essentiam diuinam, quæ communis est tribus, *non esse neque genus* (sic enim haberet sub se plures species) *neque speciem* (sic enim haberet sub se plura indiuidua) *sed esse indiuiduum simplex, quod sub se nullum habet inferius, licet tres habeat hypostases quibus sustentatur.* Non enim idem est esse in tribus hypostasibus, seu personis, & esse in tribus inferioribus. *Sed nec tres personæ sunt vna essentia* (pergit Augustinus) *eo modo quo tres statuæ sunt vnum aurum; nam in statuis æqualibus plus est auri tres simul, quàm singula statua; & minùs est auri vna, quàm duæ. At in Deo non ita est; non enim maior essentia est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus simul, quàm solus Pater, aut solus Filius: quod animalis homo non percipit.* Sanè iuxta Tritheitarum hæresin, & Ioachimi illusionem dicendum foret (quod egregiè refutauit Augustinus) diuinitatem esse siue genus, siue speciem ad tres diuinitates, siue specificè, siue indiuidualiter distinctas. Et ita sub vniuersali conceptu diuinitatis seu Dei, esse tres Deos Patrem, Filium & Spiritum sanctum; quemadmodum sub conceptu specifico hominis Petrus, Paulus & Ioannes sunt tres homines realiter distincti: atqui lumine naturali euidens est, non esse nisi vnum Deum; sicut libro primo demonstrauimus.

3. Licet Gregorius Nyssenus, & Damascenus, aliique nonnulli Patres Græci, vt diuinitatis vnitatem in tribus personis adstruerent, creditu que faciliorem redderent, asseruerint tres personas humanas non magis dicendas esse tres homines quàm tres personas diuinas, tres Deos; nihilominus multi Græcorum Patrum tam clarè ac Augustinus iam citatus, reliquique Latini, affirmarunt, vnitatem essentiæ diuinæ in tribus personis non esse per solam mentis nostræ operationem, quomodo essentia humana est vna in multis personis per mentem abstrahentem à differentiis indiuidualibus. Atque inter illos est ipse Damascenus, qui *libro 2. de fide orthodoxa, cap. 11.* (quicquid alibi secùs dixerit) statuit,

V

lib. 11. *in Ioannem* : πνεῦμα ἐνυπάρχον τῇ οὐσίᾳ τοῦ Θεοῦ προόεισιν ἐξ αὐτῆς, πάντα αὐτῆς ἔχον ἐν ἑαυτῷ φυσικῶς. Spiritus ſcilicet inexiſtens ſubſtantiæ Dei ex hac procedit habens in ſeipſo vniuerſa quæ eius ſunt.

15. Non ducam ſermonem in longius plures producendo ex Latinis Patribus huius veritatis teſtes, vna Leonis Magni authoritate contentus, qui ſermone primo de Pentecoſte, perſonarum omnium conſubſtãtialitatem his paucis exponit verbis: *Omnia quacumque habet Pater, habet & Filius, habet & Spiritus ſanctus.* Apud fideles Latinos repugnantibus licèt ſchiſmaticis Græcis ea conſuetudo multis in locis viguit, vt in Symbolo Conſtantinopolitano aucto hac vocula (Filioque) cantaretur *Spiritum ſanctum eſſe Dominum & viuificantem, qui ex Patre Filioque procedens cum Patre & Filio ſimul adoratur.* Quam conſuetudinem ſanxit Toletana Synodus tertia; Romanique probarunt Pontifices, licèt regnante Carolo Magno circa illam ſe difficilem præbuerit propter eius nouitatem Leo Papa tertius. Nominatim autem veritas de Spiritus ſancti conſubſtantialitate definitur in Concilio Lateranenſi, *cap. Firmiter, de ſumma Trinit.* Peculiares ea de re tractatus ſcripſerunt varij cùm Græci, tùm Latini; vt Dionyſius Alex. duobus libris quos latinè conuertit Hieronymus; Baſilius libro vno aduerſus Eunomium; Ambroſius tribus libris de Spiritu ſancto, &c. Denique vniuerſim omnes qui Filium, iidem & Spiritum ſanctum conſubſtantialem eſſe Patri aſſeruerunt. Aliqui benè aduerterunt Spiritum ſanctum nunquam in Scriptura numerari inter creaturas. Et cùm creaturæ recenſentur, vt in cantico trium puerorum, & *in Pſal.* 148. nequaquam altiùs aſcendi quàm ad Angelos. Poſito autem quòd non ſit in numero creaturarum, & diuinitate præditus ſit, quæ niſi vna eſſe non poteſt, eamdem cum Patre & Filio habeat, neceſſe eſt.

CAPVT V.

Proponuntur & ſoluuntur argumenta quibus, diuinitatis in tribus perſonis identitas & vnitas impugnatur.

1. CONtra veram trium perſonarum in eſſentia diuina vnitatem obiicitur primò. Eſt impoſſibile vt perſona quæ veram diuinitatem habet, eſtque verus Deus, ſit producta, Atqui ſecunda & tertia perſona eſt producta. Ergo impoſſibile eſt ſecundam, tertiamque perſonam Deum eſſe verum, eumdemque cum Patre. Probatur maior. Nam perſona, quæ veram diuinitatem habet, eſt ens à ſe, & ipſum eſſe per eſſentiam. Repugnat autem vt id quod tale eſt, ſit ab alio productum; quia illa duo immediatam contradictionem includunt, eſſe à ſe, & eſſe ab alio. Præterea quod eſt productum, eſt dependens; atque ita dicit intrinſecè imperfectionem. Confirmatur; nam quod eſt productum, vel eſt ex nihilo, & ſic eſt creatura; vel ex aliquo, & ſic eſt compoſitum, includitque duo quæ iungantur; vnum quidem quod præſupponatur; alterum autem quod per productionem exiſtat. Reſpondeo negando primam maiorem; nam perſona diuina quæ producitur, conſiderari poteſt cùm vt habens diuinitatem, tùm vt habens proprietatem ſeu perſonalitatem. Quamuis autem repugnet

sorum, &c. At Ioannes *cap.* 12. testatur, Isaiam ibi locutum fuisse de Christo, de ipso enim Christo loquens ille Apostolus, postquam hæc posuit Prophetæ verba, *Excæcauit oculos eorum*, &c. subiecit, hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam eius, & locutus est de eo. Omitto quædam alia loca similia veteris Testamenti, quæ de Christo, vt de eodem Deo cum Patre, intelligenda esse docemur in nouo Testamento.

8. Habemus infinita alia noui Testamenti loca, in quibus eamdem reperiri asseritur in Patre, Filioque diuinitatem. Sufficiat perpendere initium Euangelij Ioannis. Obseruandum enim est hunc Euangelistam toto ferè illo capite repetere initio sententiæ sequentis illam ipsam vocem, & quidem in eodem sensu, quam posuerat in fine sententiæ præcedentis. Quare sicut dixit, *In principio erat Verbum*, *& Verbum* (illud nempe ipsum de quo proximè loquebar) *erat apud Deum*: sic etiam subiicit, *Et Deus* (ille ipse nimirum de quo ante) *erat Verbum*. Hoc est Deus ille idem, apud quem Verbum erat, illius est ipsius Verbi prædicatum. Perinde enim est ac si totus ille contextus hoc modo se haberet: Verbum illud ipsum, quod in principio erat, erat apud Deum; atque illud etiam ipsum Verbum, quod erat apud Deum, erat ille ipse Deus, apud quem erat. Vbi vides secundam personam ita esse Deum, vt ipsa cum Patre communitatem eiusdem diuinitatis habeat.

9. Apud Iudæos, qui non recipiunt nouum Testamentum, efficacia sunt veteris ea loca, in quibus nomen, τετραγράμματον (quod iuxta ipsos est solius Dei veri) tribuitur Messiæ. In illis, inquam, omnibus conuincitur per eorum ipsorum principia Messiam non modò esse verum Deum, sed etiam esse illummet verum Deum, quem illi colunt. Cùm enim non admittant verorum pluralitatem Deorum; necessarium est vt qui in Scriptura verus dicitur Deus, seu יהוה, sit ille ipse Deus qui colitur à Iudæis, & qui nullum se habere posse in diuinitate consortem asserit passim: ergo si Christus alicubi vocatur יהוה in Scriptura, asseritur esse ille idem Deus verus, præter quem non est ampliùs. Atqui plurimis in locis (quæ nos alibi adduximus) illud Dei solius proprium nomen tribuitur ipsi Christo, vt manifestè Zachariæ 2. *Lauda & lætare filia Sion, quia ecce venio & habitabo in medio tui, ait Dominus* (יהוה) *& applicabuntur multæ gentes ad Dominum* (יהוה) *in die illa; & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui, & scies quia Dominus exercituum* (יהוה) *misit me ad te*. Ibi clarè Christus qui dicitur mitti, & is à quo mittitur vocatur יהוה hoc est, dicitur esse ille idem Deus, præter quem non est alius. Vnde euidenter conficitur id quod intendimus, Patrem, qui in Scriptura promittit se missurum Christum non esse diuersum יהוה ab ipso Christo; & tamen esse diuersam personam; Eum enim qui mittit, ab eo qui mittitur necesse est esse diuersum.

10. Igitur quod attinet ad Filij ὁμοουσιότητα, seu substantialem identitatem cum Patre, iam res confecta est. Non enim potuit nec Pater dare, nec Filius ab eo accipere naturam aliam nisi eam quæ erat in ipso Patre, & quam hìc dando sibi retinuit: sic vt idem Deus ab eodem ipso nasceretur Deo; nec tamen nasceretur à se genitore, sed ab alio. Qua enim diuinitate concessâ Filium Pater constituit Deum, eam sibimet seruauit, vt Deus à Deo, quem producebat, indistinctus semper.

ſemper eſſet. Plurima in Scripturis ſuppetunt, quibus id probetur, loca. Inter quæ ille eſt inſignis & eâ Petri confeſſione momorabilis, ſuper quam Chriſti fundata fuit Eccleſia; *Tu es Chriſtus Filius Dei viui:* Filius nempe non adoptiuus per gratiam, ſed genuinus per naturam, quam Deus Pater & illi dat, & datam ſeruat ſibi: πάντα δέδωκεν ὁ πατὴρ τῷ υἱῷ, πάντα πάλιν ὁ πατὴρ ἔχει. ἡ γὰρ τοῦ υἱοῦ θεότης τοῦ πατρὸς θεότης ἐστίν, inquit Athanaſius. Verum ſcilicet Petru, æqualemque Patri Filium confitebatur, & qualem ſeipſum dixit aliquando Chriſtus tam clarè, vt Iudæi apud quos ſermonem habebat, id intelligerent, proptereaque in eum lapides tollerent.

Probatur & Spiritum ſanctum eadem eſſe Deum diuinitate, quâ primam Perſonam.

11. Licèt de Spiritu ſancto in hac cauſa & conſubſtantialitatis quæſtione infrequentiùs olim atque tardiùs diſputari cœptum ſit, quàm de Filio; nihilominus vbi ſemel Doctores Catholici Patrem & Filium conſubſtantiales, & eadem præditos eſſe diuinitate probauerunt, perſpicuéque oſtenderunt, parum deinde laborarunt illi ſeu hæretici, ſeu infideles, contra quos hìc agimus, vtrùm tertia inſuper addatur perſona. Nullus enim qui Filium eſſe conſubſtantialem Patri conceſſit, negauit id de Spiritu ſancto. Et contrà quiſquis id negat de Spiritu ſancto, idem negat de Filio. Quare, Valentinus Gentilis de Spiritu ſancto diſputare nolebat; negabat enim eſſe de eo quæſtionem. Suntque omninò connexæ hæ duæ hæreſes de Filio, & de Spiritu ſancto. Itáque Macedonius, qui præcipuus fuit inter illos, qui Spiritus ſancti ὁμοουσιότητα negarunt (ſiue ipſum Spiritum non ſubſtantiam aliquam, ſed ipſa dona gratiæ, quæ Deus infundit cordibus noſtris, ſiue potiùs ſubſtantiam quandam eſſe voluerit intellectualem ſuperiorem Angelis) cum Arianis aut Semiarianis de Filio ſentiebat. Eumque mirum eſt cur Auguſtinus benè de Filio ſenſiſſe dixerit *cap. 51. contra Maximianum.* Et Ariani, quod de Filio, id pariter de Spiritu ſancto docebant; niſi quòd eorum aliqui hunc aſſerebant inferiorem: quod & Macedonium feciſſe puto.

12. Porrò non minùs efficaciter τοῦ ὁμοουσίου veritas in Spiritu ſancto, quàm in Filio oſtenditur. Nam illum Dominum exercituũ, de quo loquitur Iſaias *cap. 6.* his verbis. *Dixit Dominus exercituum (Iſaiæ) vade, dic populo huic, audite audientes, & nolite intelligere,* &c. Illum, inquam, nullus negat eſſe verum Deum Iſraël. Atqui ille ipſe eſt Spiritus ſanctus, vt habetur Actorum vltimo. *Benè Spiritus ſanctus loquutus eſt per Iſaiam, dicens, vade ad populum iſtum, & dic eis, aure audietis, & non intelligetis,* &c. Deinde Spiritum ſanctum eſſe verum Deum Iſraël, ſic probo. Ille, quo inſpirati locuti ſunt Sancti, ſiue qui locutus eſt per Prophetas, eſt verus & benedictus Deus Iſraël, vt habetur ex capite primo Lucæ, vbi poſtquam Zacharias dixiſſet, *Benedictus Dominus Deus Iſraël,* ſubdit de eodem. *Locutus eſt per os Sanctorum qui à ſæculo ſunt Prophetarum eius.* Atqui is, quo inſpirati locuti Sancti, ſeu qui locutus eſt per ſanctos Prophetas, eſt Spiritus ſanctus, *ex 2. Petri, cap. 1.* vbi dicitur, *Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines.* Et ex Symbolo Nicæno, *Credo in*

solo etiam numero diuersæ in Deo substantiæ, tollitur τὸ ὁμοούσιον. Quare cùm omnes eos, qui Trinitatis personas Deitate distingunt, hæc vel vna vox, ὁμοουσιότητος, seu consubstantialitatis à Catholicis discernat; ideò vocem eam magnâ contentione studuerunt & hæretici abolere, & è contra Orthodoxi retinere. Vt enim quælibet scientia, sic & fides Christiana voces quasdam habet, quibus vtatur vt suis. Quo modo in materia Eucharistica vocem transsubstantiationis introduxit Ecclesia. *Verbum Consubstantialis* (ait Ambrosius lib.3.de fide, cap.7.) *in tractatu fidei posuerunt Patres, quòd viderunt aduersariis esse formidini; vt tanquam euaginato gladio nefanda caput hæreseos amputarent.* Et Liberius Papa epist.11.ad Orient. *Nicana fides,* inquit, *nomine Consubstantialis comprehensa, tanquam propugnaculum firmum omnes impetus, & machinas Arij retundit & reprimit.*

6. Fuit verò ea vox vsurpata etiam ante Concilium Nicænum, vt probat Athanasius lib. de Decretis Nicænæ fidei, & fatetur Eusebius Cæsariensis, (licèt ipse Arianus) apud Theodoretum *lib.* 1. *cap.*8.& 12.& apud Athanasium *ep.ad Africanos.* Nec verum est illam vocem quoad significatum alienam esse à Scripturis sacris. Quid enim aliud sonat, *Et hi tres vnum sunt.* Et, *Ego & Pater vnum sumus?* &c. Falsum denique est Constantinum illam vocem non admisisse cognitâ definitione Concilij Nicæni, vt habet Marianus Victor: quamquam antea studio componendi turbas, deceptus mendaciis Arianorum, eam velut parui momenti tacendam esse suadeset, vt constat ex eius ad Alexandrum & Arium epistola.

Probatur speciatim Filium eâdem esse Deum diuinitate, quâ Patrem.

7. Licèt qui in hoc sunt hæreseos genere, vt veram Filio Spirituique sancto diuinitatem abrogent, noua iam refutatione non indigeant; locus enim ille totus in secundi libri 6.7. & 8.capite iam perpurgatus est; & ex iis quæ ibi disputata sunt, orthodoxæ fidei sancita quoad hoc sufficienter manet authoritas: tamen illam ipsam, vtpote tanti momenti, veritatem non abs re fuerit in animis Fidelium magis ac magis defigere, ostendendo in secunda, tertiaque sigillatim persona eamdem numero locum habere diuinitatem, quam primæ Personæ, seu Deo Israëlis nemo est qui non tribuat. Eam veritatem in Filio asserit eleganter Hilarius *lib.* 7. his verbis: *Vnus ex vno est, quia neque vnus vni aliud per generationem quàm quod suum est, dedit; neque vnus ab vno aliud per natiuitatem obtinet, quàm vnius.* Accedit euidens authoritas Scripturæ, conferendo quædam veteri Testamẽti loca, cum aliis testamenti noui locis: Certum enim est, illum fuisse verum Deum, qui dicebat Exodi 20. *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti.* Et de quo dicitur Deuteron. 12. *Dominus dux eius fuit, & non erat cum eo Deus alienus.* Atqui ille idem erat cum secunda persona, quæ fuit incarnata, vt patet ex his in epistola Iudæ verbis: *Iesus populum de terra Ægypti saluans,* &c. necnon ex 1.Cor.10. *Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentauerunt.* Prætereà nemo negat, quin Isaias *c.*6. illis verbis, *Vidi Dominum,* &c. loquatur de Deo vero & Israëlitico, de quo subiungit: *Et dixit Dominus ad me, dic populo huic; Excæca oculos ip-*

Ioan. 17 *solus verus Deus*: & 1. Timoth. *Solus potens Rex Regum, & Dominus dominantium*. Illud enim nomen, *solus*, non cadit in personam nisi qua Deum.

4. Explicatur magis. Nam cùm per hunc modum non multiplicentur essentiæ, sed eadem numero essentia sit tùm in producente, tùm in producto, necessarium est vt si ipsum producens sit ens à se, & quod habeat essentiam quæ non sit ab alia essentia, id quod productum est sit ens à se nullamque aliam supponens essentiam à qua sit. Non ergo, si benè termini explicentur, hæc duo pugnant inter se contradictoriè, esse ab alio, & esse ens à se. Quare personæ productæ sunt ens à se, quatenus essentiam habent improductam; & non sunt ab alio qui sit alius Deus, seu aliud, ipsæque verè sunt ille Deus, qui est à se. Sunt tamen his non obstantibus verè ab alio, qui sit alius personaliter; & ab hoc habent cùm distinctam personalitatem productam, tùm indistinctam essentiam communicatam. Instabis. Si secunda & tertia persona essentiam habent communicatam. Ergo non habent essentiam à se. Respondeo distinguendo: Ipsæ personæ essentiam non habent à se, concedo; non habent essentiam quæ ipsa existat à se, & ipsas personas constituat verè Deum, & ens à se, nego. Porrò quod modo explicato productum est, ab alio, qui sit idem essentialiter, non comparatur ad suum principium quasi ad veram causam; nec dici potest esse factum, vt habetur in symbolo Athanasij. Quare nec propriè dicitur dependere. Non enim propriè id dependentiam habet, cuius esse est independens, & nullo modo productum. Sed nec est in personis productis dependentia propter personalitatem productam; hæc enim personalitas licet producatur, non tamen à suo principio producente dependet, cùm identificetur cum essentia quæ est, vt diximus, independens.

5. Quod tandem in obiectione addebatur pro confirmatione, omne quod productum est, vel ex nihilo esse per creationem, vel ex aliquo per aliquod genus compositionis, soluitur ex dictis. Nam cùm per productionem diuinarum personarum communicetur illis eadem essentia quæ est in producente necesse est vt ipsæ non sint ex nihilo, sed ex essentia, seu ex substantia producentis. Et ita communiter Sancti dicunt *Filium esse ex substantia Patris*. Quam substantiam Concilium Hispalense, & Fulgentius ad obiectiones Arianorum intelligunt nomine vteri. Psal. 109. *Ex vtero ante Luciferum genui te*. Licèt autem personæ productæ dicantur esse ex aliquo, nempe ex substantia sui principij, non propterea contrahunt imperfectionem compositionis. Nam substantia, quæ velut præsupponitur, & ea res relatiua, quæ per productionem existit, non se habent vt potentia & actus, nec vt duæ partes, & in re ipsà sunt aliquid indistinctum ac simplicissimum.

6. Obiicitur secundò, Patrem vocari Ioan. 17. *solum verum Deum*: & 1. Timot. 6. *solum potentem, Regem regum, & Dominum dominantium*. Respondeo nomen illud, *solus*, in iis locis coniungendum esse, non cum subiecto; quasi dicatur solus Pater esse verus Deus, potens, &c. sed cum prædicato; quasi nempe dicatur Pater esse Deus ille, qui est solus Deus & potens; qui est solus Rex Regum, &c. Qui Deus solus potens, &c. Filio perinde & Spiritui sancto communis est. Nam Pater, Filius & Spiritus sanctus est vnus solus

Deus, potens, &c. In eodem sensu Ecclesia canit Christo: *Tu solus sanctus, tu solus Dominus, tu solus altissimus.* Quo sensu nimirum non aliæ personæ Trinitatis, sed illa omnia, quæ non sunt ille Deus, ille potens, ille altissimus, excluduntur à participatione Deitatis, potentiæ, altitudinis supremæ, &c. Eodem recidit quod ait D. Thomas *q.31. art.4.* in prædictis locutionibus per nomen, *solus*, non excludi aliũ, sed excludi aliud, hoc est, non excludi id quod salua identitate essentiæ est alia persona; sed tantùm id quod cum distinctione suppositi habet & diuersitatem essentiæ. Addit tamen sanctus Doctor vitandas nobis esse tales locutiones, quia vox exclusiua, *solus*, in rigore videtur magis excludere suppositum, quàm naturam.

7. Obiici tertiò possunt alia quædam ex Scriptura, quæ Filium, & Spiritum sanctum videantur indicare in ordine esse creaturarum. Ea confertim hîc proponemus breuitatis causâ, & quia similitudinem habent, eodemque ferè modo soluuntur. Primò Pater dicitur esse maior Filio, *Ioan.* 14. Secundò Filius dicitur esse obediens & subditus Patri, mitti à Patre, didicisse à Patre, & similia, quæ passim occurrunt in nouo Testamento. Tertiò dicitur eadem secunda persona creari, Prouerb. 8. *Dominus creauit me.* Eccles. 24. *Qui creauit me requieuit in tabernaculo meo. Ab initio & ante sæcula creata sum.* Et ideò Paulus *ad Coloss.* 1. vocat *Filium, qui est imago Dei inuisibilis, primogenitum omnis creaturæ; quoniam in ipso condita sunt vniuersa in cælis*, &c. Quartò Filius seu Verbum est instrumentum Patris. Et propterea non tam ipsum dicitur creare, quàm Pater per ipsum, *Ioan.* 1. *ad Hebræos* 1. *ad Coloss.* 1. 1. *ad Corinth.* 8. &c. Quintò Spiritum sanctum item esse creaturam videtur colligi ex eo quòd dicantur *Ioan.* 1. omnia per Verbum facta esse; nam si omnia, ergo & Spiritus sanctus. Colligitur etiam ex illo ad Rom. 8. *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Sextò denique quòd Pater sit absolutè duæ personæ non nisi per quamdam participationem & æquiuocè, suadetur ex eo quòd cùm Pater vocatur in Scriptura Deus, addi soleat Græcè articulus, ὁ, habens quamdam denotandi emphasim; qui dimittitur cùm hoc nomen, *Deus*, aliis accommodatur.

8. Respondeo breuiter, ad primum quidem, id intelligendum esse de Filio vt homine. Loquebatur enim Christus de se vt ad cælos secundùm humanitatem ascensuro (nec enim ascendere poterat Diuinitas) cùm dixit, *Pater maior me est.* Quod si aliqui Patres id adaptarunt Christo secundùm diuinitatem, recedentes à sensu litterali, quod fecerunt plures Græci, Athanasius, Basilius, Nazianzenus, &c. & ex Latinis Hilarius; noluerunt derogare identitati, & omnimodæ æqualitati naturæ, sed personas considerarunt secundùm solas proprietates, secundùm quas Pater habet prioritatem principij, seu originis authoritatem, & eatenùs sic dici potest maior. *Ita tamen vt in natura*, inquit Hilarius, *nullo modo Filius sit minor.* Et in Trinitate (vt habet in suo Symbolo Athanasius) *nihil sit maius, aut minus, sed totæ tres personæ sibi sint coæquales.* Sed de hac re agemus nos suo loco, & ostendemus ne quidem secundùm proprietatem personalem dici posse verè maiorem Patrem, nec in diuinis beatius esse dare, quàm accipere. Ad secundum dico Christum esse obedientem & subditum Patri quà hominem. Quomodo etiam dicitur mitti

& didicisse à Patre; quamquam non repugnet eum mitti quà Deum, Personæ enim producẽtes id authoritatis consequenter ad suam productionem habẽt, vt personas productas dicantur mittere: nõ repugnat item quin Filius dicatur vi suæ originis æternæ didicisse omnia à Patre; cùm enim omnia à Patre accipiat, accipit & scientiam (quod est discere, doceri, audire) idque formalissimè de Filio enunciatur, cùm producat vi intellectus, & vt Sapiẽtia.

9. Ad tertium respondeo loca illa vbi sapientia dicitur creari, intelligenda esse propriè de Sapientia vt incarnata; nam fuit verè creatus Christus secundùm humanitatem; & ordine nobilitatis atque intentionis præcedit eius creatio omnes creaturas, quarum ideò vocatur primogenitus. Putant etiam aliqui sapientiam vt æterna est, dici creatam, non provt creatio dicit dependentiam, existentiam ex nihilo, & similes imperfectiones, sed provt dicit meram productionem abstrahentem à mutatione, inceptione, corruptione, &c. quæ reperiuntur in creaturarum generationibus. Vt ergo generatio illa diuina nobilior & altior esse quàm sint aliæ generationes significetur, potiùs creatio quàm generatio in prædictis locis vocari potuit. Ad quartum nego Verbum esse instrumentum Patris ad creandum. Id quidem Ariani dicebant, sed sine fundamento. Nam cùm ait Scriptura per Verbum omnia facta esse, per Filium creata esse sæcula, &c. particula, *per*, non negat habitudinem causæ principalis. Sic enim dicimus artificem operari per ideam suam, per artem, per sapientiam, per voluntatem; quod nullo modo denotat instrumentum. Est autem Filius æternus, idea, ars, & sapientia Patris per appropriationem. Quare & per eamdem appropriationem dicitur Pater per illum operari. Ratio etiam huius locutionis esse potest, quia Filius non operatur, nisi per omnipotentiam, quam accipit à Patre: quando ergo operatur Filius; dici aliquo modo potest Pater operari per Filium, quatenus in Filio consideratur operari illa omnipotentia, quæ originaliter ad Patrem pertinet: sed hoc non impedit quin verè per se & vt causa principalis Filius dicatur operari, creare, &c.

10. Ad quintum facta sunt per Verbum omnia, non quidem absolutè, sed omnia quæ facta sunt; nam ea quæ facta non sunt (vt Pater, Spiritus sanctus, & vt expendit Augustinus, ipsum Verbum) non possunt esse producta per Verbum. Idque ex ipso textu Ioannis intelligi potest; continenter enim additur, *Et sine ipso factum est nihil quod factum est* (sic enim Græci, & multi Latini interpungunt) vt significetur ab eo facta esse, non omnia simpliciter, sed omnia quæ facta sunt. Non vult Paulus Spiritum sanctum, vtpotè saltem beatum, gemere, & fundere fletus inenarrabiles: vult ergo ipsum infundere nobis Spiritum compunctionis & orationis, nosque motos ab ipso gemere & postulare; quæ actio gemendi & postulandi imputatur Spiritui sancto, quia ipse illius author & impulsor est. Negat Chrysostomus ibi sermonem esse de persona Spiritus sancti, sed tantùm de creato illo compunctionis & orationis, quem persona Spiritus sancti nobis infundit, & qui in nobis gemit & postulat, hoc est gemitus orationemq; elicit. Ad sextũ, quod ex origine desumptum est, dico falsum esse quod Pater vocatur Deus semper cum articulo & Filius semper absque articulo. Quamuis enim illud aliquan-

do ita sit, vt (*Ioannis* 1. ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεὸν (cum articulo) καὶ θεὸς (sine articulo) ἦν ὁ λόγος; tamen etiam aliàs aliter res habet, vt notauit Chrysostomus *homil.* 3. & 5. *in Ioannem*. Nam in eodem 1. cap. Ioannis de Patre est sermo cùm dicitur sine articulo, ἄνθρωπος ἀπεσταλμένος παρὰ θεοῦ: & inferiùs, θεὸν οὐδεὶς ἑώρακε πώποτε. Et in 1. Ioannis 5. de Filio dicitur cum articulo οὗτός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς θεός. Et *ad Timoth.* 2. ἐπιφάνειαν τῆς δόξης τοῦ μεγάλου θεοῦ, καὶ σωτῆρος Ἰησοῦ.

11. Obiicitur quartò. Si trium personarum quælibet habens proprietatem, qua ab aliis diuinis realiter distinguatur, habeat item diuinitatem communem qua non distinguatur realiter, sequitur esse in qualibet earum compositionem realem, hoc est vnionem duorum distinctorum. Non enim potest essentia diuina, si in ea omnes personæ vnum sunt, non distingui realiter à proprietatibus, in quibus personæ sunt verè & realiter plures. Alioqui per vnum & idem distinguerentur realiter, & simul identificarentur. Sicque oporteret vnum & idem esse vnicuique personæ ita proprium, vt in aliis non esset; ac simul ita esse commune, vt in omnibus personis esset. Confirmatur. Nam de vno & eodem contradictoria prædicari non possunt quasi realiter illi conuenientia. Atqui de diuinitate & personis non tantùm ea quæ iam dixi, sed & alia multa contradictoria enunciari possunt: nam paternitas generat realiter, & essentia diuina non generat; filiatio vnitur immediatè humanitati realiter, non autem essentia diuina, &c.

12. Respondeo. Propter hanc difficultatem, quæ magna est, Durandus non dubitauit concedere distinctionem aliquam verè realem & independentem ab omni operatione mentis inter diuinitatem & quamlibet personalitatem, tanquam inter rem & ipsius modum. Negat verò talem realem distinctionem sufficientem esse vt fiat vera & propria compositio, vultque ad compositionem propriam requiri vt extrema non comparentur inuicem tanquam res & modus, sed quasi res & res. Cum Durando sensisse existimatur Scotus, quamquam cautiùs locutus sit; non enim vocauit distinctionem realem, sed tantùm ex natura rei, vel formalem, aut etiam virtualem; nec comparauit personalitatem & essentiam quasi modum & rem, aut quasi duo quædam entia, sed quasi duas formalitates ante opus mentis distinctas. Verumtamen recedendum est ab illorum authorum doctrina, vtpote aduersante diuinæ simplicitati, quæ certè destruitur si essentia & personalitates inter se distinguntur; atque duo realiter distincta posse aliquando vniri sine vera compositione, voluntarium est & falsum. Nec potest negari longè maiorem intelligi simplicitatem realem, si extrema nullo modo ante opus mentis distinguantur. Est autem in Deo perfectissima, & quanta intelligi potest simplicitas realis, vt habetur ex cap. *firmiter*. Eleganter Bernardus lib. 5. de consideratione, cap. 7. *Nisi vnum omninò in Deo & cum Deo consideres, habebis multiplicem Deum, mihi verò non deest quid cogitem melius einsmodi Deo tuo. Quæris quid? Mera simplicitas.* Vnde & ait Deum esse *Vnissimum*. Quo modo Dionysius eundem vocat ὑπερηνωμένην ἀδιαίρετον (?). Præterea ex doctrina orthodoxa Pater dicitur non tantùm Deus, sed & ipsa Deitas realiter. At iuxta istos Doctores id admitti non potest, cùm Pater præter diuinitatem contineat

neat realiter aliud, & numquam pars ſit totum.

13. Ad obiectionem ergo propoſitam dicendum eſt perſonalitates diuinas, & eſſentiam non habere vllam actualem & formalem diſtinctionem à parte rei: at verò habere virtualem realem; non tamen eo modo, quo Dei intellectus & voluntas dicuntur diſtingui virtualiter, quoniam actus habent diuerſos, & æquiualent duabus cauſis realiter diſtinctis; ſed alio quodam inſuper modo peculiari, qui conſiſtit in eo, quòd eſſentia & perſonalitas poſſint ab inuicem quaſi ſeparari realiter. Nulla enim eſt perſonalitas, quæ diuinitatem in omnibus perſonis comitetur. Hæc porrò diſtinctio virtualis realis impedit contradictiones quas obiectio proponit. Nec enim implicat omnes perſonas eſſe vnum in ea re, quæ eſt eſſentia ſeu quid abſolutum; & eadem ipſâ re, quatenus eſt quid relatiuum, eſſe verè ac realiter plures; quandoquidem ea ipſa res vt eſt quid abſolutum, & vt eſt quid relatiuum diſtinctionem habet virtualem prædictam. Vnde fit vt poſſit & eſſe quid in tribus velut commune, & non eſſe in tribus, vtpote vnius proprium; item vt generet, & non generet; vniatur hypoſtaticè & non vniatur hypoſtaticè. Sanè ſi diuina eſſentia, & ſingulæ perſonalitates ſpectentur prout in ſeipſis ſunt, nulla eſt contradictio. Nam licèt vna & eadem realitas communis ſit, & non communis, generans & non generans, &c. id tamen non habet reſpectu eiuſdem rationis ſeu formalitatis, quæ ſit omnimodè & virtualiter vnica. Quare concedendum eſt non eſſe de ratione rei relatiuæ, generantis, vnitæ hypoſtaticè, &c. vt ſecundùm nullam rationem à parte rei ſit abſoluta, non generans, non vnita, &c. ſed ſolùm vt non ſit abſoluta ſub ratione relatiuæ, vt non ſit non generans ſecundùm rationem quæ generat, &c. Et quamuis illæ rationes non ſint in re formaliter & actu diuerſæ, ita tamen ſe habent ac ſi actu diuerſæ eſſent. Sunt enim quidem vna res ſimplex, ſed tam ampla & tam perfecta vt æquiualeat pluribus actu diſtinctis.

14. Ex illa porrò amplitudine & perfectione talis ſimplicis rei, & ex virtuali diſtinctione iam explicata, quæ conſideratur ex parte rei, oritur ex parte intellectus noſtri diſtinctio quædam rationis ratiocinatæ inter illa, quæ vt virtualiter diſtincta, continentur intra rei illius perfectæ, ac amplæ ſimplicitatem. Cognitio enim noſtra propter ſuam limitationem, ea quæ inuenit virtualiter diſtingui, & ita re ſe habere ac ſi diſtincta forent, diſtinguit de facto, hoc eſt ita cogitat vt de facto ipſa ſe habent; ſe habent enim ita in ſeipſis ac ſi de facto diſtinguerentur. Hæc porrò diſtinctio rationis ratiocinatæ adeo certa ac per ſe nota eſt, vt nemo niſi cæcus eam negare poſſit. Atque eadem Concilia, iidemque Patres, qui in hoc myſterio negant realem, ponunt rationis diſtinctionem ſub his ipſis terminis. Eam item aliquando vocant diſtinctionem ſecundùm conſiderationem vel intellectum. Et in præſenti quidem materia, quam tractamus, comparando eſſentiam diuinam cum perſonalitatibus, eſt omninò neceſſaria rationis ea diſtinctio; adeò vt cùm in omnibus aliis rebus illam recuſarent ſuo more præcipui Nominales, expedire ſe non potuerint hìc iuxta ſua principia, & in Scoti diſtinctionem ex natura rei coacti ſint impingere; non enim putarunt, ſi conceptuum obiectiuorum omnimodam confuſionem & iedentitatem

pergerent etiam hic defendere, se posse cum fide catholica in hoc mysterio conuenire.

CAPVT VI.

Non dari inter diuinam essentiam & proprietates personales formalem à parte rei, qualem vult Scotus, distinctionem.

1. PRopter difficultatem in superiori capite *num.* 11. propositam Scotus concessit *in* 1. *dist.* 8. *q.* 4. essentiam diuinam à personalitatibus aliquo modo distingui realiter ante omnem mentis operationem, nec posse cum earum singulis esse quid simplicissimè vnum; cùm hæ realiter inter se distinguantur. Ea verò subtilis huius Authoris Philosophandi ratio in distinguendis à parte rei diuinarum perfectionum formalitatibus, latiùs pertinet; atque ad ipsa etiam absoluta attributa, qualia sunt Misericordia, Iustitia, &c. extenditur. Vult autem illa differre non vt res seu entitates, sed solùm habere diuersas rationes formales, siue definitiones, quæ existant à parte rei. Nam cùm habeat iustitia secundùm se; & abstractissimè sumpta definitionem quæ non competit misericordiæ abstractissimè sumptæ, necessarium est, vt iustitia talis in Deo differat à misericordia tali. Illa enim vbicumque contrahantur, vehunt secum ac retinent suas genericas definitiones. Præterea cum negamus vnum attributum de alio, v. c. intellectum de voluntate, misericordiam de iustitia; aut cùm de vno asserimus, quod de alio negamus; putà generationem de intellectu, spirationem de voluntate, non mentimur; mentiremur autem nisi ante mentis operationem vnum differret ab alio: affirmatio enim vel negatio non est vera, quia à nobis concipitur, vel profertur; sed è contrà, quia in se vera est, ideò profertur. Confirmatur. Nam Deus videt se per intellectum generare, & per voluntatem non generare, sed spirare.

2. Hæc ratiocinatio Scoti conuincit quidem virtualem quamdam inter attributa nonnulla distinctionem, quæ sit à parte rei, & ante omnem præscindentis mentis operationem. Et cùm nihil concludat ampliùs, propterea non defuere qui existimarint Scotum haud aliud per formalem illam suam distinctionem realem intellexisse, quàm quod nos per virtualem realem, quæ sine dubio admittenda est, atque ita illius doctrinam in bonum trahere sensum conati sint. Sed hoc illorum beneficium recusat, tùm ipse aliquibus locis Scotus adstruens (si attentè legatur *quæst. illa* 4. & *quodlib.* 5. & 2.) plusquam virtualem aliquam in Deo distinctionem. Quòd si aliquando vocet virtualem, non id ita intelligit quasi virtute solùm, & non actu sit distinctio, sed quod in actuali distinctione formalitates per eam distinctæ præstent idem, quod præstarent distinctæ realitates. Tùm vniuersa iam illius, vt puto, Schola; quæ apertè distinctionem in Deo plusquam virtualem, & aliquam quæ verè ac formaliter in re existat, defendere videtur.

3. Cùm autem illis tanquam certum & euidens opponitur per hanc distinctionem quæ sit plusquam virtualis, destrui simplicitatem Dei, contra Lateranensis Concilij definitionem cap. *firmiter.* Respondent simplicitatem non tolli per compositionem siue vnionem meram formalitatum

tum

rum, quæ non iunguntur quasi res cum re, sed in vnam summam & simplicem realitatem identificantur. Est enim impossibile vt id, in quo vnica res summam identitatem realitatis & entitatis habens reperitur, sit composita realitas: quandoquidem compositio realitatis seu entitatis dicit pluralitatem realitatum seu entitatum. Superest ergo in præsenti compositio solarum rationum ac formalitatum, quæ non est absurda. Vt enim Deus per simplicitatem realitatum multitudinem excludit; sic propter perfectionem includit multitudinem rationum infinitam; & vulgo Theologi concedunt Deum quàm simplex est entitatiuè, tam esse ratione seu formalitate compositum; ratione, inquam, obiectiua. Iam verò quod illa ratio obiectiua, quæ multiplex esse conceditur, dicatur à Scoto multiplicitatem habere ante operationem mentis, parùm videtur referre ad simplicitatem realem, cùm talis multiplicitas ex eo quod ante operationem mentis, ponatur, non mutet naturam formalitatum, nec eas transire faciat in entitates diuersas.

5. Sed primò ad has pro Scoti sententia rationes responderi sufficienter potest per ea quæ diximus *num.* 12. & 13. superioris capitis. Licèt enim entitatiua aliqua simplicitas concipi posse videatur in illa Scoti doctrina; non potest tamen omnimoda realis, qualem nempe definiit Eugenius tertius in Concilio Rhemensi, contra Gilbertum. Qui profecto Gilbertus non maiorem se velle significauit distinctionem inter Deum & personalitates, quàm eam quæ à Scoto inter attributa omnia introducitur. Solùm enim eam defendebat quæ satis esset ad has propositiones: Personalitas ex natura rei non est essentia; Deus personaliter sumptus non est sapientia, sed sapiens, &c. ad quas propositiones omninò sufficit distinctio ista formalitatum, quam Scotistæ defendunt. Et in sua schola si consequenter loqui velint, debent prædictas propositiones admittere; quas tamen Ecclesia condemnat. Imò multò plures coguntur admittere, quas Gilbertus reiecisset, nempe has: Deus essentialiter sumptus non est sapientia, sed sapiens per sapientiam ab ipso ante opus mentis distinctam; & alias similes nullo modo orthodoxas in fide.

5. Verumtamen secundò addo, falsum id videri quod Doctores iactant, se non distinguere in personalitate & essentia diuina entitatem. Aduerto enim distinctionem hanc Scoticam, si res ad viuum resecetur, non posse existere in solis formalitatibus, & rationibus obiectiuis. Nam Scotus vel nihil dicit in suæ opinionis probationem; vel omninò probat distinctionem quæ pertineat ad ipsas entitates seu realitates. Vt meliùs res hæc deprehendatur, comparo essentiam diuinam cum paternitate; & ostendo non posse illam ab ista distingui à parte rei, quin ambæ distinguantur entitatiuè ac tanquam duæ realitates, ac per consequens non posse in illis admitti vllam à parte rei formalem Scoticamque distinctionem. Vnde conficitur à fortiori nec talem distinctionem reperiri posse in essentiæ attributis comparatis in terse; non enim hæc magis à se inuicem distingui possunt, quàm personalitates ab essentia. Sic igitur argumentor. Propterea Scotus asserit essentiam & paternitatem distingui ex natura rei, quia verè à parte rei, & ante omnem nostram considerationem essentia communicatur Filio, & paternitas non

communi

communicatur Filio. Vult ergo ita distingui essentiam & paternitatem inter se à parte rei, quemadmodum illis à parte rei competit vt vna communicetur, & altera non communicetur. Atqui, inquam ego, id eis competit à parte rei, non tantùm secundum formalitatem aut rationem, quæ abstrahat ab entitate, sed secundùm veram entitatem & realitatem. Nam à parte rei communicatur vera realitas & vera entitas essentiæ diuinæ. Alioqui enim Filius non esset verus Deus entitatiuè; & è contra paternitatis realitas, ac verissima quædam entitas est Filio incommunicabilis, eique opponitur: nec Filius propter aliud diuersus est realiter à Patre, quàm quia paternitas veram aliquam realitatem habet, qua & Pater constituitur, & ipse Filius caret: nisi quis Patrem velit à Filio realiter differre per nihil, hoc est per formalitatem quæ relatiuè se habens ad filiationem, & vt ab hac realiter distincta nullam habeat nisi eamdem cum ea entitatem, sitque (quatenus distincta) nihil. Ergo si propter illam quasi separationem, per quam ante omnem nostrã considerationem essentia transit ad Filium sine paternitate, distinctio quædam plusquam virtualis à parte rei adstrui posset, deberet talis distinctio adstrui inter veram ipsam realitatem entitatémque paternitatis, & realitatem entitatemque naturæ, seu essentiæ.

6. Quod si fatetur Scotus non esse in paternitate filiationeque vllam entitatis distinctionem, parum iuuatur in explicanda huius incomprehensibilitate mysterij per distinctionem formalitatum. Non enim solius formalitatis, sed realitatis ipsius ac plenæ entitatis diuinæ est vera simul partim incommunicabilitas in paternitate, partim communicatio actualis in essentia. Et sanè, si res benè perpendatur, hæ duæ formalitates, quas vult Scotus à parte rei distingui, includunt, prout inuicem distinctæ, ipsam diuinam realitatem. Quare illo modo quo distinguuntur, realitatem distingunt ac diuidunt. Nec ego, quamuis ponantur formalitates diuersæ ex natura rei, commodiùs intelligo posse realitatem vnam simplicissimam, & summè in se indiuisam communicari, & non communicari, atque quodammodo diuidi entitatiuè, quàm si ponantur formalitates diuersæ tantùm per mentem. Quomodo enim iuuatur realitatis simplicitas per talem formalitatum distinctionem? & quid per eam accipit quod non habeat per distinctionem & multiplicitatem quæ solùm virtualis sit? Imò non obstante formalitatum distinctione debet Scotus fateri ipsam realitatem, quæ est entitatiuè paternitas & essentia, habere secundùm se virtualem distinctionem entitatiuam, ratione cuius & communicetur, & maneat incommunicata. Atque sicut absque huiusmodi virtuali distinctione non posset intelligi realitas vlla esse simul communicabilis & incommunicabilis; ita sola illà distinctione positâ, intelligi potest talis. Nobiscum quoad indistinctionem realem attributorum diuinorum sentiunt omnes Theologi præter Scotum eiusque discipulos. Et quamuis Durandus atque aliqui Nominales, vt Okam, Marsilius, Gabriel, &c. distinctionem ante opus mentis reperiri velint essentiam inter & personalitates, eam tamen negant attributis inter se comparatis. Imò cætera Nominalium turba in ipsa etiam Trinitate seu in personalitatibus cum natura diuina comparatis nullam ne quidem rationum obiectiuarum distinctionem

diſtinctionem quæ per mentis opus fiat,agnoſcunt; atque ad obiectionem ſuperiori capite, *num.* 11. propoſitam, reſpondent, nullam eſſe compoſitionem in perſonis diuinis, nullamque perſonalitatum cum natura vnionem; cùm ne quidem per mentem natura poſſit à perſonalitate diſtingui. Quorum Nominalium doctrinam ſequenti capite refellemus.

7. Ad fundamenta Scoti, quæ *n.*1. allata ſunt, dicendum eſt, attributa diuina, provt ſunt à parte rei, non habere diuerſas definitiones; imò nec (ſi de abſolutis loquimur) eſſe attributa reſpectu eſſentiæ, neque eſſe inter ſe plura; ſed vnam ſimplicem entitatem, quæ deberet vna ſimplici definitione explicari, ſi fieri poſſet. Quia nos tamen non poſſumus tantam perfectionis gloriam vno conceptu definitioneque comprehendere, propterea cogimur plures illius habere partiales conceptus, ac multiplicare definitiones: humanarum,inquam, cogitationum anguſtiæ cogunt nos velut amputare tanti obiecti, vt ita dixerim, molem, quæ ab eo ἀθρόως, ac tota ſimul & integra in humanam mentem ingeri non poſſet; vnde quod à nobis cogitatur, putari latinè dicitur, ac velut concidi, ſicut & νομίζεσθαι græcè, παρὰ τὸ νέμειν. Ita eos videmus, qui pullum aliquem farciunt, offæ maſſam, cùm maior eſt, quàm pro oris anguſtiis, in turundulas diuidere. Falſum verò eſt vllam in rerum natura abſtractam, & ab aliis attributis per ſe diuiſam dari à parte rei iuſtitiam vel miſericordiam. Reperitur enim ſolùm in noſtris mentibus ſic putata, obiectiuéque diuiſa per denominationem quæ illi eſt extrinſeca, & ſolùm eatenùs definitionem habet. Cùm porrò iuſtitia præcisè concipitur, abſtrahit quidem à miſericordia, & ex vi illius conceptus non requirit à parte rei confuſionem, ſeu identitatem cum miſericordia; verumtamen non eam negat aut excludit.

8. Atque hinc vides contra ſecundum Scoti fundamentum, quando iuſtitia de miſericordia negatur, eam negationem fieri provt vtraque ſubiacet conceptui noſtro, & abſtractioni; ſecundùm quem ſtatum iuſtitia non includit miſericordiam, cùm ab ea ſit abſtracta. Vbi aduerte, cùm dicimus, *Iuſtitia Dei non eſt miſericordia*; ſenſum eſſe, non quòd iuſtitia neget poſitiuè miſericordiam, aut poſtulet eius excluſionem; ſed quòd iuſtitia, provt à nobis concipitur, non dicat miſericordiam, aut huius poſtulet incluſionem. Quare falluntur illi qui dicunt nos, quando vnum attributum de alio negamus, propterea non mentiri, quòd à parte rei ſupponatur vnum attributum excludere aliud; non, inquam, ita. Nam ad prædicationum formalium veritatem ſatis eſt quod extrema ſumantur provt ſubiacent conceptibus noſtris. Secundùm quem ſtatum poteſt bellè vnum de alio negari per negationem, quæ importet non quidem realem excluſionem, ſed abſtractionem, ſeu non incluſionem. Difficilius eſt quod in Deo non ſolùm vnum attributum modo dicto, vt ſubiacet conceptui noſtro, negetur de aliis; ſed quod verè à parte rei vnum attributum, putà intellectus, generet & non ſpiret; alterum autem, putà voluntas, ſpiret, non generet; idque Deus ipſe ita videat. Atque idem apparentiùs adhuc vrget in proprietatibus perſonalibus reſpectu eſſentiæ (qua de re propriè eſt hoc loco diſputatio:) nam paternitas à parte rei non eſt in Filio, ſed

ei opponitur; cùm tamen essentia in ipso sit. Sed ad hoc satis est, vt suprà dictum sæpiùs fuit, dari virtualem distinctionem realem, quam Deus in seipso videat.

CAPVT VII.

Dari inter diuinam essentiam & personales proprietates obiectiuam, qualem Nominales negant, distinctionem, quæ à parte rei sit virtualis; in mente nostra formalis.

QVamuis Okamus *in* 1. *sentent. dist.*2. *q.*1. & Gabriel ibidem *art.*1. (conuicti illa quorumdam obiectione, quæ superiùs est à nobis proposita *cap.*6. *num.* 11.) fateantur in qualibet persona diuina talem esse, qualem Scotus intendit, compositionem ex natura & personalitate; nihilominus alij non pauci reperiuntur Nominales, qui non modò falsam esse putent prædictam Scoti doctrinam, sed etiam absolutè defendant, nec in ipso Trinitatis mysterio admittendas esse distinctas vllas per mentem formalitates, seu conceptus obiectiuos. Quare in solis conceptibus formalibus diuersitatem agnoscunt.

Proponuntur argumenta Nominalium contra diuersitatem obiectiuorum conceptuum.

1. Inter illos est Aureolus, qui in primum *dist.*1. *art.*2. affirmat impossibile esse, diuinam essentiam concipi seorsim à personalitatibus; eamque impossibilitatem oriri ait, quòd nec essentia, nec personalitas habeant suam propriam quælibet vnitatem, sed ambæ fundent eamdem penitùs vnitatem, & secundùm rem, & secundùm intellectum. Id verò probat, quoniam alioqui concedendum esset id quod illa obiectio à me superiùs allata intendit, nempe constitui ex essentia & personalitate compositum. At persona diuina non est composita, cùm ex capite *Firmiter*, & ex Fide Catholica Deus sit omninò simplex; persona autem Deus sit. Asseritque illum, qui postquam concepit essentiam, concipit deinde paternitatem, nihil addere ad id quod priùs concepit. Aut enim adderet rem, aut solam absque realitate formalitatem inexistentem ex natura rei, aut ratione fabricatam per intellectum. *Sed constat*, inquit, *quod addendo paternitatem supra essentiam, non addit rem; id enim esset contra Concilium: nec etiam addit solam formalitatem sine realitate; sic enim Pater non esset pater realis, cùm per essentiam non sit pater, sed per paternitatem: nec denique addit solam rationem fabricatam per intellectum; quia sic non esset nisi pater rationis, & locum haberet error Sabellij.* Hic est discursus Aureoli. Eadem est sententia Guillelmi de Rubione *circa dist.*5. *libri primi.* Eadem & Adami Goddam *in* 1. *dist.* 35. *quæst.*2. *conclus.*3. vbi sic habet: *Essentia & proprietas non sunt in eadem persona distincta formalitates rei; ita nimirum, quod sint vna res, non tamen eadem formalitas, sed multa formalitates. Et tandem addit: Concedo igitur absque hæsitatione, quod essentia & proprietas personalis Patris, non plus sunt formalitates inter se distincta, quàm distincta res.* Idem sentit Ioannes Maior, qui Adami studiosus illum edi in lucem procurauit.

2. Vt plures alios Nominales omittam, prædictæ eorum doctrinæ subscribit inter nostræ Societatis Authores Petrus Hurtadus de Mendoza *in Metaphys. disput. de distinctione, sect.*4. qui probare conatur nullum sumi posse argumentum contra illam Nominalium doctrinam ex mysterio Trinitatis; quandoquidem totum id mysterium bellè concipitur atque defenditur absque formalitatibus & rationibus obiectiuis, quales nos volumus. Nam formalitatum illarum pluralitas non est in obiecto (inquit) ante actualem hominis cognitionem, vel saltem est in ordine ad illam: sed mysterium Trinitatis est sine ordine ad talem cognitionem: ergo mysterium Trinitatis non pendet à pluralitate formalitatum. Præterea Deus absque huiusmodi formalitatibus nouit comprehensiuè naturam esse idem cum paternitate, & filiatione; paternitatem autem & filiationem esse realiter distinctas. Ergo perfectissimè potest intelligi hoc mysterium sine distinctione rationum obiectiuarum, quæ sanè non oriuntur, nisi ex imperfectione cognitionis nostræ. Quis autem dicat veritatem Trinitatis pendere ab illa imperfectione? Confirmatur: nam sufficit vt cognoscatur multiplicitas seu distinctio quæ sit virtualis tantùm, qualis reperitur in simplici entitate personæ diuinæ. Ad hanc autem patet non requiri distinctarum illud formalitatum intellectuale ludibrium.

3. Præter hæc argumenta ex Theologiæ sacrario desumpta, afferuntur quædam alia merè philosophica, quæ latiùs pertinent; & ab omnibus rebus, quà creatis, quà increatis diuersitatem formalitatum rationumque obiectiuarum videntur amouere. Tale istud est imprimis. Cùm ex natura rei aliquid est indiuisum, & sine vlla distinctione, non potest per aliquid extrinsecum diuidi ac distingui: sed intellectio nostra obiecto suo est extrinseca: ergo quando obiectum est in se indiuisum, ac sine vlla distinctione, non potest per intellectionem nostram diuidi, seu distingui. Sunt quædam insuper argumenta, quibus aliqui Recentiores illuduntur. Ariaga *in Logica, disp.*5. fatetur ingenuè cætera omnia quæ ab Hurtado, aliisque Nominalibus afferuntur, non habere magnam vim. Et quidem iure; nihil enim valent. Quare ait hoc vnicum à se probari argumentum: *Non minùs*, inquit, *contradictoriè opponuntur cognosci & non cognosci, quàm existere & non existere, produci & non produci: atqui repugnat animalitatem hominis existere, & non eius existere rationalitatem; item produci animalitatem eiusdem & non produci rationalitatem, quamuis distinguantur virtualiter: ergo etiam repugnat cognosci animalitatem, & non cognosci rationalitatem. Eodem modo potest in diuinis formari hoc argumentum: Repugnat Patris diuinitatem existere, & non eius existere paternitatem: ergo etiam illam sine ista intelligi; cùm non minùs contradictoriè opponantur intelligi & non intelligi, quàm existere & non existere.* Ecce solum argumentum in quo tota spes Nominalium illius iudicio Authoris posita est. Putat scilicet eam entitatem, quæ sit realiter indiuisibilis, non posse duas habere formalitates separabiles in cognosci, nisi eædem sint etiam separabiles in existere. Et licèt eo solo prædictus Author, tanquam efficacissimo, fidere se dicat argumento, addit tamen & hoc secundum. Thomistæ admittunt non posse per cognitionem intuiti-

ei opponitur; cùm tamen essentia in ipso sit. Sed ad hoc satis est, vt suprà dictum sæpiùs fuit, dari virtualem distinctionem realem, quam Deus in seipso videat.

CAPVT VII.

Dari inter diuinam essentiam & personales proprietates obiectiuam; qualem Nominales negant, distinctionem, quæ à parte rei sit virtualis; in mente nostra formalis.

QVamuis Okamus *in 1. sentent. dist.2. q.1.* & Gabriel ibidem *art.1.* (conuicti illa quorumdam obiectione, quæ superiùs est à nobis proposita *cap.6. num. 11.*) fateantur in qualibet persona diuina talem esse, qualem Scotus intendit, compositionem ex natura & personalitate; nihilominus alij non pauci reperiuntur Nominales, qui non modò falsam esse putent prædictam Scoti doctrinam, sed etiam absolutè defendant, nec in ipso Trinitatis mysterio admittendas esse distinctas vllas per mentem formalitates, seu conceptus obiectiuos. Quare in solis conceptibus formalibus diuersitatem agnoscunt.

Proponuntur argumenta Nominalium contra diuersitatem obiectiuorum conceptuum.

1. Inter illos est Aureolus, qui in primum *dist.1. art.2.* affirmat impossibile esse, diuinam essentiam concipi seorsim à personalitatibus; eamque impossibilitatem oriri ait, quòd nec essentia, nec personalitas habeant suam propriam quælibet vnitatem, sed ambæ fundent eamdem penitùs vnitatem, & secundùm rem, & secundùm intellectum. Id verò probat, quoniam alioqui concedendum esset id quod illa obiectio à me superiùs allata intendit, nempe constitui ex essentia & personalitate compositum. At persona diuina non est composita, cùm ex capite *Firmiter*, & ex Fide Catholica Deus sit omninò simplex; persona autem Deus sit. Asseritque illum, qui postquam concepit essentiam, concipit deinde paternitatem, nihil addere ad id quod priùs concepit. Aut enim adderet rem, aut solam absque realitate formalitatem inexistentem ex natura rei, aut ratione fabricatam per intellectum. *Sed constat*, inquit, *quod addendo paternitatem supra essentiam, non addit rem; id enim esset contra Concilium: nec etiam addit solam formalitatem sine realitate; sic enim Pater non esset pater realis, cùm per essentiam non sit pater, sed per paternitatem: nec denique addit solam rationem fabricatam per intellectum; quia sic non esset nisi pater rationis, & locum haberet error Sabellij.* Hic est discursus Aureoli. Eadem est sententia Guillelmi de Rubione *circa dist.5. libri primi.* Eadem & Adami Goddam *in 1. dist. 35. quæst.2. conclus.3.* vbi sic habet: *Essentia & proprietas non sunt in eadem persona distincta formalitates rei; ita nimirum, quod sint vna res, non tamen eadem formalitas, sed multa formalitates. Et tandem addit: Concedo igitur absque hæsitatione, quod essentia & proprietas personalis Patris, non plus sunt formalitates inter se distincta, quàm distincta res.* Idem sentit Ioannes Maior, qui Adami studiosus illum edi in lucem procurauit.

2. Vt plures alios Nominales omittam, prædictæ eorum doctrinæ subscribit inter nostræ Societatis Authores Petrus Hurtadus de Mendoza *in Metaphys. disput. de distinctione, sect.*4. qui probare conatur nullum sumi posse argumentum contra illam Nominalium doctrinam ex mysterio Trinitatis; quandoquidem totum id mysterium bellè concipitur atque defenditur absque formalitatibus & rationibus obiectiuis, quales nos volumus. Nam formalitatum illarum pluralitas non est in obiecto (inquit) ante actualem hominis cognitionem, vel saltem est in ordine ad illam: sed mysterium Trinitatis est sine ordine ad talem cognitionem: ergo mysterium Trinitatis non pendet à pluralitate formalitatum. Prætereà Deus absque huiusmodi formalitatibus nouit comprehensiuè naturam esse idem cum paternitate, & filiatione; paternitatem autem & filiationem esse realiter distinctas. Ergo perfectissimè potest intelligi hoc mysterium sine distinctione rationum obiectiuarum, quæ sanè non oriuntur, nisi ex imperfectione cognitionis nostræ. Quis autem dicat veritatem Trinitatis pendere ab illa imperfectione? Confirmatur: nam sufficit vt cognoscatur multiplicitas seu distinctio quæ sit virtualis tantùm, qualis reperitur in simplici entitate personæ diuinæ. Ad hanc autem patet non requiri distinctarum illud formalitatum intellectuale ludibrium.

3. Præter hæc argumenta ex Theologiæ sacrario desumpta, afferuntur quædam alia merè philosophica, quæ latiùs pertinent; & ab omnibus rebus, quà creatis, quà increatis diuersitatem formalitatum rationumque obiectiuarum videntur amouere. Tale istud est imprimis. Cùm ex natura rei aliquid est indiuisum, & sine vlla distinctione, non potest per aliquid extrinsecum diuidi ac distingui: sed intellectio nostra obiecto suo est extrinseca: ergo quando obiectum est in se indiuisum, ac sine vlla distinctione, non potest per intellectionem nostram diuidi, seu distingui. Sunt quædam insuper argumenta, quibus aliqui Recentiores illuduntur. Ariaga *in Logica, disp.*5. fatetur ingenuè cætera omnia quæ ab Hurtado, aliisque Nominalibus afferuntur, non habere magnam vim. Et quidem iure; nihil enim valent. Quare ait hoc vnicum à se probari argumentum: *Non minùs, inquit, contradictoriè opponuntur cognosci & non cognosci, quàm existere & non existere, produci & non produci: atqui repugnat animalitatem hominis existere, & non eius existere rationalitatem; item produci animalitatem eiusdem & non produci rationalitatem, quamuis distinguantur virtualiter: ergo etiam repugnat cognosci animalitatem, & non cognosci rationalitatem. Eodem modo potest in diuinis formari hoc argumentum: Repugnat Patris diuinitatem existere, & non eius existere paternitatem: ergo etiam illam sine ista intelligi; cùm non minùs contradictoriè opponantur intelligi & non intelligi, quàm existere & non existere.* Ecce solum argumentum in quo tota spes Nominalium illius iudicio Authoris posita est. Putat scilicet eam entitatem, quæ sit realiter indiuisibilis, non posse duas habere formalitates separabiles in cognosci, nisi eædem sint etiam separabiles in existere. Et licèt eo solo prædictus Author, tanquam efficacissimo, fidere se dicat argumento, addit tamen & hoc secundum. Thomistæ admittunt non posse per cognitionem intuiti-

uam dari præcisiones obiectiuas: ergo admittere debent, nec posse per abstractiuam. Probatur consequentia; Quia non minùs abstractiua cognitio attingit obiectum indiuisibile, quàm intuitiua.

4. Subiiciam & alia, quibus licèt ab Ariaga contemptis, vtitur Hurtadus *disp.6. Metaph. sect.4.* ac primò: *Distinctio rationis*, inquit, *est formaliter in intellectu, & non in obiecto: ergo per eam non distinguuntur conceptus obiectiui.* Patet consequentia; nihil enim potest distingui per eam distinctionem, quam non habet in se, quemadmodum nihil potest esse album per albedinem absentem. Antecedens probatur. Nam distinctio rationis nihil est aliud quàm actus intelligentiæ distinguens: actus autem intelligentiæ non est formaliter in obiecto, sed in intellectu. Nec dici potest distinctionem rationis, seu actum intellectus, licet non existentem in obiecto, posse denominare distinctum ipsum obiectum per denominationem extrinsecam eo modo, quo cognitio denominat cognitum: nam sic obiectum non haberet in se intrinsecè distinctionem, nec pluralitatem formalitatum, ac per consequens nec actus nostræ cognitionis posset attingere plures formalitates in obiecto; alioquin attingeret id quod non est, & esset deceptoria. Si autem velis eam non decipi, sed attingere plures verè formalitates in obiecto: ergo cognitio inuenit illas formalitates iam plures & distinctas in obiecto prout ab ipsa cognitione contradistincto; atque ita laberis in formalitates Scoti distinctas ex natura rei. Quod tibi omninò necessarium est: nam denominatio distincti non potest esse ita extrinseca in obiecto, vt denominatio cogniti; quandoquidem per te intellectus noster fertur in obiectum vt iam distinctum, & supponit in eo plures formalitates; vt plures enim eas cognoscit. At verò non fertur in obiectum vt iam cognitum, nec per directum actum cognoscit illud esse cognitum.

5. Vnde nascitur secundum Hurtadi argumentum; quod tamen vix habet aliquid noui. Sumamus v. c. animal antequam cognoscatur. Peto num in eo priori habeat aliquid à parte rei, per quod sit formaliter aliud à rationali? Patet quod non; alioqui enim valet opinio Scoti. Igitur cognitio de animali non ipsum attingit quasi aliud à rationali, & consequenter non cognoscit ipsum animal sine rationali. Si enim ex parte sui obiectum non continet alietatem, non datur fundamentum, cur cognitio attingat in illo vnum sine alio. Nec minùs absurdum est, quòd cognitio per quam formaliter obiectum distinguitur, cadat in ipsum obiectum, vt iam in seipso distinctum; quàm si quis diceret albedinem vniri subiecto vt iam per ipsam albo. Vrget verò ad nauseam Hurtadus, ideò non posse esse in eo obiecto distinctionem & pluralitatem, quia in obiecto non est intellectio ipsa distinguens. *Et vt desinas hallucinari*, inquit, *ibi est formaliter pluralitas conceptuum, vbi est distinctio conceptuum & intellectionum: hæc autem in intellectu est, non in obiecto.* Tertium denique affert argumentum Hurtadus §. 116. *& sequentibus*, quod nihil differt ab eo quod Ariaga primo loco posuit. Admiscet verò quædam futilia, præsertim §. 120. vbi peccat contra formam. Ecce rationes omnes, quæ pro Nominalibus putantur habere aliquid probabilitatis.

Quicquid

Quicquid affertur insuper ab eius doctrinæ studiosis, leue est.

Stabilitur doctrina de conceptuum obiectiuorum diuersitate contra Nominales.

6. Reiicienda longè est illa sententia, vt parum solida, & leui argutiarum tenuitate subtilis. Vnde mirum non est, si (quicquid de D. Thoma sibi fingat Hurtadus) à grauioribus vulgò Theologis improbatur, & fidei rebus explicandis, in mysterio præcipuè Trinitatis, minùs idonea iudicetur. Dicendumque cum D. Thoma & suis, cum Durando, Marsilio, Canariensi, Henrico, Suare, Vasque, Valentia, cæterisque omnibus præter Nominales (quorum tamen præcipui, vt Okam & Gabriel, sententiam in Trinitatis mysterio mutauerunt) posse non tantùm in Deo, sed etiam in creaturis reperiri distinctionem rationis obiectiuæ; ita vt cùm ea, quæ nullo modo ex natura rei differunt, cognoscimus, sint in intellectu non solùm diuersi actus, sed etiam diuersa formaliter obiecta; diuersa, inquam, non in seipsis intrinsecè sumptis extra intellectum, sed prout subsunt cognitioni per denominationem ipsis extrinsecam.

7. Et quidem primò (vt nominibus & vocibus cum Nominalibus pugnem) constat illum esse communem omnium sensum, cùm has numero plurali voces in diuinis vsurpant, *Attributa*, *Perfectiones*, &c. nullus enim est Theologus qui de Deo loquens non dicat in illo reperiri attributa, intellectum, voluntatem, &c. tanquam perfectiones intrinsecas. Qui loquendi modus, si Nominalium ratio haberetur, esset falsus. Non enim in Deo iuxta ipsos sunt pluraliter attributa intrinseca, sed vnum simplex attributum; imò ne attributum quidem. Nam Sapientia v. g. non potest attribui Deo, nisi ad hunc quasi ad alterum aliquo modo comparetur. Dicere autem quod, cùm in Deo asserimus includi attributa & perfectiones, id intelligimus de solis actibus intellectus nostri, & de solis nominibus, parum graue est, & nimis nominale. Respondebis dici plura attributa & plures perfectiones in Deo, non quòd sint plures formalitates obiectiuæ, sed quòd vna & eadem diuinitatis formalitas varios connotet effectus aut terminos. Quare prout connotat peccatorum punitionem quam efficit, vocatur iustitia; prout peccatorum condonationem, misericordia; vt intellectionem, intellectus; vt volitionem voluntas, &c. Atque ita perfectio, & formalitas obiectiua, quæ vna est ex parte ipsius Dei, induit quamdam pluralitatem ex connotatorum pluralitate.

8. Sed responsum illud est futile. Nam primò omnes, dum attributa & perfectiones diuinas in plurali dicunt, ipsarum in se perfectionum & attributorum, vt se ex parte Dei tenentium pluralitatem intelligunt, vt experientia ostendit. Secundò falsum est quòd ea omnia attributa, quæ pluraliter in Deo dicimus, distinguantur per obiecta, seu connotata diuersa. Nam intellectus diuinus eadem omninò intelligit obiecta, quæ voluntas vult, aut odit, &c. Nec effectus producit distinctos ab effectibus voluntatis; cùm intellectiones & volitiones diuinæ non inter se distinguantur, & eadem, vt iam dixi, respiciant obiecta. Quod clarum est, si sumamus intellectionem quâ Deus essentiam suam intelligit, & actum voluntatis quo eamdem ipsam amat.

Sanè intellectus, & voluntas vt essentiam respiciunt, non habebunt secundùm aduersarios vnde vllo modo distinguantur, & dici possint plures perfectiones; & per consequens in Deo cognitio sui, & amor sui non aliter distinguentur quàm ensis & gladius, Tullius & Cicero: quod est & per se absurdum, & contra fidem catholicam, quæ asserit Deum cognitione sui generare, non spirare; amore sui spirare, non generare. Denique nonne intolerabile est, quod attributa dicantur in Deo pluraliter propter id solùm, quia respiciunt terminos extrinsecos plures? Secundùm hanc nouam Philosophiam filius Abrahami, & pater Iacobi erunt plures homines, & non vnus Isaac; item pater Iacobi & pater Esaii erunt plures patres.

9. Secundum argumentum sit. Quando concipimus perfectiones diuinas, v. c. immensitatem, iustitiam, potentiam, obiiciuntur cogitationi nostræ diuersa obiecta formalia, seu plures rationes obiectiuæ, si ad conceptum immensitatis iustitia & potentia impertinenter se habeant; ita vt saluo immensitatis conceptu iustitia & potentia ignorari possint omninò: atqui ad immensitatis conceptum iustitia & potentia ita impertinenter se habent, vt illo saluo ignorari possint: ergo, &c. Probatur minor; nam si supponamus Deum carere per impossibile iustitia, & ea potentia, quam habet, non propterea intelligimus variari aut mutari conceptum, quem de immensitate formamus. Considerandumque est, quòd siue Deus iustitiam eam habeat, quæ à damnatis æternas pœnas exigit; siue eam habere fingatur, quæ tantam pœnarum durationem compati non possit, vt aliquorum hæresis fuit; semper idem perseuerat obiectum cognitum in conceptu immensitatis; nec enim Millenarij de iustitia Dei secus, quàm nos sentientes, immensitatem Dei magis ignorabant quàm nos. Nec ij Theologi, qui negant Deum habere potentiam producendi actu infinitum, in conceptu immensitatis se intelligere experiuntur aliud ab eo quod intelligunt illi, qui secus de infinito producibili sentiunt. Confirmatur. Cùm aliquis Michaëlem agnoscit esse spiritum, non illicò differentiam Seraphini, Archangeli, seu aliam quamcumque cognoscit, quam re Michaël habet. Et nemo dicat me cognoscere differentiam Michaëlis specificam ex eo quod cognoscam in illo rationem spiritus: nam dum assero certò esse spiritum, dubito de differentia specifica, imò fortè eam, quæ vera est, nego.

10. Respondent aduersarij cognosci in illo casu differentiam specificam simul cum ratione spiritus, nec posse hanc ab illa per cognitionem separari: accidere verò vt de ratione differentiæ dubitetur, cùm tamen non dubitetur de ratione generica spiritûs, quia scilicet differentia explicitè & distinctè non cognoscitur, sed tantùm confusè & implicitè. Verùm illa responsio (quâ meliorem nullam inuenient) euertit totam illorum doctrinam, inuoluitque contradictionem. Nam primò, si per te ratio generica & differentia specifica tantam habêt formaliter identitatem, vt nullo modo possint concipi esse duæ per mentem formalitates; sed sint vnum quid simplicissimum in ordine ad nostram cognitionem; quomodo fieri potest vt vnum asseras cognosci explicitè atque distinctè, & alterum non cognosci explicitè atque distinctè? Certè non magis contra

contradicunt sibi cognosci & non cognosci quàm cognosci explicitè, & non cognosci,explicitè. Deinde cùm dicis cognosci ita explicitè rationem spiritus, vt per eam distinguat nostra cognitio Michaëlem ab omni ente corporeo; non autem ita cognosci distinctè rationem differentialem, vt per eam cognitio eumdem Michaëlem distinguat à cæteris spiritibus; nonne totum fateris, quod nos asserimus? Quid enim aliud nos intendimus, quàm per cognitionem gradus generici species omnes sub eo contentas inter seipsas confundi, & non cognosci vt diuersas, nec vt plures? sed rationes differentiales atque specificas (licèt identicè & materialiter cognitas) ita formaliter se habere in illa cognitione, quasi non essent, cùm ad eam cognitionem sit omninò per accidens, quod tales vel tales differentiæ sint, aut quod non sint; quomodo dicimus item in attributis diuinis sic v. g. cognosci vindicatiuam iustitiam Dei, vt ea cognitio distinguat quidem Deum à peccati factoribus, non autem distinguat ab iis, qui condonare nesciunt iniurias; cùm tamen re Deus habeat summam ab vtrisque differentiam. Quod autem ab aliquibus hîc asseritur, cùm vna & eadem res cognoscitur distinctè vel confusè, discrimen se tenere dumtaxat ex parte actuum, nullo autem modo ex parte obiecti, ita vt duo quidem sint actus, quorum vnus sit distinctus circa misericordiam, vt ex aduerso alter sit distinctus circa iustitiam: id, inquam, non satisfacit; nam sumo illum actum, qui cadit in misericordiam solam distinctè; & peto, num cadens in misericordiam solam distinctè, hanc à iustitia eatenus seiungat? Sanè constat illos duos actus, distinctum & confusum, non modò esse diuersos, sed & obiecti formalitates diuidere.

11. Cùm responsum aduersariorum suprà refutatum reiiciat æquè ac nos, quasi contradictorium, Ariaga; aliud ipse nihilo melius excogitauit. Ait enim *num*.40. *& sequentibus*, non repugnare, quin idem indiuisibile obiectum clarè ex parte, & ex parte confusè cognoscatur per eamdem cognitionem. Clarè, quatenus distinguitur ab aliquo, quod non est ipsum; verbi gratià, Petrus potest, inquit, per cognitionem distingui ab omni accidente; & tamen non distingui ab omni substantia. Sed contradicit sibi manifestè Ariaga: nam differentia per quam Petrus distinguitur ab omni accidente (hoc est, per quam constituitur in gradu substantiæ, & quam supponimus cognosci) est eadem indiuisibiliter cum ea differentia, per quam distinguitur à brutis, &c. per quam nimirum constituitur in specie hominis, &c. & quam supponimus ignorari, cùm Petrus cognoscatur quidem distinctus ab omni accidente, sed non ab omni substantia, v. g. à brutis. Ergo per Ariagam contra ipsius principia, idem omninò indiuisibile cognoscitur distinctè, & non cognoscitur distinctè; in quo tamen ipse contradictionem esse putat. Neque cum eo stare potest quod asserit *num*. 41. his verbis: *Petrum cognitione distingui ab aliquibus, & non distingui ab aliis, nullam inuoluit repugnantiam.* Inuoluit, inquam, omnimodam secundùm te; quandoquidem differentia cognita, quâ Petrus distinguitur ab aliquibus, putà ab accidentibus, est eadem res indiuisibilis cum differentia incognita, quâ discernitur à brutis. Differentia enim per se subsistentis, & differentia rationalis sunt idem à parte

parte rei. Nec prodest dicere totum ex parte obiecti cognosci, sed discrimen esse tantùm in cognitione nostra, quæ clara est & distincta circa differentiam subsistentis; obscura verò & confusa circa differentiam rationalis. Nam contrà. Si enim ex parte obiecti non est nisi vnum quid simplex formaliter, peto quomodo possit esse discrimen in cognitione, ita vt sit clara circa differentiam subsistentis, & non clara circa differentiam rationalis? Prætereà putásne totum indiuisibiliter sumptum cognosci clarè, cùm rationale cognoscatur non clarè? Optionem habes: vel defende, totum cognosci clarè, & non cognosci clarè; in quo tibi contradicis: vel fatere esse in obiecto formalitatem, quæ clarè cognoscatur; & formalitatem, quæ non cognoscatur clarè; in quo habemus intentum.

12. Tertium argumentum continet rationem à priori, cur mens nostra formalitates in obiectis, secūdùm rem indistinctas distinguat. Nam experimur, quod præ mentis humanæ angustiis non potest simul vna cogitatio res multas varietatem magnam habentes, & valdè dísparatas complecti; sed si accidat vt de vna re cogitemus, necessarium est nos ab aliarum rerum cogitatione abstinere. Atqui certum est, entitatem diuinam v. g. æquiualere multitudini rerum distinctarum: ergo impossibile est vt vna cogitatione totam illius entitatis æquiualentiam complectamur. Necessarium igitur est, vt cùm mens humana se ad cogitandam entitatem diuinam, aut aliam similem multis æquiualentem applicat, non eam integrè secundùm totam eius virtualitatem cognoscat. Si enim iustitia, quæ in Deo est, misericordia, intellectus, voluntas, immensitas, æternitas, paternitas, &c. essent totidem entitates distinctæ; clarum est mentem nostram eas cogitatione necessariò separaturam: atqui eadem est, quæ illarum, diuinæ entitatis ratio; quandoquidem hæc omnibus illis æquiualet. Nec enim prædictæ illæ perfectiones minùs disparatæ sunt in suis essentiis ac definitionibus, quàm si secundùm se seorsim existerent. Certè clarum est, quod si quatuor essent distinctæ potentiæ, quarum vna Filium diuinum, altera cœlos, tertia hominem, quarta leonem posset producere, non foret necessarium cognosci tres primas ex eo quod quarta leonis productiua cognosceretur: ergo nec iam cùm accidit eas omnes in vnam eminentem entitatem coniungi. Imò sæpè accidit, vt nesciamus, num aliquæ perfectiones & virtutes in gemmis, in herbis, in animalibus, in Angelis distinguantur entitatiuè: neque si supponamus tanquam certum illas realiter inter se identificari, comperiemus cognitionem, quam de iis habebamus, fuisse aliam, quàm si supponamus easdem realiter distingui.

13. Atque hinc vides, non bonam eam esse rationem, quam aliqui reddunt, cur noster intellectus habeat vim præscindendi formalitates obiectiuas, & ea quæ entitatiuè sunt indistincta distinguendi. Nempe id referunt ad nostri subtilitatem & acumen intellectus, qui acie sua penetret rerum essentias vsque ad formalem diuisionem eorum, quæ solam virtualem diuersitatem habent: quod non potest, inquiunt, facere vlla potentia intellectu inferior. Dicendum verò est, quod licèt præscindendi virtus sit aliqua perfectio, vnde videmus eos qui obtusiores sunt, confundere sæpe multa, quæ ingenio-

siores

fiores distingunt; nec posse rationes eas obiectiuas animaduertere, quas alij deprehendunt, & explicant: nihilominus ea perfectio & subtilitas non est nisi secundùm quid, & coniunctam habet limitationem humani intellectus; & verè loquendo prouenit ex eo quod mens non habeat vim ea omnia simul, quæ seu formaliter, seu virtualiter multa sunt, complectendi. Nemoque negare potest, quin magna perfectio sit rem ipsam, quæ obiicitur cognitioni, posse assequi eo ipso modo, quo est: ita vt quemadmodum illa potuit in se esse talis, vt rationes, quas continet, non habeant formalem, nec plusquam virtualem distinctionem: sic & possit cognitio totam includere absque vllius maioris distinctionis interuentu. Quo quidem modo dubium non est, quin Deus entitates omnes, quantamcunque virtualem habeant rationum diuersitatem, intelligat, adæquando, conformandoque suam cognitionem exactissimè rebus ipsis, nihil circa eas innouando per operationem intellectus; id enim ad fidelitatem cognitionis maiorem pertinet.

14. Vt autem ea summa repræsentationis perfectio habeatur, requiritur primò, vt nulla ratio obiectiua lumini intellectuali se subtrahat, & delitescat. Quæ conditio deest nobis, cùm verbi causâ misericordiam Dei cogitamus; tunc enim ideò inadæquatè Deum cognoscimus, & misericordiam ab aliis attributis præscindimus, quia nobis alia omnia latent; atque hoc arguit imbecillitatem, & hebetudinem luminis intellectus. Secundò requiritur, vt quando rationes omnes detectæ apparent, intellectus eas cognoscens non feratur in singulas singulis cognitionibus, sed simul omnes vnica cognitione complectatur; non quasi multas (quomodo nos vnica tabellæ visione multos colores intuemur) sed quasi vnum quid formaliter simplex; ita vt intellectus nullam faciat, nec notet in obiecto suo multiplicitatem formalem, licèt virtualem aduertat. Quæ cognoscendi perfectio faciliùs in cognitionibus intuitiuis, quàm in abstractiuis reperitur. Quamquam & in istis non videatur absolutè repugnare. Non enim apparet, cur Deus non possit mihi abstractiuè cognoscenti sistere ita misericordiam & iustitiam simul, vt dum ambæ in vnum aspectum cadunt, intelligantur quasi vnum simplex & indiuisibile obiectum, quo scilicet modo entitatiuè se habent.

Dari conceptus obiectiuos per mentem nostram distinctos in mysterio Trinitatis.

15. Quartum argumentum contra Nominalium de conceptibus obiectiuis doctrinam est omninò Theologicum, & sumitur ex Trinitatis mysterio. In cuius mysterij explicatione per mentem necessariò præscindimus intellectum Dei Patris tùm à voluntate, tùm etiam à paternitate. Ita vt quando illum concipimus, nec voluntas concipiatur, nec paternitas; licèt inter tres eas perfectiones nulla intercedat distinctio entitatiua. Probatur; mens enim nostra vnum ab alio præscindit, quando affirmat de vno, quod de alio negat: atqui de intellectu Dei Patris mens nostra affirmat prædicata, quæ de voluntate, necnon etiam de paternitate negat: ergo mens nostra intellectum diuinum præscindit à voluntate & paternitate. Minor est de fide; nam orthodoxa doctrina est, intellectu Filium

lium generari, & voluntate Filium non generari. Item intellectum Filio & Spiritui sancto communicari, & paternitatem non communicari. Maior per se patet; nam affirmari nequeunt de vno obiecto prædicata, quæ de alio negentur, nisi vnum obiectum affirmationi solitariè subiaceat, alio excluso. Id autem est præscindi, ac seiungi vnum obiectum ab alio, ita vt in subiecto huius propositionis, *Intellectus generat*, nullo modo concipiatur & includatur voluntas; alioquin ipsa subiiceretur prædicato, assereretur que generare. Confirmatur; nam si diuina essentia identificata realiter cum tribus relationibus, non ab his per mentem nostram obiectiuè præscindit, sequitur quod vbi talis essentia inesse concipietur ac dicetur, concipientur ac dicentur formaliter omnes tres relationes inesse; atque ita in Patre inerit filiatio; in Filio paternitas, &c. Quod consequens hæreticum est, sed cum doctrina Nominalitia tam coniunctum, vt propterea putet Ariaga, ne quidem in intellectu diuino veras esse posse has propositiones: *Pater non est Filius*, *Pater non est Spiritus Sanctus*, &c. nisi ipse intellectus diuinus præscindat essentiam à relationibus; illamque, vt nos facimus, obiectiuè sumptam ratione distinguat à paternitate, filiatione, &c. Denique præcedentia confirmantur ex catholica veritate harum propositionum: *Sola persona Verbi est immediatè vnita humanitati: Verbum diuinum, & non Spiritus sanctus generatur: Pater à nullo procedit.* Si enim tres personalitates sint omninò idem cum essentia formaliter, nequaquam veræ esse possunt prædictæ propositiones.

16. Quid ad hæc responderi possit ab aduersariis, non video; vnum enim necessarium est ex his tribus. Vel primò vt abiectâ suâ sententiâ confugiant ad formalitates Scoti; vt Okam, Gabriel, & quidam alij fecerunt. Vel secundò, nostram vt amplectantur doctrinam, quoad mysterium Trinitatis, & in eo formalitates obiectiuas per mentem præscindi, distinguique fateantur, vt fassus est Ariaga. Vel tertiò denique (quod peius est, nec admittent) falsas esse concedant propositiones Catholicas superiùs allatas; & è contrà veras esse defendant hæreticas. Primum eligere non possunt, nisi destruere velint Dei simplicitatem, & iis vrgeri argumentis quibus ipsi impugnant Scotum. Si secundum eligunt, habemus intentum; nec enim valet, si dicant cum prædicto Ariaga, se formalitates obiectiuas ratione distinctas non admittere, nisi in mysterio Trinitatis, propterea quod speciale in eo sit, vt simplicissima entitas habeat multiplicitatem virtualem; & vt aliqua contradictoria prædicata recipiat, nempe communicari, non communicari; produci, non produci; generare, non generare, &c. Vnde mirum non est, si de illis prædicari etiam possit cognosci, non cognosci, &c. Hoc, inquam, non valet: nam primò extra mysterium Trinitatis, tùm attributa diuina essentialia, tùm multæ creaturarum perfectiones, quæ entitatiuè sunt indistinctæ, habere possunt multiplicitatem virtualem, ob quam valeant cognosci, & non cognosci. Secundò nonne vides te, ex eo quòd formalitates obiectiuas in mysterio Trinitatis agnoscas, euertere argumenta omnia, quæ feruidi quidam Nominales tanto strepitu, & tanta buccarum inflatione iactant: nempe, si obiectum nullas habet partes, non possunt in eo partes

tes notari, & diſtingui. Vbi non eſt vnum & aliud, mens noſtra non poteſt inuenire vnum quod ſumat, & aliud quod relinquat. Si ante cogitationem non eſt vnum & aliud: ergo ipſa cogitatio fingit, & ludibrio ſuo decipitur; atque in diuinis hallucinata quaternitatem loco trinitatis ponit, contra Lateranenſe, contra Remenſe Concilium, &c. Ponere multiplicitatem in conceptibus non tantùm formalibus, ſed etiam obiectiuis, eſt ponere à parte obiecti, ſeu à parte rei formalitates diſtinctas cum Scoto. Denique quomodo intellectio noſtra diuidere, ac velut ſauciare poteſt obiectum, cùm nequeat aliud in eo ponere quàm denominationem extrinſecam? & quomodo poteſt obiectum diuidi per eam diuiſionem, quæ non in ipſo poſita ſit? Hæc, inquam, & eiuſdem farinæ alia, quàm inania ſint & ſubuentanea, fateatur neceſſe eſt quiſquis Nominalium doctrinam non aliter, quàm Trinitatis myſterium excipiendo, defendi poſſe exiſtimat.

17. Non omittam hîc ſubtilitatem, ad quam recentes aliqui Nominales confugiunt, dum ſuperiori argumento ex Trinitate deſumpto vrgentur. Ad veritatem enim harum propoſitionum: *Paternitas generat: Eſſentia diuina non generat: Filiatio producitur: Eſſentia non producitur*, &c. volunt nullo modo neceſſarium eſſe vt diſtinctæ ſint formalitates perſonalitatis & eſſentiæ. Quoniam, inquiunt, ſubiectum illarum propoſitionum non eſt quicquam præciſum, ſed eſt totum id, quod realiter exiſtit, nimirum eſſentia diuina taliter ſe habens. Atque ita cùm dicimus, Paternitas generat, eſt idem ac ſi diceremus, Eſſentia taliter ſe habens & exiſtens prima perſona, generat. Et contrà cùm dicimus, Eſſentia non generat, non ſumimus eſſentiam abſtractam, ſed vt ſe habentem taliter quemadmodum ſe habet extra primam perſonam, nempe quatenus exiſtit ſecunda vel tertia perſona. Sed dico vanum iſtud eſſe reſponſum. Nam primò ſi nulla fiat abſtractio: ergo cùm dico, Eſſentia diuina; dico formaliter id totum quod identificatur cum eſſentia ipſa diuina. Ergo cùm facio hanc aſſertionem, Eſſentia diuina eſt in Patre, aſſero formaliter ipſam oppoſitam Filio paternitatem. Item cùm dico, Eſſentia diuina eſt in Filio; aſſero formaliter ipſam oppoſitam Patri filiationem. Atque ita non magis eſſentia diuina erit in Filio quàm paternitas, nec magis in Patre quàm filiatio: & perſonæ illæ duæ neque coeſſentiales, neque realiter diſtinctæ eſſe poterunt.

18. Secundò clarum eſt malè negari, quod eſſentia diuina ſumatur præciſiuè in hac Catholica propoſitione: *Eſſentia diuina non generat.* Non benè, inquam, dicitur eſſentiam ibi ſumi provt taliter ſe habentem; non enim poteſt in ea propoſitione ſumi eſſentia provt taliter ſe habens, niſi ſumatur provt eſt filiatio aut ſpiratio. Quod autem non poſſit ſumi provt eſt filiatio, patet; quia prædicta propoſitio Catholica integrè ſumpta ſic habet: Eſſentia diuina non generat, nec generatur. Ergo eſſentia diuina non poteſt ibi ſumi provt taliter ſe habens in Filio, ſeu provt eſt filiatio. Dices. Eſto? Sed ſumitur provt taliter ſe habens in Spiritu ſancto, ſeu provt ſpiratio paſſiua. Contrà. Nam catholica eſt non tantùm hæc propoſitio: *Eſſentia diuina non generat, nec generatur;* ſed etiam iſta: *Eſſentia diuina nec generat*

nerat nec generatur ; nec spirat nec spiratur. Cùm itaque constet vltimam hanc propositionem esse veram in fide, peto quomodo in eius subiecto sumatur essentia diuina. Sanè nullatenùs de essentia diuina taliter se habente fieri potest ea propositio, quam nemo inficiabatur ad fidem catholicam pertinere. Atque necessarium est vt illa essentia, quæ nec generat, nec generatur; nec spirat, nec spiratur, abstrahat simul & à paternitate, & à filiatione, & à spiratione tum passiuâ, tum actiuâ. Quid ad hoc isti dicant Nominales, aueo audire. Porrò nec initio in illa simplici propositione, *Essentia diuina non generat*, tolerandi fuerant, cùm dicerent essentiam sumi non vt intra Patrem præscinditur à paternitate; sed vt in Filio confunditur cum filiatione, in ipso taliter se habens. Id, inquam, est contra intentionem Concilij asserentis essentiam non generare: nam Concilium loqui intendit de essentia provt est in Patre, & non consideratur in Filio: & sensus Catholicus, quem hi Nominales non probant, est, quod in ipso Patre essentia non generat; & in Filio essentia, quam ipse habet à Patre communicatam non generatur. In re igitur nimis seria commemorati Nominales ludunt non satis Theologicum ludum.

19. Addendum & aliquid est contra solutionem, quam habet Hurtadus. Cùm enim dicitur: *Paternitas generat, nec communicatur: Essentia non generat, & communicatur*, &c. fatetur ille quidem summam esse in suorum Nominalium principiis difficultatem; sed ait esse communem in aliorum etiam omnium opinione, & annexam ipsi mysterio: cuius non expeditur difficultas per distinctionem formalitatum obiectiuarum. Nam antecedenter ad omnem operationem mentis, & ante omnem opem præcisionum, existentiam habet hoc mysterium: ergo ei necessaria non est formalitatum per mentem nostram distinctio; quæ quantumvis adhibeatur, non impedit, quominùs paternitas & essentia sint materialiter idem. Quare licèt posita distinctione rationis benè defendamus paternitatem in sensu formali non communicari Filio, & essentiam in sensu formali non generare; tamen non defendimus aut explicamus per prædictam rationis distinctionem, quomodo non saltem in sensu identico & communicari de paternitate, & generare de essentia prædicetur. Vt enim non obstante distinctione rationis valet hic discursus: Iustitia in Deo est principium puniendi: sed misericordia est identicè iustitia: ergo misericordia est identicè principium puniendi; sic valere deberet iste: Paternitas est principium generandi & generat: sed essentia est identicè paternitas: ergo essentia est identicè principium generandi & generat. Quæ tamen postrema conclusio admitti non debet in fide. Nam si essentia identicè generaret: ergo & filiatio generaret etiam identicè, quandoquidem essentia est identicè filiatio. Imò paternitatem esse filiationem identicè concluderetur hoc syllogismo: Essentia est identicè paternitas: sed filiatio est identicè essentia: ergo filiatio est identicè paternitas. Quemadmodum igitur (infert Hurtadus) vnitas entitatis, & simplicitas identica, quæ est inter essentiam & paternitatem, necnon inter essentiam & filiationem, non impedit quominùs paternitas & filiatio sint in sensu ipso identico entitates

titates distinctæ; sic licèt ponamus cum Nominalibus vnitatem formalitatis & simplicitatem formalem rationis obiectiuæ, id non impedit quominùs defendatur eadem realis inter paternitatem filiationemque velut inter duas entitates distinctio, quam hoc mysterium importat. Respondeo, non solui bene per hæc ab Hurtado nostrum contra Nominales argumentum ex Trinitate sumptum; perperamque fingit illud argumentum non aliam, quàm ipsius mysterij communem omnibus continere difficultatem.

20. Nec enim nos formalitates distinctas volumus constituere ipsum à parte rei mysterium; cùm asseramus nullam earum esse actualem in re distinctionem; & sciamus Trinitatem esse independentem ab omni operatione intellectus nostri; imò & ipsum velimus ab intellectu diuino mysterium intelligi sine vlla rationũ obiectiuarum distinctione, vt ostendetur capite sequenti. Tantùm ergo dicimus Ecclesiam, cùm explicat illud mysterium (cuius veritas præsupponitur independenter ab actuali rationum obiectiuarum distinctione) vti rationum huiusmodi actuali distinctione, & proponere tanquam fide tenendas eas propositiones, quæ, nisi admittatur actualis præcisio, rationumque distinctio, verum habere sensum concipi non possint. Quales sunt: Pater intellectu generat, & non voluntate: Paternitas, & non essentia generat: Essentia communicatur Filio, & non paternitas. Ad quas propositiones oportuit respondere Hurtadum, ostendendo quomodo in iis non sit præcisio; non autem ad mysterij secundùm se existentiam diuagari.

21. Porrò quod addit, per rationum distinctionem nos non iuuari ad concipiendum & explicandum mysterium, non verè dicitur. Posita enim rationum distinctione benè intelligo & explico, quod aliter explicari non potest, intellectum solum generare, voluntatem solam spirare, essentiam communicari, & non paternitatem in sensu formali. Dico autem in sensu identico Patrem voluntate generare, intellectu spirare; non secùs ac per iustitiam miseretur, & per misericordiam punit. Tamen notandum est essentiam sic identicè in Patre esse paternitatem, in Filio filiationem, in Spiritu sancto Spirationem passiuam; vt tamen ipsa sit virtualiter triplex à parte rei; &, provt est in Filio, sit virtualiter alia, quàm provt est in Patre. Vnde fit vt quod dicitur formaliter de paternitate, putà generare, non communicari, &c. dicatur identicè de essentia, quatenus existente in Patre. Cùm autem essentia, quæ est in Filio, sit virtualiter realiter alia, non potest facere ipsa, vt quod identicè de illa provt existente in Patre dicitur, dicatur identicè de illo, quod identicè dicitur de ea provt existente in Filio. Et quoniam essentia comparata cum tribus personalitatibus hoc habet, vt non tantùm ab harum qualibet sit distincta formaliter, quemadmodum misericordia distinguitur à iustitia; sed etiam cum variis sit multiplicata & diuersa à seipsa virtualiter, quod non reperitur in misericordia & iustitia; hinc fit, vt quamquam valeat in misericordia & iustitia, aliisque similibus hic discursus: Iustitia punit: sed misericordia est identicè iustitia: ergo misericordia identicè punit; non tamen valeat ille, in quo aliqua personalitas comparatur cum essentia, & posteà essentia cum alia personalitate,

& tandem mediante tali essentia personalitates ambæ ad inuicem: verbi gratiâ, si quis faciat hunc superiùs adductum syllogismum: Essentia est identicè paternitas: sed filiatio est identicè essentia: ergo filiatio est identicè paternitas; peccat contra formam, nec distribuitur medium. Si tamen essentia comparetur ita cum vna personalitate, vt non transferatur ad aliam personam, quidquid de personalitate dicitur, dicetur in sensu identico de essentia, & contrà, non secus ac identicè quod de misericordia dicitur, dici potest de iustitia. Quare concedo essentiam, provt est in Patre, generare identicè. Item in sensu identico esse relationem, &c. Atque ex his videre potest Hurtadus, quomodo formalitates per rationem distinctæ & sint necessariæ, & sufficiant ad explicandum in hac mortalitate mysterium Trinitatis; atque adeò non possint salua fidei explicatione negari.

CAPVT VIII.

Respondetur argumentis Nominalium.

1. VT ad argumenta Nominalium respondeatur, notandum est, duas eorum esse hallucinationes, seu duo παροράματα, in quibus omnes, quas pro se adducunt, rationes fundantur. Prior hallucinatio est, quòd supponant, per distinctionem formalitatum obiectiuarum, provt eam defendimus, ipsas rerum entitates, quatenùs in se existunt debere diuidi intrinsecè, & modum earum essendi mutari; quasi nempe diceremus cogitationem nostram posse acie sua sauciare, vt ita dicam, & dissecare obiectorum realitatem in se, provt est à parte rei, spectatam. Altera est hallucinatio, quòd non attendant varias in obiectis reperiri formalitates, quæ virtualem à parte rei & ante opus mentis habeant distinctionem ac separabilitatem in ordine ad certas tantùm aliquas, non tamen ad quascumque denominationes, vt explicatur infrà: sunt enim quæ separari possint ab inuicem in cognosci, non tamen in produci: sunt & quæ etiam in produci, &c.

2. Quod ad prius attinet, non ea est nostra sententia, sed Nominalium de illa differentium hallucinatio. Clarum enim est, nullam entitatem posse realiter in seipsa diuidi per quicquam extrinsecum. Quid ergo? Nihil aliud volumus, quàm obiectum, quod in seipso, & secundùm rem manet intactum atque indiuisum, non manere indiuisum in nostra cogitatione, sed ab hac percipi, attingique per partes, quas habet virtuales; quatenus non adæquatè percipitur simul per vnam intellectionem tota realis perfectio entitatis illius, habentis quidem indiuisibilitatem formalem, virtualem verò seu fundamentalem diuisibilitatem. Cùm enim in se Diuinitas v.c. sit æterna, sapiens, iusta, &c. ego quandoquidem totum id virtute multiplex non possum præ intellectus mei angustiis complecti, abstractionibus vti cogor; atque æternitatis perfectionem, quæ verè realis est, vno actu ita concipere, vt eodem non concipiam iustitiæ perfectionem, quæ item realis est. Ex quo fit vt æternitas & iustitia, quæ à parte rei non sunt nisi vna perfectio realis, appareant in mea mente quasi duæ perfectiones reales. Vnde colli-

gis

gis esse denominationem extrinsecam, quòd obiectum dicatur esse per rationem distinctum. Cùm enim non sit distinctum, seu diuisum nisi quà cognitum, non potest esse in eo magis intrinseca denominatio diuisi, quàm cogniti. Nec valet quod ad id respondet Hurtadus, denominationem diuisi non posse esse merè ab intellectu, sicut denominationem cogniti; quia scilicet intellectus non fertur in obiectum vt iam cognitum, nec per directum actum cognoscit illud cognitum. At diuisio, seu distinctio præsupponitur in ipso obiecto; intellectus enim fertur in illud vt iam distinctum, & plures habens formalitates. Non, inquam, id valet; nam intellectus ipse est distinguens per suam formaliter cognitionem, nec magis supponit obiectum esse distinctum, quàm esse cognitum. Præsupponit quidem esse distinguibile, & habere virtualem partium pluralitatem; at diuisionem actualem ipse in illud cadens inducit. Qua in re non potest esse vlla difficultas; nequeunt enim negare aduersarij, quin tunc per cogitationem obiectum ipsum (non vt in se existens, sed vt menti obuersans) diuideretur, quando per falsam persuasionem aliquis affirmaret æternitatem & iustitiam esse duas res, vt nonnulli hæretici voluerunt; aut quando cum Scotistis diceret, duas illas esse in Deo formalitates ex natura rei distinctas. Patet enim eum qui id crederet & affirmaret cum mendacio vel deceptione, non solos conceptus formales, sed ipsos etiam obiectiuos distinctos habiturum; atque rem in seipsa indiuisibilem diuisurum in sua mente, absque eo quòd denominatio diuisi esset obiecto prout in se existenti plusquam extrinseca. Eodem, inquam, modo nos cùm æternitatem Dei & iustitiam apprehendimus, non tantùm multiplicitatem habemus formalium conceptuum, sed etiam formalitatum obiectiuarum, à quibus sumitur formalium specificatio conceptuum, obiecto in se inuariato manente, & in sola sui repræsentatione diuiso. Tota enim diuisio, quæ (vt ita loquar) actiua est, fitque per diuersos formales actus, in solo residet intellectu nostro; passiua verò nulla est intrinseca ex parte obiecti vt in re existentis, sed tantùm vt menti obuersantis.

3. Neque tamen vllum tunc mendacium aut deceptio interuenit, cùm illa diuisio & multiplicitas obiectiua de ipso obiecto vt realiter existente non affirmetur, nec de illo affirmari possit primò intentionaliter; quamquam de eodem possit secundò intentionaliter sumpto. Possumus enim, facta reflexione supra intellectus nostri operationem, affirmare diuinam æternitatem distingui à iustitia, & attributa Dei esse multas reales perfectiones; atque paternitatem non esse essentiam; quandoquidem id totum verum est, supposito & præintellecto per secundam, seu reflexam mentis intentionem modo nostro concipiendi. Petes, si modus noster concipiendi nullam ponit in obiecto realiter existente diuisionem: ergo sola diuisio est in conceptibus nostris formalibus, non autem in conceptibus obiectiuis; non enim in præsenti datur aliud, quàm obiectum realiter existens, & conceptus nostri formales circa illud. Respondeo. Conceptus nostri formales important obiectum vt sibi obseruans; & obiectum ipsum in intellectionibus nostris existentiam quamdam intentionalem, siue obiectiuam habet; atque

atque in ea intentionali existentia (hoc est prout repræsentatur) potest per modum nostrum concipiendi contrahere in seipso modum, quem non habeat in reali sua existentia, & à quo denominari non possit nisi extrinsecè. Isque modus vocari solet à Philosophis secunda intentio; quia cùm per primam intentionem (hoc est per primam, directamque intellectionem, qua mens nostra tendit in illud) talis modus contrahatur, nec in obiecto (vtpote in eo non præsuppositus) cognoscatur; nihilominus per intentionem, seu intellectionem secundam cognoscitur, cùm intellectus supra modum suum operandi se reflectit. Atque dum de obiecto primò intentionaliter considerato loquimur cum formalitatum obiectiuarum pluralitate, non magis de illo prædictus modus concipiendi noster affirmatur, quàm cùm balbutiens aliquis loquitur de Diuo Paulo, balbutiem de ipso Diuo Paulo affirmet. Ita cùm latinè de Rege loquimur, de hoc latinitatem non prædicamus; nec Angelus de me cogitans modo angelico, de me asserit modum suum cogitandi, &c. atque hæc, quia non, vt oportuit, considerarunt Nominales, decepti sunt, cùm ex simplicitate summa reali & entitatiua Dei, negant in eo esse posse compositionem rationis, & formalitatum obiectiuarum pluralitatem. Vt enim scitè D. Thomas ait, Deus qui in re simplicissimus est, per rationem nostram est maximè compositus. Per ea, quæ hîc diximus, facilè solues quæ Aureolus & alij afferunt, quos superiori capite indicauimus, *num.*1. Item quæ posteà ex Hurtado retulimus *num.*4. *&* 5. Quæ autem ex eodem Hurtado protuleramus in eodem superiore capite, *num.*2. & ex Ariaga *num.*3. soluuntur insuper clariùs ex consideratione alterius illius hallucinationis hîc nunc explicandæ, quâ *num.*1. diximus Nominales decipi.

4. Non enim satis considerant (vt illo *num.*1. notauimus) formalitates eas, quæ ante opus mentis in obiectis reperiuntur virtualiter distinctæ, ita se habere vt ob virtualem suam distinctionem possint quidem à se inuicem diuidi, sed non eodem omnes modo, nec in ordine ad easdem denominationes. Nam cùm commune sit omnibus eiusmodi formalitatibus, vt per denominationem extrinsecam & nostram cogitationem diuidi, separarique possint; quomodo & animalitas à rationalitate, aliisque omnibus suis specificis differentiis; & diuina iustitia à misericordia, æternitate, &c. separatur; cùm aliquis conceptum genericum habet animalis, de specifica hominis, aliáve differentia non cogitans; aut conceptum habet diuinæ iustitiæ, non cogitans de misericordia, æternitate, &c. non tamen habent formalitates quæcumque à se inuicem separabilitatem in ordine ad existentiam, aut sui productionem. Nec enim animalitas existere, producíve potest seiuncta à suis omnibus specificis differentiis. Vnde vides quàm leue sit, ac friuolum illud argumentum, cui tanquam firmissimo innititur Ariaga, despectis aliis, quæ vulgò à Nominalibus non satis, vt putat, intelligentibus, proponuntur. Non minor est contradictio, inquit, inter cognosci & non cognosci, quàm inter existere & non existere, siue inter produci & non produci: sed inter existere & non existere, siue inter produci & non produci est omninò contradictio: ergo, &c. Neganda est maior illius syllogismi propositio; etenim sunt

aliquæ

aliquæ formalitates respectu quarum cognosci & non cognosci nequaquam sibi contradicunt. Quales formalitates sunt v. g. animalitas & rationalitas, misericordia diuina & iustitia, quæ virtualem habent distinctionem in ordine ad cognitiones nostras; in ordine item ad suarum diuersitatem operationum, &c. Potest scilicet animalitas cognosci ab eo qui non cogitat de rationalitate; potest & diuina misericordia ab eo cognosci qui iustitiam Dei ignorabit, vel etiam negabit. Habet item actiones animalitas à rationalitatis diuersas actionibus; habet & effectus diuina misericordia contrarios iis, quos habet iustitia. Quare in huiusmodi formalitatibus, cognosci & non cognosci; operari item & non operari, nequaquam contradictionem implicant; implicant tamen in iisdem existere & non existere. At in Trinitate ampliorem habent virtualis distinctionis realis latitudinem diuinitas & personalitas quælibet: neque in iis vlla est repugnantia inter communicari & non communicari, aut inter produci & non produci. Vt enim Diuinitas & Paternitas vnum sint entitatiuè simplicissimum, quemadmodum ipsa diuinitas & filiatio, ac diuinitas rursùs & spiratio passiua; nihilominus diuinitas communicatur, cùm nec paternitas, nec filiatio, nec spiratio communicentur. Rursum Diuinitas non producit, cùm producat Paternitas; item diuinitas non producitur, cùm producatur filiatio, &c. Hæc si Nominales, vt debent, attendant, eius imbecillitatem agnoscent discursus, quo probare Hurtadus nititur (sicut exposuimus *num.*2. superioris capitis) nullum ex mysterio Trinitatis sumi argumentum pro distinctione formalitatum seu rationum obiectiuarum, contendens posse in doctrina Nominalium bellissimè explicari mysterium illud, quod vt re existit cum formalitatum distinctione simpliciter virtuali, sic & concipitur explicaturque (inquit) à Nominalibus inducendo actualem distinctionem in solos conceptus formales, nullatenus autem in obiectiuos.

5. Superest vt ad id respondeamus, quod *num.*3. capitis præcedentis diximus addi ab Ariaga; nempe Thomistas fateri, nullas posse per intuitiuam cognitionem præcisiones dari obiectiuas; ac per consequens fatendum esse, eas nec per abstractiuam cognitionem dari posse. Ad illud dico, non nos, sed ipsos teneri respondere Thomistas. Et quidem non magno labore poterunt ipsi inter cognitionem intuitiuam & cognitionem propriè abstractiuam eas inuenire differentias, ob quas in illa præcisiones obiectiuas negent; in ista non negent. Nos verò non attingit illud Ariagæ argumentum, cùm fateamur, dari posse in cognitione etiam intuitiua præcisiones obiectiuas, quas ipse Ariaga, posito quod non repugnent in cognitione abstractiua, fatetur concedendas in intuitiua; illasque reipsa dari asserit in eo intellectu, qui clarè Trinitatem videat. Hunc enim vult præscindere naturam diuinam à paternitate. Quin etiam eò vsque progreditur, vt ab ipso intellectu diuino putet cognosci præcisè naturam, quæ nec producit, nec producitur, & paternitatem producentem, filiationem autem productam, &c. quod etiam Henricus, Canariensis, & partim Durandus censuerunt, eo quòd, vt ipsi volunt, Deus videat in sua entitate rationes,

quas potest inter se comparare. *Cur enim non comparet* (inquiunt) *suam iustitiam cum misericordia, filiationem cum natura, intellectum cum voluntate? Comparatio autem supponit, vel facit distinctionem extremorum.*

6. Nihilominus non est eò vsque progrediendum, sed dicendum cum sancto Thoma *q.7. de potentia, art.6.* & aliis communiter, intellectum diuinum, vtpote res omnes perfectissimo modo videntem, non posse ea distinguere, & vt distincta intueri, quæ sunt penitùs indistincta secundùm rem. Ratio est ex eodem Diuo Thoma, quia non aliunde prouenit prædicta distinctio, quàm ex imbecillitate & imperfectione intellectus nostri. Quare si in aliquo intellectu est tanta vis (quanta respectu Dei visi non est in Beatis iam creatis) vt totam simul cognoscibilitatem obiecti exhauriat, & intra eius actualem cognitionem tam benè possint vniri multa, quàm vniri potuerunt in reali virtualitate & æquiualentia ipsius entitatis simplicis; non poterit haberi cognitio vnius rationis, præcisis & incognitis aliis rationibus. Porrò quoties obiectum aliquod intuitiuè cognoscitur, non repræsentantur in illo rationes vt plures eo modo, quo vna simplici visione intuemur plura distincta obiecta. Vnde vides non posse Deum essentiam suam & paternitatem, quemadmodum nec alia sua attributa etiam tunc distinguere, quando ea cognoscit esse obiicibilia, vel etiam actu obiici nostris inadæquatis, multiplicatisque conceptibus. Quamuis enim Deus rectè intelligat quid & quomodo nostri intellectus circa attributa diuina operentur, & videat per eos ipsa distingui; non tamen sequitur quod ille id intelligendo & videndo, distinguat pariter nobiscum huiusmodi attributa, & habeat eorum repræsentationem vt distinctorum. Sicut ex eo quod Deus cognoscat nostros intellectus discurrere, non fit ipsum etiam Deum discurrere & inferre conclusionem ex antecedenti. Vt enim haberet eosdem conceptus obiectiuos, quos videt nos habere, oporteret illum habere formales, qui similes essent nostris formalibus, cùm per tales formales solos, obiectiui tales haberi possint. Aliud siquidem est cognoscere, quod res aliqua sit in intellectu humano, & cognoscere illam eo modo, quo est in intellectu humano, seu habere similem eius expressionem. Idque constat ex eo quòd Deus cùm videt te assentiri rei falsæ, te hallucinari, tę facere secundas intentiones, entiaque rationis, non habeat similia verba mentis, quæ in te cernit.

8. Hanc nostram doctrinam non minùs expresse, quàm eleganter tradidit Bernardus *lib.5. de consideratione*, ante finem. *Nobis autem* (inquit) *dum contendimus apprehendere in Deo vnum, occurrit veluti quadruplicatum. Facit hoc speculum & ænigma, per quod solùm videre datur: cùm autem videbimus facie ad faciem, videbimus sicuti est. Nec enim iam tunc fragilis facies mentis nostræ, quantumlibet vehementer intendens, aliquatenus resiliet, dissilietve in suam pluralitatem; colliget se magis, adunabit, conformabitque vnitati illius, vel potiùs vnitati illi, vt vna vni facies respondeat faciei.* Hactenùs ille. Itaque asserendum omnino est contra sententiam Ariagæ, quam suprà retuli *num.5.* intellectum diuinum, aut quemcumque etiam creatum, qui clarè Trinitatem videat, non posse præscindere naturam

ram tribus communem personis à paternitate, &c. Neque etiam Deus, quando in mente nostra intuetur præscindi huiusmodi obiecta, potest ea vt distincta videre. Sed nec videt intellectum suum generare & non spirare; voluntatem autem spirare & non generare; quandoquidem intellectum & voluntatem non concipit vt duo, & vt iis nominibus subiacentia. Quid ergo? Certè concipit entitatem indiuisam ac simplicissimam; quæ non obstante sua indiuisibilitate, ac vera, formalique simplicitate, virtualem habet mirabiliter amplitudinem, ratione cuius amplitudinis illa ipsa manens idem & indiuisa, possit esse simul diuinitas, constituendo essentialiter Deum; possit etiam generare, intelligendo; spirare volendo; item communicari Filio, & simul non communicari; idque sine contradictione, ob virtualem tantæ, tamque augustæ realitatis multiplicitatem; quam realitatem nos cogitare absque rationum obiectiuarum distinctione nequeamus.

CAPVT IX.

Vt inter lethalia peccata omnes aliquo modo hæreses; sic inter hæreses speciali modo impietas Antitrinitariorum conatur essentiam, existentiamque Dei directè corrumpere. Moralis consideratio.

1. QVod passim ab eorum plerisque, qui pietatem studiosiùs quàm scientiam profitentur, asseritur, eos omnes qui lethalibus se peccatis obstringunt, tam nefarium, tantoque imbutum odio Diuinitati bellum indicere, vt supremum illius Numen, pro eo quantùm possunt, directè velint extinguere, & ad nihilum redigere; id à doctis, qui subtiliùs ea disputant, nequaquam conceditur, sed penitus improbatur. Nec enim eam nefariam Deum extinguendi voluntatem in quolibet peccato interpretari aliter quis posset, quàm quòd ei qui scelleratè agit, commodum & optandum aliquo modo foret, vt Deus id, quod ab illo committitur, ignoraret, ac pœnas ab improbis vel nollet, vel non posset repetere; qua sanè ratione essentialis eriperetur Deo tum scientia, tum sanctitas, tum summa potentia. At verò tantam inferre Deo iniuriam non omnes illi directè intendunt, qui eius præcepta perfringunt.

2. Nihilominus dubium non est, quin Deum expugnare, illique de suæ perfectionis arce deturbato interitum inferre prima illa, omniumque parens hæreseon contendat impietas, quæ eò prorumpit audaciæ, vt subductis diuinarum perfectionum rationibus, ius sibi assumat in ipsam diuinam naturam inquirendi, & illi vel subsistentiarum pluralitatem, vel naturæ singularitatem denegandi; sicque suo statuat arbitratu qualiter subsistentem, vel quotuplicem Deum esse velit. Illam porrò primigeniam hæresim cæteræ omnes vt parentem suam hæreses aliquo modo imitantur; cùm enim catholicam aliquam veritatem impugnant, Deum ipsum catenùs de medio tollere nituntur, quatenùs eam aut veracitatem, aut locutionem, quæ idem cum ipso Deo est, perimere, ac nullam esse contendunt. Atque ita sicut fides

(vtpote virtus Theologica) obiectum formale sectatur, quod increatum sit; ita omnis hæresis illud ipsum insectatur, & perimere nititur increatum obiectum. Quando enim recusat quippiam Deo credere, id vel à Deo fuisse reuelatum fatetur, atque sic Deo, cui contradicit, veracitatem ipsi essentialem denegat; vel reuelatum fuisse diffitetur, atque ita reuelationem, id nimirum quod ipse Deus est, nullam habere asserit existentiam. Atque sic tam hæresis, quàm theologica fides Deum directè respicit; negandum illa, vt ista credendum.

3. Porrò hæreticorum illa diuinam seu testificationem, seu veracitatem de medio tollendi temeritas proditur maximè in sacrorum deprauatione librorum, quos Tertullianus ideò libros hæreticorum nuncupauit, quòd hæreticis ea semper prima cura fuerit, vt Scripturam sacram iniustè sibi tanquam suam vindicarent; atque eam semel occupatam, suoque velut vinctam præsidio non secus ac stationarij milites instar propugnaculi tuerentur, sacra polluentes oracula; & ex Dei vocibus argumenta conficientes, quibus earumdem vocum sententiam euerterent, & mentitum esse Spiritum sanctum ipsiusmet probarent Spiritus sancti testimoniis. Quam in Marcione proiectam audaciam cùm Irenæus accusauit, tùm verò asperè imprimis Tertullianus, qui illum ait *in sacros furentem, irruentemque libros, exertè macharâ, non stylo vsum esse, & stragem solitum edere, non verborum tantùm versuumque, sed & integrarum etiam paginarum, quas sibi sentiebat obsistere.* Quod si is hæreticorum furor non semper diuini verbi exteriùs sonantis literas syllabasque disturbet; nunquam tamen in vtendis libris diuinis se tenet, quin dum videtur literæ parcere, spiritum eius suffocet; *nec minùs veritati scriptis commendatæ obstrepat eorum adulter sensus* (vt idem loquitur Tertullianus) *quàm corruptor stylus.* Atque ita dum in vocum angulis & literarum apicibus insidiæ struuntur, Scripturæ bonæ intelliguntur non benè, doctrinamq; videntur refellere quam continent, atque Christi fidem falsis contra seipsas armatæ opprimunt testimoniis.

4. Quo Scripturarum abusu illi maximè, contra quos hîc congredimur, Ariani, Sabelliani, Macedoniani, &c. ex Christi, Prophetarumque verbis suorum argumenta dogmatum, velut ex arena funem texere conati sunt. Non enim in Deo aut naturarum pluralitatem, aut vnitatem personæ aliâ, quàm diuini Verbi authoritate inducere voluerunt, & *tanquam Iudaïci caupones* (vt Ambrosij locutionem vsurpem) *miscent aquam pestilentem vino, quo Scripturarum torcularia saluberrimo redundant.* Qua sanè plurimos arte in errorem induxêre. Quoniam enim verba, quæ callido, artificiosoque contextu collocant, ex sacris paginis sumpta ferè sunt omnia, nihil eos proponere, nisi quod à Spiritu sancto profectum sit, imperitorum vulgus existimat; non intelligens iisdem posse per diuersam accommodationem verbis, & verâ Deum, & falsâ dæmonem loqui. Exempli gratiâ, cùm Ariani locum illum ex Ioannis capite 14. producunt, *Pater maior me est*; aut illum, ex Prouerbiorum capite 8. iuxta lectionem L X X. Interpretum, *Dominus creauit me* (ἔκτισέ με, pro eo quod legitur in vulgata, *possedit me*, ἐκτήσατό με.) Cùm item proferunt

ex

ex Ioannis 1. verba illa Baptistæ de Christo quasi facto, creatóque loquentis, *qui ante me factus est*; cui consonat illud Pauli ad Hebr. c.3. *Iesum, qui fidelis est ei, qui fecit illum.* Vel cùm Sabellius Mosen obiicit *Deuteron. c. 6.* dicentem, *Dominus Deus Israël Deus vnus est.* Et cùm alia similia varij pro se colligunt hæretici; *impietatis causas* (vt loquitur Hilarius lib. 11.) *de salutis nostræ veritatisque diuinæ sacramento arripientes*; proponuntur quidem ab illis ea loca, quæ in Scripturis legantur, sed quæ dum ab ipsis proferuntur, non iam Dei, sed verbum sint diaboli.

5. Quod appositè Epiphanius explicat ductâ emblematis, operisve alicuius tessellati aut segmentati similitudine. *Si Imperatoris*, inquit, *imago ex tesserulis à perito artifice fuerit elaborata, quispiam verò effigie hominis dissoluta, & tesserulis iisdem transpositis, aliterque collocatis turpem bestiæ speciem exprimat; non poterit sine fraude imperitis suadere, illam (quòd eadem segmenta habeat, iisdemque iuncta sit & conflata partibus) esse Imperatoris ipsam imaginem à perito artifice affabrè factam.* Similiter quando hæretici ad ridiculas anilesque, quas consuunt, nugas verba trahunt corrogata hinc & illinc ex Scripturis, & in alienas translata sententias; immeritò deinde, nec sine maxima simplicium, incallidique vulgi fraude diuinas iactant reuelationes suis illigatas esse somniis. Ex quo fit vt diuinis libris quamdiu hæreticorum teruntur manibus, nihil periculosius sit, neque pestilentius. Cùm præsertim experiamur illos, qui semel odore teterrimo ab ea, quam hæretici ex puro Scripturarum fonte fecerint, cloaca imbuti fuerint; errorem suum tanta obstinatione tueri, nulla vt Theologorum procuratione, nullis Ecclesiæ suffimentis expiari possint.

6. Vt autem percipiatur, quanto mortalium nocumento aniles suas ineptias pro diuinis oraculis nugiuendi isti publicent, atque vt vniuersum genus veteratorum huiusmodi intelligatur, attendendum est, cùm duo sint Christianæ Sapientiæ capita, quorum alterum in cœlestium reuelationum speculatione consistit, alterum in vsu, exercitationeque virtutis; quæ potest in illo priori capite, quod mera contemplatione doctrinæ sacræ continetur, maior impietas reperiri, quàm si de rebus diuinis sua quis figmenta velut afflatu Spiritus sancti, propheticoque instinctu fusa proponat? Quid, si tibi quis, Christianum se profitens, diuinitatem esse aliquam affirmaret, omnium, quæ cogitari possunt pessimam, malorumque naturalem ita causam, vt nihil possit ab ea, quod non sit detestabile proficisci? Eam vtique execrarere blasphemiam. At talem censuit Manes fuisse Deum, qui corpus creauit hominis; Eamdemque Deo Hæbreorum, & mundi huius Architecto intulerunt iniuriam primo post Christum natum sæculo Cherinthus, Basilides, Saturninus, necnon eos deinde imitati secundo sæculo Cerdon, huiusque Marcion discipulus. Quid, si quis montem, ex quo apud Danielem abscissus est mysticus lapis, diabolum esse, atque ita Christum ex diabolo promanasse, diabolique frustum esse putet? Hominem illum ab ipso diabolo sopitum somniare dices. At, nisi apud Baronium ad annum 406. Diuus mentitur Hieronymus, fuit illud Vigilantij somnium. Quid, si for-

tè aliqui Christum affirment serpentem illum extitisse, qui venenatis Euam sibilis decepit? Furorem id esse exclamabis. At si Diuo (apud eumdem Baronium *ad an.* 145.) Augustino fides, illum furorem (à quo nomen traxerunt) Ophitæ furebant, quos & Epiphanius refert, professos ideò serpentis cultum, quòd is humano generi cognitionis & scientiæ causam attulerit. Quis verò pessimos ex omni memoria homines, Cainum, Sodomitas, Core, ipsumque nominatim Iudam pro sanctis haberi, nisi ab insanis, & quàm illi fuerint, peioribus potuisse credat? Non defuere tamen Hæretici qui Cainum, à quo nomen traxerunt, in numero Sanctorum reponerent, & Iudam coniunctè, aliosque scelerum ignominiâ notatos diuinis laudibus religionibusque consecrarent; detestatâ interim Abelis, Mosis, aliorumque memoriâ, qui sanctimoniæ laude floruerunt.

7. Sed omissis illis priscis, ne noster hic sermo in longius ducatur, hæreticos eos, qui nostrâ non sint antiquiores memoriâ inspiciamus; nihilo certè saniores inueniemus. Quid Ioanne Caluino? quid Petro Martyre facias? qui Deum, *à quo est omne bonum optimum*, cui Psaltes canit, *Deus non volens iniquitatem tu es*, fecerunt authorem omnium scelerum ac flagitiorum. Si mente motos iudicaturi essemus eos, qui Solem, cuius candor splendore complet omnia, eripere diem, obducereque tenebras defenderent; qui aquam ignibus conglaciare, flammisque concrescere assererent; quantæ condemnabimus amentiæ illos, qui voces in Deum tanquam authorem peccati contumeliosas non dubitarunt euomere? Neque verò æquiores dabimus aures Nouatori illi Iansenio, qui Caluini, Luterique studiosè peruolutatis monumentis, quâ in iis doctrinâ se imbuerat, eam deinde totidem, quibus illic legerat verbis, quasi Orthodoxam exposuit; & in Doctores Catholicos passim petulanter inuectus, inter alia nihilo saniora, Deum, velut immanissimum Tyrannum, asseuerauit æterna de illis sumere supplicia, qui gratiâ necessariâ exclusi, & antecedenti, cui obsisti nequeat, cedentes necessitati peccauerint. Cuius mali corui peiora oua, Christianæ pessimo Religionis, passim aliquandiu vidimus excludi.

8. Porrò exitiabiliores non sunt hæretici in prædicta diuinarum rerum speculatiua doctrina, cùm Ecclesiæ dogmata ad sui sensus normam dirigere corrigereque præsumunt; quàm in practica cognitione, quæ circa vsum humanosque actus versatur: quamuis cùm primùm hæresis aliqua prodit in medium, studeat se ad omnem honesti speciem fingere; eiusque professores ementita virtutum exempla præferant, & ita conentur bonam in vulgus cum quadam sui admiratione famam colligere. Sicut de Ario dicitur cùm Alexandriæ quamdam velut Parochus administraret Ecclesiam nomine Baucalidem. *Is enim tali describitur ab Ecclesiasticis historicis charactere. Staturâ valdè longus, subtristi specie, pietatem præseferens, colloquio dulcis, vanitatis & gloriæ amans, cultu, vestituque ad Ecclesiastica modestia formam composito*; hoc est, Christianus erat, cæterà bonus; nisi quod internecinum Christo bellum indixerat, & blasphemam in illum doctrinam euomebat; quâ lue septingentas adolescentulas virginitatem professas infecit;

cit; eaque pestis Diaconos, & Presbyteros non paucos, quin & Episcopos afflauit. Qui Episcopi, quòd Nicænæ in illum damnationis formulam subscribere denegarent, eo nomine damnati sunt.

9. Cæterùm licèt hæretici multos eâ decipere conentur ostentatione virtutis, quam vultu sustinent, tamen impietatem occultare sic nequeunt, quin eam prauitate mentis excæcati propalam ostentent, & sub virtutis nomine impurissima profiteantur, venditentque flagitia. Qui primis Nouatores apparuere temporibus, ij cùm per singularis cuiuspiam sapientiæ simulationem sibi Gnosticorum (hoc est eruditione, scientiaque insignium) nomen inscripsissent, non bipedum solùm, sed etiam quadrupedum impurissimi, omni se fœdauerunt obscœnitatum genere, quarum infamiâ vniuersum Christianorum nomen aspergeretur. Tanto enim fœtore mundum velut pestilentes cloacæ impleuerunt, vt ipsos etiam Ethnicos ea lues in admirationem traduxerit; summamque Christianis, in quorum se haberi numero illi volebant, intulerit ignominiam. Adeò vt quisquis comperirietur esse Christianus, cum Infideles omnes haud secus, ac auspicium malum execrarentur, & illius vel aspectus contagionem fugiendam sibi ducerent. Obseruantque Sancti Patres, Irenæus & Epiphanius, quibus addendi sunt Origenes & Eusebius, fuisse dæmonis illud in suscitandis hæresibus consilium, vt earum sordes cum Ecclesiæ Catholicæ splendore permisceret; atque eadem in hac esse videretur, quæ in illis viuendi peruersa doctrina. *Hoc genus hominum*, inquit Epiphanius, *ad Ecclesiæ probrum Satanas adornasse videtur, ac submisisse, vt illorum sceleribus offensæ nationes, vniuersos, qui è sancta Dei Ecclesia sunt, tales esse sibi persuadeant.*

10. Ex illa ergo flagitiorum omnium importunitate, qua Ggnosticos concretos esse constabat, factum est vt ipsi Catholici putarentur detestabilia in fœminas masculosque flagitia committere, quæ nec verbo quidem exprimere liceat, τὴν ἀῤῥητουργίαν καὶ πᾶν εἶδος ἀνδροβασιῶν, καὶ λαγνιστέρων ὁμιλιῶν πρὸς γυναῖκας, vt loquitur sanctus ille Pater. Hinc longa in omnes Christianos calumniarum series, quarum aliquas apud Minutium Cœcilius virulentæ dictionis contextu illigat. Itaque propter hanc infamiam, quam vniuerso Christiano nomini illud hæreticorum propudium intulit, Gentiles testatur idem Epiphanius tam abalienato à Religionis nostræ professoribus fuisse animo, vt *nullam cum iis vellent, neque dati, neque accepti, neque consilij, neque audiendi Verbi diuini societatem coniungere:* οὔτε ἐπὶ κοινωνίᾳ χριστιανοῖς προσφέρονται ληψοδοσίας, ἢ γνώμης, ἢ ἀκοῆς λόγου θείου.

11. Porrò cùm Antitrinitariorum, contra quos hoc toto libro congressi sumus, impietas, quæ Numinis æternam, immortalemque substantiam conatur perimere, principium sit omnium hæresum; quandoquidem, si earum ortum ab vltimo repetamus initio, comperientur omnes non alia defixæ esse radice, quàm quod diuinitatis ignoretur impugneturque veritas; necessarium est vt quicquid erroris, siue quoad rerum credendarum speculationem, siue quoad agendarum praxin aliis in hæresibus reperitur, id omne, eoque ampliùs, in hac velut principe hæresi,

resi, tanquam in suo capite, reperiatur. Et quidem execrabilius cogitari nihil potest, quàm si Filio Spirituique sancto diuinitáte denegata, Patri fœcunditas, & ipsa etiam (quod consequens est) diuinitas denegetur; atque ita, tribus omnibus personis de medio sublatis, nullus supersit qui existat Deus; & in hominum opinione merus atheismus, imò quid atheismo peius, relinquatur. Sanè quâ item parte hæc Trinitatem dissoluens hæresis ad Tritheitas pertinet, ac simplicitatem vnitatemque diuinitatis in tribus personis inficians, tres Deos propriè dictos agnoscit; omnem Atheorum impietatem complectitur: Ἀνάγκη γὰρ πολυθεότητα ἀθεότητα εἶναι. ὥστε τὴν πολυαρχίαν εἶναι ἀναρχίαν, inquit Athanasius. Nempe vt in plurium summo principatu nulla esse potest vera gubernatio, & nullus, qui verè summus sit, Princeps; sic in Deorum multitudine, nullus Deus. Et optimè Tertullianus: *Deus, si non vnus est, non est; quia dignius credimus non esse quodcumque non ita fuerit, vt esse debebit.* Itaque qui verum non colit Deum, nullum colit; sicque Atheus est, quàm multoscumque habeat falsos, & solo mendacio Deos.

12. At prætereà quæcumque hæresis veritatem Trinitatis impugnat, aliquid atheismo deterius continet, atque peruersius. Cùm enim Diuinitatem, siue Tritheitæ multiplicant; siue secundæ tertiæque personæ Ariani denegant; siue Sabelliani diuinas personas confundentem inducunt, non modò veræ diuinitatis Religio ac opinio de medio tollitur, sed etiam in legitimi, verique Numinis solio chimæra collocatur adoranda; atque sic horrenda idololatria, portentumque impietatis, quale nullum audaciore sacrilegio cudi potest, inducitur. Id autem videtur tantò superare impietatem Atheorum, qui verùm Deum ita simpliciter amouent, vt non in eius locum ascititij cuiusquam aliûs Dei numen intrudant; quantò ille aduersùs suum legitimum Regem contumeliosiùs iniuriosiusque faceret, qui non sat haberet eum imperio excludere, sed prætereà in ipso eius loco tyrannum collocaret, ac in regali sella cum purpura, sceptroque coronatum exhiberet. Nec dubium, quin is maiorem in te illaturus esset iniuriam, qui postquam domo tuâ præcipitem te egisset, illam continuò traderet occupandam alteri; aut (quod olim de Clodio Tullius querebatur) religione aliquâ, velut ad omnem postliminij spem adimendam, obligaret.

13. Quemadmodùm summæ fastigium impietatis est in Trinitatis ignoratione, falsaque eius opinione versari; sic & summæ caput felicitatis est trium distinctarum personarum, & vnius indiuisæ Trinitatis confessio, quâ omnem Antitrinitariorum hæresin detestemur. Quorum triplex est secta, nempe Sabelliana, quam Nazianzenus vocat θεότητος συστολὴν, καὶ συναίρεσιν, hoc est contractionem, confusamque collectionem Diuinitatis, necnon ἀθεΐαν, quatenùs dum cunctas personas confundit atque commiscet, singulas seorsim nihil esse contendit: ἓν τὰ πάντα, ἢ μηδὲν ἕκαστον ὁριζόμενον. Est & Sabellianæ sectæ Ariana non impar impietas, quam iure idem Nazianzenus Ἰουδαϊσμὸν appellat, quòd perinde ac Iudæi vnam solùm agnoscat veræ, propriéque dictæ diuinitatis personam; quam item Ἰουδαϊσμοῦ appellationem

lationem Basilius pari iure tribuit Sabellismo. Tertiam sectam Trinitatis inimicam, nempe Tritheitarum, idem Nazianzenus πολυθεΐαν nominat, & ad Ethnicismum relegat. In tuo itaque numine (ô Trina vnitas, & indiuisa Trinitas, summe, vniceque Deus) distinctionem eam personarum, quæ & aduersùs Sabellianos maxima, & aduersùs Tritheitas minima sit, adoramus. Maior quidem nequit esse distinctio, quàm ea quæ inter extrema oppositionem, & tantam, ne vnum queat esse aliud, repugnantiam inducit; quanta reperiri nulla potest inter vllas res alias disiunctissimas. At nec minor potest esse dictinctio, quàm illa, quæ res plures tam paruo à se inuicem interuallo discludit, vt nec earum intimam copulationem dirimat, nec obsit, quominus ipsas amplexa, cumiisque complicata singularis diuinitas, ad quamdam mediatam identitatem reducat; ita vt ea duo, quæ à se inuicem oppositione inexpiabili diffident (scilicet numerus & vnitas) eam oppositionem ob summi Numinis reuerentiam sic intra Trinitatem deponant, vt supra omnem rationis naturalis opinionem illa ipsa duo non modò sibi inuicem placata, mitigataque concilientur, sed absque vllo alterutrius dispendio identificentur inter se, indistinctéque se habeant, & maneat (quemadmodum ait Nazianzenus orat. 12.) *τριὰς εἰς μονάδα ἀνακεφαλαιουμένη, ternarius numerus in vnitatem capitulatim collectus.*

CAPVT X.

De numero cum vnitate intra Trinitatem confuso. Mystica contemplatio.

1. Sanè cùm nullum maius cogitari possit naturæ intellectualis bonum, quàm amicitia, sine qua censeri non potest satis felix esse vlla felicitas; necesse fuit eo bono naturam illam non carere, cuius essentia in eminentissima bonorum omnium complexione consistit. Nec enim posset æternitas diuinæ ipsi placere naturæ, si in tam longinqua sæculorum infinitorum solitudine, nullius vnquam societatem posset sperare personæ, cum qua charitas paria sibi faceret esse omnia per suauissimam quà gaudiorum, quà consiliorum voluntatumque communicationem. Quandoquidem ergo amicitia nisi inter plures esse non potest, oportuit Deum non in retrusissimam æternitatem, desertissimamque solitudinem ita recondi, quin personas plures secum haberet, quarum iucundissima familiaritate gauderet. At verò nequaquam decebat huiusmodi adiunctas Deo Patri esse personas, quæ, tanquam vilium amicorum, ei non consortes, infra diuinitatis essent fastigium: quandoquidem non benè nisi inter æquales ac pares amicitia institui conciliarique potest; nec ea sat perfecta est, quæ non perfectionis conditionisque similitudine copulatur. Porrò aliunde cauendum & illud erat, ne similitudo illa atque æqualitas multiplicatis numinibus, Deo collegas æmulosve induceret.

Itaque cùm vis illa ſit veræ, perfectæque amicitiæ, vt plures inter ſe perſonas eò copulet arctiùs, quò ipſa excellentior eſt atque ſublimior; neceſſe fuit perſonas illas diuinas tam arctè conſtringi, vt in ſimpliciſſimæ ſubſtantiæ vnitatem abſque ſui ternarij numeri diſpendio confluerent, identitatemque contraherent inconfuſam.

2. Ex ſuperiùs dictis aduertere, mirarique poteſt cum Gregorio Nyſſeno fidelis anima, quo modo in eius inexplicabilis profunditate myſterij numerari & vnitas τρισυπόστατος poſſit, & ὁμοούσιος καὶ ἀδιαίρετος pluralitas non poſſit: πῶς τὸ αὐτὸ καὶ ἀριθμητόν ἐστι, καὶ διαφεύγει τὴν ἐξαρίθμησιν. Proptereà quòd, cùm ab Orthodoxis nec diuina Polytheiſmo multiplicatur, diuiditurque monarchia; nec Iudaïco ritu diſtinctio perſonarum aufertur, mediam ſemitam veritas Chriſtiana ſectetur, ex vtraque prædictæ impietatis extremitate id aſſumens, quod vtile eſſe poteſt; & hinc quidem cum Iudæis reprimat Polytheiſmi commentum, atque in multos Deos diſtractam ſuperſtitionem: inde verò Iudæorum perfidiam retundat, aſſumendo ex Polytheiſmi errore ſolum perſonarum diſcrimen; atque ſic in Deo perſonas numeret, non naturam; hocque modo contingere ait Gregorius idem Nyſſenus, vt extremi duo circa Trinitatem errores ita ſe habeant, vt error alter alteri (non ſecùs ac in quibuſdam oppoſitis morbis euenit) medeatur errori, θεραπευθείσης ἑκατέρωθεν κατ' ἀλλήλως τῆς ἀσεβοῦς ἀπονοίας. Ex his conficitur ſummam Religionis Catholicæ hanc eſſe, vt trium coniunctam diſcretionem, coniunctionemque diſcretam adoremus; idque quod in hoc myſterio paradoxum, atque humanæ rationis obſcuriſſimum eſt ænigma (ſcilicet numerum vnitatem eſſe) certitudine longè maiori credamus, quàm quod ante oculos propoſitum, aut per ſe lumine naturali notum occurrit; ἐπινοοῦμεν, inquit Baſilius epiſt. 43. καινήν τινα, ὥσπερ ἐν αἰνίγματι, καὶ παράδοξον διάκρισίν τε συνημμένην, καὶ διακεκριμένην συνάφειαν. Quid enim tam incredibile memoratu videri poteſt, quàm quòd vnitas in trinarium prouecta numerum, maneat vnitas; & trinarius ad vnitatem vſque contractus, maneat trifariam diſtinctus, quemadmodum eleganter dixit Thalaſſius Monachus: ἡ μονὰς μέχρι τριάδος κινουμένη μένει μονάς· καὶ τριὰς μέχρι μονάδος συναγομένη μένει τριάς· ὃ καὶ παράδοξον.

3. Quandoquidem diuini perfectio Numinis ſacro illo myſticoque continetur ænigmate, quo nec pluralitas ſingularitatem diuidit aut excedit, nec pluralitatem contrahit ſingularitas; neceſſe eſt in tanti ſublimitate ſplendoris omnem creatam cùm intelligentiam caligare; tùm loquendi facultatem deficere. *Senſus enim contemplatione*, vt ait Hilarius, *imperſpicabile diuinitatis lumen occacat; intelligentia capacitatem id quod nullo fine continetur, excedit; & verborum ſignificantiam increata natura conſumit.* Quare cùm omnem humani ſuperbiam ingenij extollentem ſe aduersùs ſcientiam Dei, redigi in captiuitatem oporteat, id tum præcipuè opus eſt, cùm illæ proponuntur veritates, quas de tuæ naturæ gloria reuelaſti, Deus meus; cuius excellentiam gloriæ ſub Trinitatis nomine Catholica per omnium gentium ac terrarum orbem confitetur, & adorat

Eccleſia.

Ecclesia. In tua Trinitate vnum veneramur numen & Patris, ex quo; & Filij, per quem; & Spiritus sancti, in quo omnia. *Patris & Filij & Spiritus sancti* (ait Augustinus lib.1. doctrinæ Christianæ, c.5.) *vna est substantia; vnus tamen non est alter. Eadem tribus potestas, eadem æternitas, eadem incommutabilitas, eadem maiestas. In Patre vnitas, in Filio æqualitas, in Spiritu sancto vnitatis, æqualitatisque concordia. Et tria hæc vnum omnia propter Patrem, æqualia omnia propter Filium, connexa omnia propter Spiritum sanctum.*

4. Cùm Trinitas aliud nihil sit, quàm trium vnitas; vt in trium, sic & in vnitatis contemplatione mysticum quid sua dignum veneratione pius Lector inueniet. Et quidem quod ad trium contemplationem attinet, in iis statim se ingenitus Pater adorandum offert, qui primum rerum omnium, quà increatarum, quà creatarum principium suâ nos omnipotentiâ ex nihilo produxit; tum vnigenitus Filius, qui principium ex principio sua nos humanitatis assumptione redemit; sanctus denique Spiritus Patris Filijque nexus, qui sua nos bonitate ad fidem diuinam vocatos, & sacramentis insignitos iustificauit, qui & à mundi abstractos illecebris sanctificabit, perficiet, solidabitque, ac tandem infinita sua miseratione ad cœlestia regna prouehet. Sic propriè personis singulis, prout à se inuicem distinctæ sunt, adscribi singula solent in nos collata beneficia; quæ tamen communiter conferunt vniuersæ in vnitatem collectæ, & vt in natura, sic & in actione, quâ se exteriùs ad creaturas porrigunt, indiuisæ. Nec ab se inuicem, cùm ad nos diuertunt, abstrahuntur; *Ad eum veniemus*, inquit Christus, *& mansionem apud eum faciemus.* Attende anima mea, quomodo Deus, cùm erga creaturas mentis ac rationis participes hospitalissimus sit, atque velut communis locus eas in seipso splendidissimè receptas contineat, tueatur, atque conseruet; mutuæ ius hospitalitatis cùm illis sancire voluerit, vt quæ per omnem æternitatem in ipso vita erant, in earum idem ipse mentibus aliquo modo viuat. Quis verò fortunati illius humani cordis sortem explicet, quod diuersori pateat tam illustri; cùm tres accipiet, & vnum adorabit, atque cum tribus ipsis vnum fiet sanctâ Spiritus vnitate. Quanto necesse est hominem illum perfundi gaudio, qui conscius sit in suæ mentis intimo recessu peragi totius Trinitatis penetrale mysterium, gigni & Patris excipi sinu Filium, & ab vtroque sanctum prodire Spiritum, atque alias in aliis exultare personas, cum plenitudine diuinæ quà communicatæ seu datæ, quà acceptæ participatæque substantiæ! Memoriæ proditum est Leonardum Lessium sapientiâ virum singulari, eam sibi Numinis speciem efformasse, vt lucem immensam animo comprehenderet res omnes intimè penetrantem; illamque veneraretur in sui sacrario cordis ita residentem, vt eandem quocumque pergeret sibi non tantùm eo modo haberet offusam, quo aërem volucres, & aquam in Oceano pisces; sed ipsam, quâ includebatur, includeret, abscondens se in eius abscondito, & ad ipsam in sui cordis conclaue secretius se conuertens.

5. Vt in trium contemplatione personarum adorandus est numerus ὁμοούσιος; sic & in substantialis con-

templatione vnitatis colenda summè est singularitas πισύπόςατ@. Vt enim paradoxum est, quod numerus ternarius (vt ait suprà citatus Thalassius Monachus) ad vnitatem contractus non desinit esse ternarius; sic & quòd vnitas ad ternarium producta numerum, vnitas esse perseueret. Hanc, quæ in Trinitate est, vnitatem asserit Dionysius *cap.* 1. *de diuinis nominibus*, esse *vnificam vnitatis omnis*, ἑνάδα ἑνοποιὸν ἁπάσης ἑνάδ@. *Vnitate autem sublata, interire necesse est omnia*, vt idem *cap.* 13. asserit: τῷ εἶναι τὸ ἓν πάντα ἐςὶ τὰ ὄντα: τὸ ἓν ἐςὶ πάντων ςοιχειωτικόν. καὶ εἰ ἀνέλῃς τὸ ἕν, ὐδὲν τῶν ὄντων ἔςαι. *Quapropter Scriptura Deum tanquam omnium causam sub vnius appellatione laudat. Vnus enim Deus est Pater, & vnus Dominus Iesus Christus, atque vnus idemque Spiritus per superabundantem totius diuinæ vnitatis indiuisibilitatem, in qua omnia sunt supraquàm vnita: quare ad ipsam omnia referuntur, à qua, & ex qua, & per quam, & in qua, & ad quam omnia sunt, & componuntur, & continentur, & manent, & conuertuntur.* Hæc Dionysius.

6. Quæ cùm vera sint, vt summus ille Theologiæ apex pronunciat, si de rerum physica vnitate loquamur; explorata veritas multò illustriùs eminet, si de morali animorum vnitate, & supernaturali per charitatem copulatione agatur. Si enim summa illa, quæ Trinitatem constringit, vnitas exemplar est & causa earum, quæ in natura reperiuntur vnitatum, & physicas omnes diuersitates colligit, atque constringit; multò magis censendum est mentes sanctas, Trinitatisque cultui addictas diuinam singularitatem, & trium personarum indiuisam charitatem, tanquam sibi propositum exemplar æmulari. Sic enim, vt sæpe iam commemoratus ait Dionysius, εἰς θεοειδῆ μονάδα συναγόμεθα καὶ εἰς θεομίμητον ἕνωσιν. Quod vnionis genus admirabile nulla vis vocum æquè exprimere potest, ac illa Christi ad Patrem pro nobis oratio, Ioan.17. *Vt sint vnum, inquit, sicut & nos vnum sumus. Ego in eis, & tu in me; vt sint consummati in vnum.* Tantam scilicet nobis Christus, & cum Deo, & inter nos coniunctionem exoptat, *vt ab ipso vnitas* (inquit Bernardus tract. de natura amoris) *vocetur, cùm ait: Vt sint ipsi vnum in nobis; tanta dignitatis & gloriæ, vt sequatur & dicat: Sicut ego & tu vnum sumus. Itaque nos oportet* (concludit citato antea loco Dionysius) *à multis ad vnum virtute diuinæ vnitatis conuersos singulariter laudare diuinitatem; & vnum quod est omnium causa*: ἑνιαίως ὑμνεῖν τὴν ὅλην καὶ μίαν θεότητα, καὶ πάντων αἴτιον ἕν. Id verò nobis in cœlum, & in sinum diuinitatis receptis tandem perfectè eueniet, vbi Beatorum mentes omnes in vnum velut in centrum lineæ confluent; eritque cœlesti toti Hierusalem participatio eius in id ipsum.

LIBER

LIBER IV.

DE PROCESSIONIBVS, ET *Originibus Personarum Diuinarum.*

POSTQVAM in præcedenti libro ea veritas sancita est cuius firmitate stat Catholicæ structura tota Religionis, tres nempe in Deo personas reperiri sic inter se distinctas realiter, vt nihilominus omnes in eiusdem singularis naturæ perfectissimam colligantur atque confluant numeralem vnitatem; consequens nunc est, vt processiones diuinas exponamus, quæ illam & distinctionem, & vnitatem pariunt, dum simul & personas inducunt non solùm distinctas, sed inter se oppositas; & naturam personis ipsis omnibus communicant eandem indiuiduam, ac sine multiplicatione simplicem. Itaque videndum nobis erit in hoc libro, quæ, & quot sint processiones? quodnam sit earum principium, siue remotum, siue proximum? ac demùm, quæ sit earumdem natura atque conditio.

CAPVT PRIMVM.

An, & quot sint processiones in Deo?

1. PRocessionis nomen (vt notarunt D. Thomas & Durandus *in* 1, *dist.*13. *q.*1.) à motu progressiuo, quo animalia ab vno loco ad alium procedunt, translatum videtur ad significandam quamcumque vnius ab alio tanquam à causa vel principio emanationem; & vsurpari solet tùm à Scriptura, tùm à Theologis ad eam explicandam habitudinem, quæ in personis diuinis reperitur; estque distinctionis realis inter eas fundamentum. Aliter verò à Catholicis, aliter ab hæreticis vsurpatur in hoc mysterio. Varij enim hæretici processionem sumpserunt pro quadam actione ad extra; atque ita Filium & Spiritum sanctum in creaturarum ordinem redegerunt. At processio, quam Ca-

tholici ex Scriptura sacrâ agnoscunt in Deo, non est intelligenda secundùm actionem transeuntem (inquit D. Thomas *q.26. art.1.*) qualis cernitur in corporibus; sed secundùm emanationem ad intra, eo modo, quo dum aliquid intelligitur, verbum rei intellectæ emanat intra intellectum à dicente & producente illud. Ea cuius naturæ & conditionis sit, ex sequentibus in hoc libro percipietur. Isto autem capite, quod duas habet partes, ostenditur earum existentia, & prætereà numerus.

2. Porrò licèt hoc ferè solo processionis nomine, prout quid commune est, pertinens tam ad Filij generationem quàm ad Spiritus sancti spirationem, contenti sint Latini Theologi; nihilominus plures habent Græci voces, quæ nomini illi respondeant. Dionysius quidem *cap. 3. de mystica Theolog.* emanationem diuinarum pesonarum vocat ἔκφυσιν & ἀναβλάστησιν: alij ἐκπόρευσιν, ἐκφοίτησιν, προϊέναι, προκύπτειν, προχεῖσθαι. Speciatim autem de Spiritu sancto vsurpatur sæpè πνοή. Addendum est prædictis nomen προβολῆς; quod quidem suæ proprium hæreseos fecit olim, turpique dedecore maculauit Valentinus; asserens Iesum productum ab Æonibus sic fuisse, vt horum quilibet suam velut stipem, ac symbolam in medium illi formando, perficiendoque congesserit per eam quam vocabat προβολὴν, siue prolationem. Quam Valentini amentiam etiam Ariani per calumniam Catholicis asserentibus, Christum à Patre generatum esse, impingebant. Hoc tamen προβολῆς nomen velut barbarum, & ex proprio Valentinianorum sumptum idiomate, atque velut habens corporearum ad extra actionum notionem, incorrupta Catholici sermonis integritas diu repudiauit, & procul à diuinarum explicatione processionum ablegauit, donec tandem hæreticæ notionis ignominiâ detersâ Sancti Patres illud in disputatione contra Arianos admiserunt, & ab hæreticorum iniustâ possessione postliminio reuocarunt. Vt enim scribit Tertullianus *lib.8. contra Praxeam*, non fuit consentaneum, vt quia Valentinus significatione προβολῆς, seu prolationis abusus erat; propterea *veritas Catholica vocabulo illo non vteretur; nec enim id veritas mutuata est ab hæresi; imò potiùs hæresis ex veritate acceperat, quod ad mendacium suum strueret.* Quare tandem nomen illud Patres Græci vsurparunt in explicatione processionis diuinæ, siue illius, quæ Filij; siue illius, quæ est Spiritus sancti. Quem Spiritum Pater & Filius dicitur προβάλλειν. Quo modo Nazianzenus *orat.35.* Patrem vocat, vt respectu Filij γεννήτορα, sic respectu Spiritus sancti προβολέα.

3. Vt processionum Diuinarum inuestigemus, ineamusque numerum, supponi debet primò, non omnia quæ reperiuntur intra Deum, capacia esse processionis. Nam constat naturam, & quicquid absolutum est, carere principio à quo procedat: quandoquidem natura ante omnem processionem supponitur, & rem nullam, à qua existat, supponere potest; cùm & ipsa rationem habeat primi entis; & formaliter per ipsam personæ omnes habeant, vt sint primum ens. Implicatque vt id quod absolutum est, procedat, cùm ipsa processio dicat relationem. Denique de fide est, naturam nec originare ad intra, nec originari. Constat secundò esse

esse in Deo aliquid relatiuum; seu aliquam personam, quæ sit processionis expers; nec posse omnes personas diuinas ab alio procedere. Nam vel procederent ab essentia; & hoc non: nam essentia non potest comparari cum personis vt principium ipsis oppositum, & ab iisdem realiter distinctum. Vel procederet ab aliqua persona, ita vt omnes personæ essent à persona; & hoc item dici non potest. Cùm enim in principiis processionum diuinarum, & personis diuinis non possit iri in infinitum, sistendum est necessariò in aliquo primo intra Deum principio, quod à nullo procedat; nisi velimus vnum aliquod principium circulariter ab eo procedere, quod ab ipso seu immediatè, seu mediatè processerit; quod manifestè tam contradictorium est, ac si vnum & idem à seipso procedere diceretur. Datur igitur aliqua persona improducta, nec procedens; atque talem docet fides Catholica esse personam Patris, vt habetur in symbolo Athanasij; Conciliis, Nicæno, Toletano V I. & X I. quibus adde Florentinum atque Tridentinum.

4. Dicendum vlteriùs est, vt implicat diuinas omnes personas originari, sic etiam implicare earum nullam ab alia persona procedere. Explicatur. Fingere quis posset tres personas talis conditionis esse, vt vnaquæque illarum ex se esset, & immediatè ordinem haberet ad essentiam: hoc est, vt essentia non priùs ad vnam personam improductam, posteà verò ad alias per ipsarum productionem pertineret; sed æquè immediatè respiceret omnes, vt cum iis identificaretur, & in iis subsisteret. Posset-que istud figmentum aliquo rationis colorari fuco. Nam diuinis personis tribuendus est perfectissimus existendi modus. Pertinere autem videtur ad personarum singularum perfectionem, si omnes principio careant; ex suo enim genere perfectius est existere à se quàm ab alio. Etenim si diuinitati repugnat existere ab alio, videtur ideò repugnare, quia existere à se perfectius est: non minor autem personalitatibus, quàm diuinitati tribuenda videtur esse perfectio; & quod diuinitati propter imperfectionem repugnat, repugnabit & personalitatibus. Sunt ergo personæ omnes improductæ, præsertim cùm non ostendatur id esse impossibile. Contrarium tamen adstruit præsens nostra conclusio iuxta fidem catholicam; quæ non tantùm affirmat Filium à Patre, & Spiritum sanctum à Patre Filioque procedere de facto, ac per consequens impossibile esse vt non procedat; quæ enim in intrinseca Dei constitutione de facto existunt, non possunt aliter existere: sed etiam (vt vulgò Theologi volunt) fundat distinctionem, quæ inter personas diuinas reperitur in eo, quòd vna procedat ab alia. Et quidem meritò. Nam si vna non procedat ab alia, non poterunt intelligi personæ oppositæ, & impossibiles inter se per realem mutuam relationem; cùm relatio in diuinis nulla possit esse realis (vt alibi docebitur) nisi per processionem, seu originationem realem. Si autem personæ non intelligantur oppositæ per relationem, non habebunt vnde distinguantur. Omnes enim perfectiones, quæ increatæ sunt, & nullam imperfectionem inuoluunt; si relatiuè aliis perfectionibus increatis non opponuntur, sunt perfectiones simplices, ac per consequens formaliter reperiuntur intra ipsam diuinitatem cum omnibus

bus personis indistinctæ, & immultiplicabiles, nec se excludentes ab vna eademque persona. Et quamvis in contrarium propendeat Scotus, ad istam nihilominus doctrínam tandem ipse delabitur, asserens *in 1. dist. 2. q. 5.* in Deo non esse ponendam distinctionem, nisi vbi repugnat esse identitatem; vbi autem non est oppositio, vnitas pertinet ad perfectionem. Ad figmentum igitur propositum anteà, dico illud esse merè chimæricum, & sine fundamento. Nec id, quod repugnat, & est contra diuinæ entitatis constitutionem nobis reuelatam, pertinere potest ad perfectionem. Esse verò personam ab alio productam, non impedit quominùs talis persona habeat summam perfectionem, sit independens, immutabilis, infinita, & habeat essentiam, quæ sit ens à se, & primum ens. Atque ex his constat pars prima capitis huius, an scilicet aliqua sit processio in Deo.

5. Circa secundam partem, dicendum est, duas esse processiones, cùm actiuas, tùm passiuas; tot scilicet, quot sunt personæ, vnâ demptâ. Non enim est persona vlla improducta, præter vnam: sunt ergo duæ passiuæ processiones. Nulla item est persona, quæ non sit producens præter tertiam: sunt ergo duæ actiuæ processiones. Hoc autem totum probatur primò ex definitione Ecclesiæ, quæ Filium à Patre, & Spiritum sanctum à Patre Filioque pronunciat esse personas productas & procedentes. Petiturque ex Scriptura; dicit enim de se Christus Ioannis 6. & 8. *Ego ex Deo processi.* Et de Spiritu sancto ait *Ioan.* 15. eum à Patre procedere. Eumdemque *c.* 16. indicatur procedere à Filio, his ipsius Christi verbis: *De meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Vnde & sibi vindicat idem Christus authoritatem Spiritum sanctum mittendi à Patre, *Ioan.* 15. Probatur secundò ex eo quòd non possit intelligi tres personas esse inter se distinctas propter oppositiones relationum fundatarum in origine, nisi duæ personæ sint procedentes, seu productæ, quæ aliam personam ab ipsis ambabus distinctam velut suum principium ita respiciant, vt earum item ambarum vna sit principium alterius. Quemadmodum reapsè accidit Filium & Spiritum sanctum sic respicere primam personam tanquam suum commune principium, vt Spiritus sanctus Filium respiciat etiam vt suum principium.

6. In tali autem trium personarum respectu, & habitudine duas interuenire processiones actiuas, & totidem passiuas, clarum per se est rem attentiùs consideranti. Vt enim secunda persona opponatur primæ, oportet vt secunda originetur, & prima illam originet. Atque sic habetur vna processio actiua, & vna passiua. Sed vlteriùs ad hoc vt tertia persona opponatur primæ & secundæ, requiruntur duo. Primò quidem, vt ipsa tertia persona originetur per originationem passiuam distinctam ab originatione passiua secundæ personæ: impossibile enim est, vt secundam personam originari, sit tertiam originari personam. Secundò requiritur vt eadem tertia persona respiciat originem, seu processionem actiuam, quæ distinguatur ab ea actiua, per quam originatur secunda persona: quod patet. Nam oportet vt ea processio actiua, à qua est, seu per quam procedit tertia persona, secundam personam præsupponat quasi principium; debet enim secunda persona originare

originare tertiam; nec alioquin haberet, vnde posset ab ea distingui, vt dicetur in loco. Ergo actiua processio, per quam originatur tertia persona, non est ea actiua processio per quam originatur secunda; atque ita conficitur, dari duas in Trinitate processiones actiuas, quemadmodum & duas passiuas. Cum hoc tamen discrimine obiter, sed valdè notando, quòd duæ processiones passiuæ distinguantur inter se realiter; vt personæ, quas suo modo informant, & cum quibus identificantur, sunt verè atque realiter duæ. At verò processiones actiuæ distinctionem inter se non habent realem, quemadmodum non distinguuntur inter se realiter intellectus & voluntas, quæ sunt earum principia, & cum quibus identificantur; licèt tamen processio actiua voluntatis communicetur Filio, cum hocque identificetur; & non ea processio actiua quæ est in intellectu.

7. Addi potest & noua ratio ex D. Thoma *q.27. art.5.* quâ non tantùm probatur esse duas modo prædicto, seu actiuas, seu passiuas processiones; sed etiam non posse esse plus quàm duas. Ea verò sumitur ex duabus potentiis, nempe intellectu & voluntate; in quarum solarum actibus immanentibus, vt iam suppono, fundari debent diuinæ processiones. Cùm enim non sit maior ratio cur intellectus processionem fundet, quàm voluntas, necessarium est in vtraque illa potentia processionem fundari; atque ita duas esse processiones cùm actiuas, tùm passiuas; & quidem diuersas, tam ratione formali & specifica (nam processio intellectiua veram habet rationem generationis, non autem processio, quæ est per voluntatem) quàm etiam entitate & realitate (si de processionibus passiuis sit sermo) cùm duo realiter distincti termini, nempe Filius & Spiritus sanctus, constituantur procedentes per suam quilibet processionem. Non possunt autem esse plures processiones actiuæ; non item passiuæ, quàm duæ; cùm non sint nisi duæ potentiæ à quibus oriri possint; & quælibet potentia (vtpote agens quanto potest maximo impetu) per vnicam processionem exhauriatur.

8. Nec reali processionum distinctioni obest, quòd potentiæ intellectiua & volitiua, in quibus fundantur, nullam habeant inter se in Deo distinctionem realem formalem, & actualem. Sufficit enim quod habeant realem virtualem & eminentem, vt fide certum est, & alibi docebo. Porrò ex eo quod processiones in Deo sint per immanentes actus intellectualis naturæ; in natura autem intellectuali non sint nisi duo genera actuum immanentium, scilicet per intellectum & voluntatem, colligit D. Thomas citatus, non posse plures in Deo esse processiones, quàm duas prædictas passiuas & actiuas. Obiicies. Possunt esse plures, quàm duæ, si concipiamus in vnoquoque genere duarum illarum processionum posse multiplicari ipsas processiones; & dari verbi gratiâ, plures generationes per intellectum, plures item spirationes per voluntatem. Respondeo id fingi non posse, quia in Deo (vt iam dixi, docetque sanctus Thomas) per vnicam processionem, tam intellectus, quàm voluntas habet terminum sibi adæquatum, à quo tota eius vis exhauritur, nempe Verbum & Spiritum sanctum. Licèt enim terminus productus per generationem

tionem non exhauriat omnem absolutè vim diuinam productiuam; nam restat vis adhuc productiua Spiritus sancti, tamen exhaurit totam vim intellectiuam; quemadmodum & Spiritus sanctus totam voluntatis vim spiratiuam.

9. Et patet, quia si generaretur secundus Filius, vel ille foret à primo solo Filio, vel à solo Patre, vel simul & à primo Filio & à Patre. Atqui non posset esse à solo primo Filio; nam personæ diuinæ ita se habent, vt secunda nihil possit producere, quod non producat simul prima; nec tertia, quod non simul secunda & prima. Quia quo modo opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa, eodem dici debet productionem ad intrà necessariò esse communem personis omnibus, quæ secundùm ordinem originis supponuntur ad talem productionem, seu processionem. Non posset item esse à solo Patre; nam sic præterquàm quod Filiorum generatio procedere deberet in infinitum (cur enim sisteretur in secundo Filio vel tertio?) nulla esset ratio distinctionis realis inter tales Filios, dicentes respectum ad idem principium, & non habentes inter se oppositionem originis. Non denique posset secundus ille Filius procedere simul & à Patre, & à primo Filio; inde enim sequeretur infinita multiplicatio filiorum; quia nulla foret ratio sistendi in secunda processione magis quàm in prima, nec in tertia magis, quàm in secunda, &c. Atque persimiles rationes locum habent etiam in processionibus voluntatis, ostenduntque non plures posse produci Spiritus sanctos.

10. Ex præcedenti veritate, eiusque probatione manifestè relinquitur non dari, nec posse dari in Trinitate plusquàm vnam personam, quæ processionem passiuam non habeat, seu quæ sit improducta; & rationes, quas ad id probandum, tùm D. Thomas *q.34. art.4.* tùm alij, & nominatim Henricus, ac Scotus apud Suarem *lib.1. cap.5.* afferunt, debent in iis fundari, quæ iam nos proximè diximus. Sic enim verbi gratiâ valere intelligitur, quod ait sanctus Thomas. Si essent plures personæ improductæ, fore plures Deos, quia scilicet illæ personæ improductæ (cùm non inter se opponerentur vt producens & productum) non haberent vnde distinguerentur, seu vnde multiplicarentur, nisi ex distinctione ac multiplicatione diuinitatis seu naturæ. Essent ergo plures Dij.

11. Ex superioribus item intelligitur valere alia ratio, quam idem sanctus Doctor addit: In omni materia debet dari aliquod primum: ergo & in diuina natura. Si autem essent duæ personæ improductæ, essent duo prima: ergo non possent esse vnius naturæ, & consequenter essent Dij. Qui discursus sumptus est ex D. Athanasio sic dicente; *Neque duo Dij, quia non duo Patres.* Qui enim duo principia introducit, is duo Numina ponit. Valet hic discursus quatenùs supponit, si duo sint improducta principia, ea non posse distingui in solis personalitatibus; & ad distinctionem personarum duarum debere dari vnius ab alia processionem, atque adeò ad distinctionem trium personarum debere duas necessariò interuenire processiones. Eòdem pertinent quædam alia, quibus nonnulli probant non esse posse personam improductam plusquàm vnam.

CAPVT

CAPVT II.

An processiones diuinæ sint per intellectum & voluntatem.

1. Hæretici, qui Personas Trinitatis esse asserebant, vel cum Ario substantiâ diuersas, vel cum Sabellio subsistentiâ confusas, processionum, seu productionum diuinarum nomina sic aduersùs orthodoxos calumniosè interpretabantur, quasi per ea declarare orthodoxa fides intenderet Filium & Spiritum sanctum partem esse diuisæ, dissectæque diuinitatis, aut improducti Dei dilatatam exporrectamque substantiam; ita vt Deus, perfectione sua varias in portiones decedente, extenuatus diminutusque maneat. Verumtamen Catholica mens longè semper abfuit ab illa calumniantium hæreticorum amentia, qui per speciem tuendæ immutabilis indissolubilisque naturæ diuinæ, ad omnem malitiam fraudemque contra Orthodoxos cogitationes suas versare consueuerunt. Quorum stultos atque impios pro numinis dignitate metus, & irreligiosam de Deo sollicitudinem non poterit is non ridere, qui aduertet nullum esse hîc posse dissecandi, minuendíve Numinis periculum; atque in humano ipso intellectu verbum ita posse produci, vt tamen sine rationalis diminutione substantiæ generetur diuerso à procreatione corporum ritu. Sanè cùm perfectionis notio (vt ait Cyrillus *thes.5.*) sit fœcunditas; & sigillum paternæ perfectionis sit Filius; πλειότητος γνώρισμα ἡ καρποφορία, καὶ σφραγὶς τῷ πατρὶ τοῦ εἶναι τέλειον, ὁ ἐξ αὐτοῦ υἱός; dici non potest summum ac perfectissimum ens, aut sterile esse, aut ita fœcundum, vt corporearum generationum legi conditionique subiaceat: cúmque fœcunditas in ea re consistat, vt viuens ex seipso, id est è propria substantia, secundùm naturam simile sibi generet, vt ait Damascenus *lib.1.* ἐστιν ἡ γονιμότης τὸ ἐξ αὐτοῦ, ἤγουν ἐκ τῆς ἰδίας οὐσίας γεννᾶν; consentaneum est, vt qui ex Deo procedit Deus, naturam accipiat, quam producens, nec nisi eamdem cum sua, nec nisi integram indiuisamque communicet: ita vt Deus nec seipsum generet, & tamen illum, qui idem secum est, generet Deum. Quod planè ita mirum est, & supra mentem omnem creatam ænigmati simile, vt in eo tota resideat huius inexplicabilis Mysterij difficultas.

2. Cuius difficultatis obiectu nullus est Sanctorum Patrum, qui quodam terrore perculsus expositionem suscipere processionum, originumque diuinarum non formidârit, suam in tanto Mysterio professus inscitiam. De his processionibus disputaturus Hilarius lib.2. *Æstuo*, inquit, *differor, hebesco, & vnde incipiam nescio. Nescio enim quando natus sit Filius, & nefas est mihi nescire quòd natus sit.* Quod & ipsum testatur de se Chrysostomus: οἶδα ὅτι υἱὸν ἐγέννησε, τὸ δὲ πῶς ἀγνοῶ. Quare nihil videtur nos in hoc argumento processionum decere magis, quàm silentium θεοῦ γέννησις σιωπῇ τιμάσθω, ait Nazianzenus *orat.35.* Quod & ipsum præscribit Chrysologus: *Processiones diuinas confitendum est; quomodo sint, tacendum est; quia quod secretum est, sciri non potest, quod clausum est, nescit aperiri; quod singulare est, non refer-*

tur exemplo. Quia tamen has omnimodè processiones nec à Christiano ignorari, nec à Theologo fas est omitti tacitas; nobis subeundum erit tenebrarum earum penetrale, in quibus nimio candore fulgentibus Deus posuit latibulum suum; atque in Trinitatis velut ingressi thalamum, arcana verba, quæ naturalis (vt loquitur Nazianzenus) ἀμβλυωπία videre vtcúmque permiserit, de his diuinarum personarum processionibus, Theologorum, Sanctorumque Patrum authoritatem secuti (imperitis quantùm licebit hominibus loqui) proferemus. Quod vt exequamur, & vt ex quanam intra Deum perfectione processiones hæ sumant initium, scrutemur,

3. Supponendum est, plurimas in Deo perfectiones, seu rationes ita posse distingui, vt in iis varia ipsius Dei exercitia, & actiones fundari concipiamus. In illo enim summo ente occurrit primùm spiritualis substantiæ perfectio infinita, & independens; in qua naturam, seu essentiam diuinam non pauci Theologi consistere formaliter voluerunt, ad eam comparantes attributa, velut quasdam proprietates. Occurrunt deinde ipsa attributa, & inter illa variæ potentiæ; intellectiua, appetitiua, executiua; actus etiam quidam immanentes, intellectio, amor, &c. Quæri ergo potest, in quibus formaliter diuinis perfectionibus, seu rationibus processiones personarum fundentur: hoc est, per quid formaliter personæ producentes originent eas personas, quæ ab ipsis procedunt.

Processionum principium non esse naturam solam vt distinctam ab intellectu & voluntate.

4. Durandus *in 1. dist. 6. q. 2.* & *dist. 10. q. 2.* existimauit personarum productiones non esse per intellectum, & voluntatem, sed per essentiam, seu naturam, provt ab illis distinctam; & contrariam doctrinam, quæ est communis Doctorum, pronunciauit esse imaginationem quorumdam non bonam, his motus argumentis. Primò quia produci Filium quidem per intellectus, Spiritum autem sanctum per voluntatis actum, non potest intelligi, nisi ille actus sit vel ipsamet productio, vel principium productionis; sicut calor dicitur in manu produci ab igne per calorem, & per calefacere; sed per calorem tanquam per principium productionis, per calefactionem tanquam per productionem. Atqui Filius & Spiritus sanctus produci non possunt per intellectus & voluntatis actum tanquam per productionem; nec tanquam per productionis principium. Non quidem tanquam per productionem: nam actus, quo Deus, seu intelligit, seu vult, est actus essentialis & communis omnibus personis: productio autem personarum est actus notionalis, nec omnibus personis competens. Præterea actus intelligendi & volendi sunt indistincti; productio autem Filij, & productio Spiritus sancti sunt actus distincti realiter. Non etiam tanquam per productionis principium: nam actus intelligendi, & volendi habet conditionem oppositam fœcunditati, cùm ex tali actu nihil aliud consequi possit, vt habetur *9. Metaphys.* Non ergo

ergo potest esse principium productionis.

5. Secundum argumentum Durandi est, quia exclusis à Deo per mentem nostram intellectu, & voluntate cum omnibus actibus suis, adhuc esset in diuinis generatio Filij, & spiratio Spiritus sancti. *Ita quòd hæc sunt in diuinis ex fœcunditate naturæ radicaliter; quam fœcunditatem habet ex sua infinitate, & non ex hoc quòd sit intelligens & volens.* Probatur. Nam secundùm idem proportionaliter competit fœcunditas creaturis & Deo: sed fœcunditas aliquid producendi competit creaturis, non ex hoc quòd sint intelligentes, & volentes; sed per aliquid aliud prius & communius; vnde & virtus generandi inuenitur in rebus inanimatis carentibus intellectu; & vbi inuenitur in rebus habentibus intellectum, hoc non est per intelligere, & velle: ergo similiter in Deo. Confirmatur: nam qualis est ordo rei inter differentia realiter, talis est ordo rationis inter differentia secundùm rationem: sed in creaturis, vbi natura, intellectus & voluntas differunt realiter, productio est realiter vi naturæ, & non vi intellectus, vel voluntatis: ergo sic est in Deo, in quo ista sunt differentia solùm per rationem. Hæc Durandus.

6. Qui author interpretatur, non alio sensu quàm accommodatitio, appropriatiuo, & analogico dici de Filio, quòd generetur per modum naturæ, & quòd generetur per intellectum; atque de Spiritu sancto, quòd producatur per voluntatem. Quia nempe, inquit, modus naturæ in creaturis est quòd vnum sit ab vno, & non à pluribus causis totalibus totalitate virtutis: quæ autem fiunt per voluntatem, possunt fieri à pluribus agentibus, quorum quodlibet habeat sufficientem per se virtutem; plures enim concurrunt moderando per voluntatem virtutem suam, sicut patet de pluribus trahentibus nauim, vbi vnus ad totum sufficeret. Cùm ergo Filius procedat tantùm ab vno; Spiritus autem sanctus à duobus, scilicet à Patre, & Filio; ita vt æquè perfectè producat vnus ac ambo simul, ideò Spiritus sanctus dicitur produci per modum voluntatis; Filius autem per modum naturæ. Cur porrò idem Filius per intellectum, seu vt Verbum; & Spiritus sanctus per voluntatem, seu vt amor, procedere dicatur; rationem hanc fingit. Quia in natura intellectuali prima emanatio est secundùm intellectum; alia autem sequens, in qua omnis terminatur emanatio (hoc est post quam non est alia vlterior) manens intra naturam intellectualem, est emanatio pertinens ad voluntatem. Vnde fit, inquit, vt illud, quod in diuinis procedit prima emanatione, dicatur procedere per modum intellectus ad intra; aliud autem quod procedit secunda emanatione & vltimá, in qua omnis emanatio diuina ad intra terminatur, dicatur procedere per modum voluntatis.

7. Contra sententiam Durandi (quæ Alogianorum hæresin sapit, & aliquam temeritatis saltem notam meretur, cùm in re tanti momenti singularis sit) docent omnes tam Sancti Patres, quàm Theologi, processiones diuinas esse operationes intellectus, atque voluntatis. Et verò quid aliud voluit Ioannes, cum Filium appellauit *Verbum*, quàm eum per dictionem & intelligentiam generari? Inde est, quòd idem Filius vocetur

in Scriptura *Sapientia Patris*; & dicatur *ex ore Altissimi prodiisse*; nomine enim oris in Deo aliud nihil præter intellectum potest significari. Expresse de eodem Filio dixerunt sancti Patres, ipsum generari per Patris intellectum, & ex memoria Patris procedere, vt Irenæus *lib.2. c.48.* Basilius *in 1. Ioannis*, Cyrillus *lib.1. in Ioan. c.5.* Augustinus *lib.5. de Trinit. cap.6. 13. & 14.* &c. Quod spectat ad Spiritum sanctum, nihil est vsitatius inter Patres & Doctores, quàm vt vocetur *amor procedens*. Idque Augustinus *15. de Trinit. c.17.* probat *ex 1. Ioannis 4.* vbi dicitur: *Charissimi diligamus inuicem, quia dilectio ex Deo est; & omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum. Qui non diligit, non nouit Deum, quoniam Deus charitas est.* Ait enim Ioannes duo, nempe dilectionem esse Deum, & eam ipsam dilectionem esse ex ipso Deo. Est igitur Deus (hoc est Spiritus sanctus) amor procedens. Sed hac de re aliàs: nec difficultas hîc est magna circa Spiritum sanctum vt voluntate procedentem, postquam obtentum est Filium intellectu generari. Nemo enim qui istud admiserit, negabit illud.

8. Pugnat etiam ratio contra Durandum: nam cùm diuinæ productiones debeant fieri perfectissimo modo, & modus producendi vitalis sit perfectior non vitali; debemus concipere Filium, & Spiritum sanctum procedere modo quodam vitali; qualis quidem erit, si processio fiat per viam intellectus, & voluntatis; non autem si fiat aliter. Non enim sunt aliæ potentiæ vitales in Deo præter has duas. Non potest item reddere rationem Durandus, cur duarum productionum diuinarum vna sit prior alterâ; & cur Filius ita producatur ante Spiritum sanctum, vt sit possibile deinde, ac necessarium ab illo simul cum Patre produci Spiritum ipsum sanctum. Non reddet etiam rationem, cur sola secunda persona sit Filius, & sola eius productio sit generatio; & cur solus Filius sit imago Patris; cur in sinu Patris. Ratio verò, quam prædictus Author reddit, cur Filius dicatur procedere vt Verbum per viam intellectus; & Spiritus sanctus per viam voluntatis, vt Amor, spectat ad quamdam accommodationem nimis voluntariam, & ad appropriationem parum solidam: nec probari debet vnius Authoris tanta in tali mysterio excogitandi licentia, præsertim cùm leuia sint quæ affert suæ doctrinæ fundamenta.

9. Quæ facilè euertes, si aduertas actum intelligentiæ, & actum voluntatis diuinæ spectari posse, vel essentialiter, & ita communes esse omnibus personis, & inter se indistinctos: vel notionaliter, & ita non esse personis omnibus communes. Nota cogi Durandum spectare similiter duplici modo naturam diuinam. Ea enim communis est tribus personis; & tamen non omnes personæ generant aut spirant. Porrò quamuis in creaturis ad actus immanentes nullus effectus sequatur, non tamen idem est in Deo. Notandum item est, non eamdem esse rationem fœcunditatis creaturarum, & fœcunditatis Dei. Quare mirum non est, si illa fundari non possit in actibus intellectus, & voluntatis; hæc verò possit. Negandumque est, quòd exclusis à Deo per mentem nostram intellectu & voluntate, adhuc esset in illo generatio, & spiratio.

CAPVT

CAPVT III.

Processiones diuinas esse ab intellectu & voluntate, vt constitutis in actu secundo.

CVM Aristoteles *lib.2. de anima, c.1.* actum, seu perfectionem (quam vocat ἐντελέχειαν) dicat vsurpari posse dupliciter, sic nempe vt sit *vel quasi scientia*, id est actus quidam primus; *vel quasi scire*, vt actus nimirum secundus; non debet nisi isto posteriori modo propriè dici in Deo intellectus & voluntas; nec enim animo percipere has perfectiones oportet, velut δυνάμεις, seu quasdam in actu primo potentias, quæ vlteriori forma perfici queant; sed quasi puros actus secundos; aut ἐνεργείας subsistentes, ac ex seipsis vigentes. Nihilominus quia cùm Deus intelligit, seu vult, non id faceret, nisi id posset, seu nisi vim id faciendi haberet; quod enim facit, sanè potest; ideò mos is apud Theologos obtinuit, vt cùm de diuinis processionibus disputant, vim illam verbis explicent tanquam actum quemdam primum, & ab actu secundo per mentem aliquatenus distinguere videantur: sic enim res distinctiùs, atque clariùs nostro percipitur modo, vt significat Suarez *lib.1. de Trinit. c.7.n.9.* Iuxta quam concipiendi, loquendique inter homines consuetudinem quæstio proponi solet, quam tractamus hoc loco circa principium diuinarum processionum; vtrum scilicet hæ cùm dicuntur (vt superiori capite iam vidimus) esse operationes intellectus, & voluntatis, censeri debeant esse ab intellectu & voluntate constitutis velut solùm in actu primo; an potiùs prout constitutis verè in actu secundo, ita vt immediatum processionum Principium sit diuinum intelligere, & diuinum amare. Et quidem sunt qui velint formale & immediatum earum principium esse potentias vt nudè conceptas, & non sub ratione actualis intellectionis, seu volitionis; sic tamen vt habeant omnia, quæ necessaria sunt ad ipsam actualem intellectionem, seu volitionem. Ita Scotus *in 1. dist.2. q.7.* & *dist.27. q.1. & 2.* necnon *quodlib.2.* Ita etiam Caietanus *q.27. art.5.* Canariensis *ibidem*, Vasquez *disput.12. cap.3.* & alij quidam.

2. Quamquam id Scotus diuerso ab aliis modo tenuerit. Nam à Patris memoria, seu ab intellectu diuino (atque idem cum proportione censendus est opinari de voluntate, vt ipse indicauit *quodlib.14.*) prout existente in actu primo, duas vult oriri immediatè operationes inter se disparatas, nempe intellectionem, quæ Deo essentialis sit, & communis omnibus personis; & præterea generationem, seu productionem Verbi, quam appellat dictionem. Quamuis duas illas nolit habere inuicem vllum ordinem principiantis & principiati; asserit nihilominùs intellectionem esse rationem priorem, quàm dictionem, quatenùs illa, & non ista, pertinet ad essentiam, & ad complementem naturæ diuinæ. Par est enim priùs nos concipere Deum esse in seipso completum quoad ea quæ se tenent ex parte naturæ, per quam Deus est, quàm communicare illam naturam, & generare personam alteram. Ratio cur Scotus duas actiones ponat in intellectu, intellectionem, & dictionem;

ctionem; duas item in voluntate, amorem, & spirationem; est quia cùm intellectio & amor sint actus communes omnibus personis, sequeretur omnes personas generare, & spirare, si generatio seu dictio non constitueretur diuersa ab intellectione, & spiratio ab amore. Quo argumento etiam suprà vtebatur Durandus. Prætereà intellectio, cùm sit propter se, non est productio termini, dictio autem est productio termini. Differunt ergo.

3. In hac sententia reprehensione dignum est, quòd dictionem ab intellectione ita distinguat, & diuidat, quasi duæ sint actiones disparatæ, & non habentes specialem coniunctionem ordinemve ad inuicem; nec velit dictionem esse Patris vt intelligentis reduplicatiuè, & formaliter; cùm tamen certum sit, Filium esse formaliter à Patre vt intelligente. Nam alioqui nulla erit ratio, cur Filius appellari debeat *Verbum & Sapientia Patris* (vt loquitur Scriptura) & *Sapientia genita*, vt loquitur Athanasius contra gregales Sabellij, & Augustinus *6. de Trinit. c. 1. & 2.* aliique Patres. Hæ enim voces, *Verbum, Sapientia*, important specialiter intellectionem, & cognitionem, tanquam Filij principium. Nulla item erit ratio, cur productio Filij vocetur *dictio.* Quidquid enim *dicitur*, oportet vt, quatenùs *dicitur*, intelligatur & cognoscatur: hinc fit vt in nobis dictio, si interna est, vel identificetur cum intellectione, cognitione seu cogitatione, quatenus vitalem terminum producente; vel saltem illam includat. Si autem externa est, vtpote vocalis, intellectionem & formaliter præsupponat, & significet. Eodem igitur modo in diuinis, vt *generatio* appellari possit *dictio*, seu *productio Verbi propriè sumpti*, necessariò debet vel esse formaliter intellectio, vel eam includere, aut præsupponere, & significare. Prætereà si illa actio, quam Scotus in Deo Patre dictionem vocat, nec est intelligere, nec cum intelligere specialem habet, aut maiorem connexionem, quàm cum aliis attributis; non apparet, quo titulo attribuatur potiùs intellectuali, quàm alij facultati: aut si tribuitur intellectui, id fit quasi materialiter, & non sumendo intellectum secundùm veram propriamque vitalitatem illius. Denique Concilia & Patres non solùm dicunt personas procedere per intellectum, & voluntatem; sed etiam per *intellectionem & volitionem*, vt Basilius in initium Ioannis, Cyrillus in Ioannem *cap. 5.* &c. In qua locutione particula, *per*, non potest aliud significare quàm principium, aut productionem. Vnde Augustinus, qui sæpè docet Filium gigni per notitiam, cum appellat *Sapientiam genitam de Sapientia generante.* Ait item Patrem & Filium *se diligendo producere Spiritum sanctum.* Et peto, num ipse Scotus processiones supponat esse ex intellectione, & dilectione, quando cum aliis Theologis quærit *dist. 32. q. 1. §. ad primum dico*, in solutione vltimi, *an personæ producantur ex cognitione & amore, tum sui, tùm creaturarum?*

4. Video posse dici in gratiam Scoti, *dictionem*, per quam producitur Verbum, habere in se quasi perfectionem formalem intellectionis: & Verbum ipsum, quod per eam producitur, esse quasi quoddam subsistens intelligere, quod nempe habet totam vim repræsentationis, & imaginis repertam in termino veræ propriæque

que intellectionis : cum hoc tamen discrimine, quia terminus propriæ intellectionis, siue ipsum intelligere, est quoddam verbum informans, non autem per se subsistens ; & ratione suæ informationis, quâ intellectum afficit, reddit formaliter intelligentem, concipientem, cogitantem : at verò terminus dictionis diuinæ (addo diuinæ ; nam dictio creati intellectus nulla est præter ipsam intellectionem, provt productiuam verbi informantis, quod est ipsum intelligere) censeri debet verbum subsistens, & non informans ; atque ideò non constituens intellectum intelligentem ; verumtamen ei, vt constituere posset intellectum intelligentem, nihil aliud deest, quàm informatio ; est enim in seipso intrinsecè imago omnium, quæ per diuinum intelligere repræsentantur, & exprimuntur ; quia scilicet procedens per intellectum vt constitutum in actu primo ad intelligendum, identificatur proximè & immediatè cum ipso intelligere, seu cum verbo informante ; totamque huius perfectionem, & vim repræsentatiuam accipit per suam formalissimè generationem, & sibi factam communicationem diuinæ naturæ, quà intellectiuæ, & intelligentis ; seu potiùs quà intellectionis, seu verbi essentialis.

5. Dico tamen, hoc totum non benè conuenire cum sententia Scoti, quæ intellectionem & dictionem constituit velut duas actiones, quarum vna non referatur ad alteram. Nam si verbum subsistens asseratur habere virtute suæ productionis totam vim & perfectionem, quam habet verbum essentiale, seu diuinum intelligere, excepta ratione informationis ; non possunt comparari verbum subsistens seu personale, & verbum informans seu essentiale, vt duo disparata ; nec actiones, per quas geminum illud verbum emanat (hoc est *dictio*, *& intellectio*) quasi duæ actiones, quarum neutra referatur ad alteram.

6. Reiecta igitur opinione Scoti, Caietanus, Canariensis & alij, quos sequitur Vasques sæpè citatus, aliam viam inierunt, quâ defendant, processiones diuinas habere pro principio immediato intellectum, seu memoriam (vt loquitur Augustinus) & voluntatem in actu primo ; nec præsupponere intellectionem aut amorem actualem. Quia scilicet volunt processionem Verbi, seu generationem, esse ipsammet *Patris intellectionem* ; processionem autem, seu productionem Spiritus sancti, *esse dilectionem, seu emanationem amoris, qui est in Patre & Filio*: ita vt sit verum, Patrem in Verbo suo videre & intelligere seipsum & alia ; atque Patrem & Filium in Spiritu sancto seipsum amare & alia. *Cùm enim*, inquit Vasques, *Pater ipsamet intellectione producat, & exprimat Verbum, rectè in eo, vt in termino producto, ipse, & nulla alia persona dicitur intelligere.* Hæc sententia fundatur in authoritate Augustini, qui *lib.15. de Trinit. c.7. &* 10. ait, *Verbum procedere ex memoria fœcunda*. Memoria autem est potentia intellectiua, & non actus. Secundò, in nobis principium producendi verbum mentis, non est intellectio, sed intellectus : ergo idem est in diuinis. Tertiò, cùm actio, quâ verbum personale producitur, sit intellectio quædam, & dictio ; ea non potest habere aliud pro principio, quàm intellectum in actu primo ; nec aliud esse, quàm essentialis intellectio. Si enim

ab hac distingueretur, & oriretur, essent in Patre duæ intellectiones; & intellectio produceret intellectionem. Porrò vt hi Authores explicent, quomodo nulli alij personæ id competat, vt Verbum producat, in eoque se & alia intelligat; asserunt intellectionem, & dictionem ita comparari inter se, vt dictio includat intellectionem, nec sine hac esse possit; contrà verò, intellectio possit esse sine dictione, vt de facto est in Filio, & Spiritu sancto. Atque idem cum proportione volunt de dilectione, & spiratione. Quo modo, licèt duos actus essentiales, & duos actus notionalis distinguant; non tamen propriè ponunt quatuor actus, cùm essentiales includantur in notionalibus.

7. Si autem petas, quid sit illud peculiare, quod habet intellectio, aut dilectio notionalis (quæ est productio) supra intellectionem, aut dilectionem essentialem? Respondet Vasquez *cap. 3.* illud esse solùm *Relationem productionis*. Nam præter ordinem, quem habet actio essentialis ad obiectum cognitum & amatum, notionalis habet alium respectum ad terminum productum. Simul enim versatur circa obiectum producendo terminum, & producit terminum intelligendo obiectum, aut amando illud. Nam quamuis intellectio, vt intellectio (& idem est proportionaliter de dilectione) non sit productio alicuius obiecti subsistentis; nihilominus aliqua intellectio (nempe illa notionalis) sic versatur circa obiecta, & sic constituit intelligentem, vt producat etiam, non quidem omnia obiecta intellecta, sed vnum aliquem terminum, quem simul respicit vt productum, & vt obiectum; hoc est, quem ita producit, vt eodem actu ipsum intelligat. Atqui in hoc apparet discrimen inter hunc terminum productum, seu *Verbum subsistens*, & inter *Verbum informans*, quo intellectus constituitur intelligens. Siquidem *verbum informans*, dum per intellectionem emanat, non intelligitur, nec cognoscitur, nec producitur per veram sui dictionem; ac per consequens non est in omni sensu & proprietate *verbum*: nam propriè *verbum est per dictionem.* Quare per ipsum quidem cætera dicuntur, & intelliguntur, & cognoscuntur; ipsum tamen propriè non dicitur, nec per actionem, qua producitur, intelligitur: estque opus noua actione, & reflexione, vt intelligatur. At verò *personale & subsistens verbum*, dum producitur, intelligitur ipsum, propriéque dicitur; & in eo cætera omnia, per quorum intellectionem producitur, intelliguntur, & dicuntur. Commune enim est inter Theologos enunciatum; *Pater dicit se, & creaturas Verbo suo*; *Verbum Patris repræsentat omnia intelligibilia, quæ in ipso elucent, & intuenda proponuntur velut in intellectionis termino producto, & cognito.* Nec verò propterea per tale *Verbum personale, seu per Sapientiam genitam*, vtpote non habentem esse formæ, Pater est propriè, formaliterque sapiens, sed per *Verbum essentiale*. Quamuis etiam aliquo modo dici sapiens potest intellectione notionali producente ipsam sapientiam genitam; quatenùs nempe ea intellectio notionalis includit in se formaliter tanquam partem sui ipsam intellectionem essentialem. Vnde fit, vt quicquid per hanc essentialem intellectionem inclusam in dictione, seu productione Verbi personalis cognoscitur,

id Patri per Verbum ipſum perſonale, quod talem dictionem terminat, dicatur.

8. In hac ſententia ſic ex Vaſqueſio explicatâ illud primò eſt inconueniens, quod ferè incidat cum doctrina Scoti ſuperiùs refutata. Nam quamuis aſſerat proceſſionem formaliter eſſe, aut continere intellectionem eſſentialem; tamen cogitur admittere, aliquid aliud præter intellectionem eſſentialem includi in dictione ſeu productione Verbi, nempe *Relationem productionis*, quæ relatio productionis, cùm nec ſit mera intellectio eſſentialis, nec eam poſſit habere pro fundamento proximo (alioqui talis relatio æſſet in omnibus perſonis) neceſſarium eſt, vt cum intellectione eſſentiali reperiatur quædam alia per rationem diſtincta vera actio productiua Verbi; quæ actio ſit vel relatio ipſa ad productum Verbum tranſcendentalis, vel certè relationis fundamentum. Atque ità ſi productionem verbi ſeu dictionem velis eſſe immediatè ab intellectu, quemadmodum & intellectionem eſſentialem; debes fateri duas dari actiones ratione diſtinctas, emanantes ab intellectu conſiderato in actu primo; quarum actionum ea quæ eſt præcisè productiua verbi perſonalis, non poteſt dici propriè intellectio; cùm Verbum non informet Patris intellectum, nec per illud Pater intelligat formaliter. Quæ eſt ſententia Scoti. Nec verò concedere potes productionem verbi oribi ab intellectione eſſentiali. Nam vis intellectionem ipſam eſſentialem includi intrinſecè in dictione, ſeu productione Verbi? Ergo illa non poteſt comparari cum iſta vt eius principium. Deinde vis productionem Verbi eſſe immediatè ab intellectu exiſtente in actu primo? Igitur non eſt ab intellectione; ſic enim eſſet tantùm mediatè ab intellectu, & incideres in noſtram ſententiam nunc explicandam.

9. Secundum inconueniens in hac ſententia eſt, quod ſine ratione pro principio immediato dictionis aſſignet intellectum in actu primo; hoc eſt non conſtitutum in ſtatu perfectiſſimo. Eſt enim perfectior intellectus quando eſt in actu ſecundo. Atqui conuenit vt principium immediatum & formale Verbi habeat omnem perfectionem, quam ratio non oſtendit repugnare. Tertium inconueniens eſt, quod non poſſit explicari, quomodo intellectio eſſentialis ſit ipſa productio Filij: nam vel quatenus concipitur vt actio metaphyſicè producens terminum ſuum, ſeu Verbum eſſentiale; vel provt eſt ipſe terminus, hoc eſt, Verbum, ſeu intelligere eſſentiale. Non primum: nam eſt impoſſibile, vt productio Verbí eſſentialis præcisè ſit productio Verbi notionalis. Non etiam ſecundum: nam Verbum eſſentiale non eſt actio; licèt grammaticaliter, quaſi actio, nominetur intellectio.

10. Amplectenda eſt igitur ſententia Henrici *quodlib.6. q.1.* quem ſequitur Suarez *lib.1. de Trinit. c.8.* quæ aſſerit ipſum intelligendi actum ſeu intellectionem eſſentialem, provt eſt in Patre, eſſe principium formale, & proximam rationem, ſeu virtutem producendi Verbum perſonale, & communicandi ei diuinam eſſentiam. Nam vt ait Auguſtinus ſuprà citatus, *Verbum Dei eſt ſapientia genita ex ſapientia generante.* Ergo eſt à Patre provt ſapiente, & provt iam informato eſſentiali ſapientiâ, quæ nihil

Dd 2 eſt,

est, quàm actus intelligendi eius. Et sanè, vt paulò ante dicebam, conueniens est, vt principium formale, ex quo Filius procedit, constituatur in statu, quà fieri poterit perfectissimo: status autem perfectissimus entis intellectiui est actuale eius intelligere. Et constat ex superiùs dictis, non posse intellectum vt spoliatum actu secundo, esse principium formale productionis Verbi. Sic enim oporteret productionem Verbi, seu actionem generandi (sumo illam propriè vt est notionalis) esse ipsam intellectionem essentialem, quod implicat; vel esse aliquam aliam rationem distinctam, atque hæc meliùs dicetur ab ipsa intellectione essentiali, quàm ab intellectu nudo emanare; cùm nihil id impediat, & sit conuenientius, arguatque maiorem generantis, quà talis, perfectionem; atque ita facilè possit explicari (quod aliter tam facilè non potest) quomodo *generans & intelligendo generet*, & *generando intelligat*; ac per consequens generatio sit quædam dictio, quatenùs est verbi cuiusdam per intelligentem productio. Quomodo item Verbum repræsentare possit Patri omnia, quæ ipse Pater per intellectionem essentialem intelligit; ita vt sibi dicat, non tantùm Filium suum, quatenùs hunc sibi eructat in Verbum; sed & seipsum, aliaque omnia; cùm Filius sit aliquo modo verbum illorum omnium obiectorum, ex quorum cognitione nascitur; eorumque repræsentationem vi suæ generationis contrahat, & importet.

11. Atque hæc, quæ diximus de productione Verbi, facilè poterunt applicari proportionaliter productioni Spiritus sancti, vt scilicet asseratur esse ex voluntate, quatenùs iam constituta in actu secundo amoris essentialis. Ita vt tertia persona producatur à Patre, & Filio, vt amantibus tum alia, tum se inuicem. Vnde fit, vt quemadmodum Pater in Verbo subsistente dicitur cognoscere omnia, quæ per intellectionem informantem cognoscebat; sic Pater & Filius in Spiritu sancto, quasi in amore subsistente, ament omnia, quæ per amorem informantem amauerant; & per illius productionem coniungantur ambo, non quomodo solent coniungi duo amantes per conspirationem voluntatum, sed ita vt sint vnicus amans, & vnicus spirans per vnicam vnius voluntatis spirationem.

12. Aduertendum porrò, vt admonet Suarez *lib. 1. cap. 8. num. 5.* inter ipsum cùm intelligendi, tum amandi actum fœcundum, qui est formale principium processionum; & personas productas, non esse mediam actionem veram ac propriam; quoniam actio in suo conceptu, & ratione formali includit imperfectionem, & rationem dependentiæ. Quare cùm intellectio, quâ formaliter pater intelligit; & dilectio, quâ Pater & Filius formaliter item diligunt, se habeant (non simpliciter sumptæ, sed ratione suæ fœcunditatis) immediatè ad ipsas personas productas; mirum non est, si vulgò dicamus & Verbum personale per intellectionem, & Spiritum sanctum per dilectionem procedere: vbi intellectio & dilectio vt fœcundæ pro principiis proximis, non autem pro actionibus productiuis personarum sumi debent. In hoc autem, inquit Suarez, Verbum diuinum comparatur & assimilatur verbo humano; quòd, sicut inter actionem intelligendi & verbum hominis nihil mediat; ita neque

que

que inter actum intelligendi Æterni Patris, & Verbum diuinum. Et quoad hoc dici potest ille actus intelligendi se habere ad modum actionis: sicut Thomistæ dicunt volitionem diuinam creandi esse ipsam actionem creandi; quia non putant aliam actionem creandi mediare inter terminum & illam volitionem. Nihilominùs si de actione impropriè sumpta, & qualis hîc interuenire potest, sermo sit, dubium non est, quin inter actum intelligendi & Verbum personale; quin item inter actum amandi & Spiritum sanctum mediet actio, seu productio à suo principio per mentem distincta; cui respondet ex parte termini productio passiua, seu processio per mentem etiam distincta ab ipso termino. Quid autem sit formaliter & realiter huiusmodi productio, tam actiua, quàm passiua, docebitur inferiùs.

13. Nolo autem hanc productionem, seu actionem ita esse mediam inter intellectionem & Verbum, inter dilectionem & Spiritum sanctum, vt oriatur immediatè ab ipsa intellectione & dilectione essentiali; quasi intellectio & dilectio per seipsam sit fœcunda, & non debeat vestiri alia quadam ratione obiectiua, seu perfectione, quæ sit formalis fœcunditas in actu primo. Vis enim producendi personam necessaria est ad productionem, & non potest formaliter esse intellectio vt intellectio, vel dilectio vt dilectio. Et quamquam ille actus primus non possit in se præscindi ab actu secundo; potest tamen per mentem. Cùm ergo passim dicitur, processiones esse immediatè ab intellectione & dilectione, id intelligendum est de intellectione & dilectione fœcunda, & vt superadditam habente rationem potentiæ productiuæ. Qua de re fusiùs agetur *cap.6.*

CAPVT IV.

Ex quali & quarum perfectionum increatarum intellectione atque dilectione procedant diuinæ personæ.

1. QVæstio se iam offert, qualis sit, & qualium rerum diuinarum illa intellectio, & dilectio actualis, quam asseruimus esse principium processionum. Ac primò Henricus *quodlib. 6. q. 1.* ponit in Deo duas intellectiones & duas dilectiones. Vnam, quæ sit simplex, remissa, & quasi passiua; quam vocat essentialem, & communem omnium personarum, nec fœcundam. Alteram reflexam, feruentem, perfectam & actiuam; quam vocat notionalem, & principium formale processionum. Sed hæc sententia nullo modo est admittenda. Nec enim vlla dari potest intellectio aut volitio, ad quam intellectus aut voluntas se habeant merè passiuè; nec vlla est in Deo imperfecta & irreflexa cognitio; nec personæ productæ minùs feruenter ac perfectè intelligunt, quàm producentes. Distingui tamen aliter potest intellectio, seu dilectio diuina in plures intellectiones, seu dilectiones secundùm diuersitatem obiectorum. Cùm enim Pater omnia, tam diuina, quàm creata comprehendat; & quidem diuina aliqua sint absoluta, aliqua relatiua: item aliqua necessaria, vel etiam essentialia; aliqua

contingentia: prætereà cùm tam in diuinis quàm in creatis nonnulla cognoscantur per scientiam intuitiuam, & vt existentia coràm; aliqua verò per simplicem scientiam vt solùm possibilia; aliqua per scientiam mediam, vt contingenter futura sub conditione: cùm item proportionaliter distinctio & varietas sit ferè eadem in obiectis voluntatis, per quam Spirator producit tertiam personam; dubitatur inter Doctores, vtrùm personæ ex horum omnium intellectione, & dilectione procedant; an verò tantùm ex aliquorum.

2. Quæ dubitatio locum habet apud eos etiam, qui superiori capite *num.*2. *&* 6. censuerunt principium formale processionum esse intellectum & voluntatem in actu primo, non autem in actu secundo. Cùm enim Scotus velit dictionem, seu productionem Verbi coniunctam necessariò esse cum intellectione essentiali, ita vt duæ sint actiones prodeuntes suo modo ex Dei intellectu; iure possumus in eius sententia quærere, qualis & qualium rerum sit ea intellectio essentialis, quam cum dictione vult esse coniunctam; alij verò, vt Vasquez, Canariensis, &c. qui censent processiones esse intellectionem & dilectionem notionales; ij quærunt & disputant, vtrùm in intellectu Patris, & in essentia eius (veluti in specie, & principio intelligendi per se requisito ad productionem Verbi) contineantur intelligibilia omnia, an solùm aliqua; eo modo quo obiectum dicitur ratione speciei intelligibilis esse in intellectu in actu primo ad producendam sui intellectionem. Atque sic idem Vasquez proponit hanc dubitationem *disp.*142.*cap.*1.

3. Dicendum primò, personas procedere ex intellectione, & ex dilectione essentiæ diuinæ, & eorum attributorum, quæ ipsam essentiam intrinsecè (vt suppono) componunt, atque completè constituunt. Certa est omninò ista conclusio. Intellectio enim per quam Verbum producitur, & accipit totum ac integrum esse Deitatis, debet esse velut definitiua Dei, & eius perfectè comprehensiua. Idemque proportionaliter sentiendum est de dilectione, per quam Spiritus sanctus spiratur. Atque clarum est, fœcunditatem in ea maximè debere esse intellectione, quæ terminatur ad primarium obiectum intellectus diuini. Tale autem est natura diuina tota, & integra secundùm omnes eas perfectiones absolutas, quæ ei necessariò conueniunt. Vt enim intellectus diuinus est in actu secundo per eum actum, qui sit intelligere per essentiam; ita natura diuina est per se primò intelligibilis per essentiam. Dicit verò Suarez, intellectionem, & dilectionem diuinam essentialem, provt habet pro obiecto diuinitatem, & attributa essentialia, sic esse in Patre, & Spiratore fœcundam, vt quamuis per impossibile non haberet alia obiecta, sufficeret ad productionem personarum: fundatur enim (vt benè Scotus voluit) tota fœcunditas sufficienter in primario intellectionis, & dilectionis diuinæ obiecto; quamuis (quod est contra Scotum) non recuset fundari ex abundanti in aliis etiam quibusdam obiectis, provt immediatè cognitis, de quibus nunc agendum. Restat igitur vt dicamus tùm de cognitione & amore attributorum relatiuorum; tùm de cognitione, amoreque creaturarum, siue vt possibilium, siue vt existentium.

4. Di

4. Dicendum secundò, Filium procedere ex cognitione trium personarum. Hæc conclusio est contra Scotum, & aliquo modo contra Vasquesium suprà. Et probatur: nam cùm, vt iam vidimus, Pater generet ex cognitione perfectissima & comprehensiua essentiæ diuinæ, necessarium est, vt simul generet ex cognitione aliqua personarum. Est enim impossibile, perfectissimè comprehendi essentiam nisi cognoscatur, tùm exigentia, quam ab intrinseco habet subsistendi tribus personalitatibus, quarum ipsa est aliquo modo radix, & quas eminenter continet, ita vt non possit non eas possidere in posteriori formaliter; tum communicabilitas ei naturalis, per quam ipsamet eadem natura, quæ primam personam incommunicata constituit, debet item esse communicata secundæ, tertiæque personæ. Prætereà Pater comprehendendo perfectè suam essentiam, comprehendit suum intellectum, & suam voluntatem, penetratque totam vim suæ intellectionis, & sui amoris, ac per consequens cognoscit in iis esse fundamentum alicuius fœcunditatis productiuæ personarum. Clarum est autem, nec exigentiam subsistendi tripliciter, nec communicabilitatem supradictam, nec fœcunditatem productiuam personarum cognosci posse, nisi tres personæ diuinæ cognoscantur. Eódem ducit & ista consideratio; quòd nempe certum sit Patrem producere Filium ex cognitione sui ipsius; se enim dicit: imaginemque sui in qua se actu videat, producit dum generat Filium. Atqui hoc est impossibile, nisi cognitio sit Patris ipsius, & Filij simul; nec enim ea correlatiua separari possunt cognitione. Quod si Pater & Filius cognoscantur plenè, vt decet, non potest in iis ignorari vis spiratiua, atque adeò nec huius terminus, nimirum Spiritus sanctus.

5. Nec dicas, quòd si ea probatio ducta ex comprehensione perfecta essentiæ diuinæ, concluderet, dicendum foret Patrem in priori, quàm generet Filium, cognoscere eodem genere cognitionis personas, quo ipsam essentiam: ergo cùm essentiam cognoscat per veram intuitionem, dicendus erit cognoscere eodem genere cognitionis personas; quemadmodum de facto inferunt & asserunt Suarez, Granadus, Ruis, Cuniga, & multi alij. Id autem aduersatur sequenti nostræ conclusioni. Respondeo negando consequentiam. Nam quando aliquid cognoscitur intuitiuè, non est necessarium, vt omnia, sine quorum cognitione cognosci id non potest, terminent pariter cognitionem provt intuitiuam sui. Ita Angelus videns materiam primam nudam, non videret formas; quas tamen ex aspectu ipsius materiæ abstractiuè cognosceret. Sic & Beati, qui in Deo vident ideas mundorum possibilium, aut potentiam eorum creatiuam, cognoscunt quidem necessariò tales mundos; & tamen est impossibile vt eos per veram intuitionem cognoscant, vtpote nunquam existentiam habituros. Eodem modo Deus, quamuis habeat verè plenissimam intuitionem omnium quæ habet in se formaliter; potest tamen concipi pro aliquo priori rationis habere cognitionem personarum vt verorum entium, absque eo quod concipi possit habere cognitionem ipsarum, vt pro tunc existentium intuitiuam.

6. Obiicitur contra præcedentem

tem conclusionem. Si Verbum procedit ex cognitione omnium personarum : ergo ipsum principiatur à seipso, & à Spiritu sancto. Nam illud,ex cuius cognitione procedit Verbum, est aliquo modo principium ipsius Verbi. Atque inde vlteriùs sequitur, quod Verbum est imago sui, & Spiritus sancti. Confirmatur hoc totum : nam Verbum procedit ex Patre, vt est imago Patris ; quia procedit ex cognitione, quâ Pater se cognoscit. Respondeo. Hæc obiectio non potest vrgere de ipso Verbo comparato ad seipsum ; constat enim non posse intelligi veram processionem, nec rationem imaginis, vbi non est extremorum diuersitas ; quandoquidem processio & imago dicunt relationem. Sed putauit Vasquesius obiectionem hanc etsi non valeat respectu Verbi propter rationem allatam ; videri tamen validam respectu Spiritus sancti. Cùm enim iste differat sufficienter à Verbo, non videtur quicquam deesse, quominùs sit principium ipsius Verbi, tanquam suæ imaginis, si concedatur generatio fieri ex cognitione ipsius. Sic enim Spiritus sanctus præexistens in essentia diuina (quemadmodùm obiectum est in specie sui) concurret ad productionem Verbi, tanquam obiectum motiuum,& modo intelligibili : quod sufficit ad præsens negotium, vt apparet in picturis artis, quæ sunt verè imagines Cæsaris v. c. vel Alexandri, quos repræsentant cum quadam ab illis dependentia ; quoniam ab illis vt ab obiectis processerunt. Nihilominùs hic Author, licèt ea sola ratione conuictus videatur, & concedat esse in Patre intuitiuam Spiritus sancti cognitionem in illo priori, quod generationem Verbi antecedit; aliunde tamen negauit ex ea cognitione posse Verbum generari, ne scilicet procedat à Spiritu sancto, & ne sit huius imago. Quare dixit eam cognitionem Spiritus sancti existere per accidens, & merè concomitanter ad Verbi processionem.

7. Sed contra hunc Authorem sentio eam obiectionem æquè deficere circa Spiritum sanctum, ac circa Filium. Quamuis enim Spiritus sanctus distinguatur realiter à Filio; non tamen inde periculum esse potest, ne dici queat principium Filij, & ad hunc comparari quasi ad sui imaginem ex eo præcisè, quòd Filius ipsum repræsentet, atque generetur ex illius cognitione. Ratio est, quia Spiritus sanctus nullo modo est Principium illius cognitionis diuinæ, quam terminat, & per quam Filius generatur. Id autem necessarium esset. Sic enim imago, quæ fit per ideam, seu cognitionem artificis, dicitur verè procedere à prototypo, velut à principio, putà Cæsare ; quia nempe prototypus est causa cognitionis quam habet pictor. Ad hanc enim concurrit vt obiectum motiuum, seu per se, seu per speciem à se aliquo modo profectam. At Spiritus sanctus, licèt terminet cognitionem,per quam Filius generatur ; non tamen est obiectum motiuum, nec illam cognitionem originat seu per se, seu per speciem à se profectam ; sed merè illam terminat. Sufficienter enim Deus per se, & per suam essentiam ad cognitionem rerum determinatur, nec indiget obiectis vt motiuis, sed tantùm vt merè terminatiuis. Vnde colligis Verbum nec procedere à Patre præcisè vt obiecto cognitionis ex qua generetur, sed procedit ab illo vt physicè agente ac generante.

8. Præterea

8. Præterea considerandum est contra Vasquesium, quod quemadmodum ille fatetur, Verbum non posse procedere à seipso, seu esse sui imaginem, licèt concedatur procedere per cognitionem sui ipsius; quia nimirum identitas id impedit, & quia Verbum non præintelligitur esse in memoria Patris velut in actu primo, eo modo quo sunt obiecta intelligibilia, quæ solùm actu secundo intelliguntur; non tamen per ipsam memoriam, suique cognitionem efficienter producuntur eo modo quo Filius, qui fuit in memoria Patris, tanquam aliquid per eam producibile. Eodem, inquam, modo is Author fateri debuit, quòd Verbum non posset dici procedere à Spiritu Sancto, aut esse eius imago, licèt concederetur procedere per eius cognitionem. Non enim magis id impedire potest identitas, quàm relatio posterioris & originati, quam Spiritus sanctus ex intrinseca sua quidditate habet ad Filium ipsum. Si enim procederet à Spiritu sancto quem producit; procederet mediatè à seipso. Et sanè Spiritus sanctus non magis quàm Verbum præintelligitur esse in memoria Patris eo simplici modo, quo sunt obiecta purè intelligibilia, quæ solùm actu secundo intelliguntur; nullo autem modo per talem memoriam producuntur: sed fuit in memoria Patris tanquam aliquid producibile per id Verbum, quod ipsa produxerit.

9. Obiicitur secundò ex eodem Vasquesio. Quamuis non esset Spiritus sanctus, & non cognosceretur; tamen esset Verbi generatio, quæ est prior spiratione: ergo Verbum non generatur ex cognitione Spiritus sancti: sed si Pater dum generat, cognoscit Spiritum sanctum, ea cognitio se habet ad generationem concomitanter, & impertinenter. Respondeo hypothesin primò repugnare. Illa enim euertit essentiam huius mysterij; atque ita attendendum non est, quid ex illa sequatur absurdi. Aio igitur, Verbum tunc vel non productum iri omninò, vel non fore tale, quale iam est; nec accepturum diuinitatem eatenùs communicabilem & fœcundam, qualem modò recipit. Licèt ergo generatio sit anterior productione Spiritus sancti, non tamen illius cognitione; sed potiùs in hac necessariò & per se fundatur. Adde quòd, vt vult Suarez, fœcunditas tota & sufficiens potest sic reperiri in intellectione alicuius primarij obiecti (quemadmodum suprà ex eodem Suare diximus de diuinitate) vt ex superabundanti ad aliorum insuper obiectorum quorumdam intellectionem extendatur.

10. Dicendum tertiò, cognitionem trium personarum, ex qua Verbum generatur, non esse intuitiuam secundæ, & tertiæ personæ; non etiam Patris in actu secundo considerati. Hanc conclusionem amplectitur Scotus *in 1. dist. 32. q. 1. & 2.* & alibi, cum eo etiam excessu vt nolit Verbum ex vlla personarum, siue intuitiua, siue abstractiua cognitione generari. Amplectitur item Caietanus *quæst. 34. art. 3.* sed ita vt asserat Verbum generari ex personarum cognitione abstractiua, non autem intuitiua. Hoc ipsum tenet Ferrariensis *4. contra Gentes.* Consentit Molina *q. 35. disp. vnica*, affirmans cognitionem personarum, ex qua Pater generat, non esse visionis, quatenùs in illo priori personæ non intelliguntur existere; nec dicendam esse intuitiuam aliter quàm quia est simul dura-

tione reali cum personarum existentia. Explicatur. Licèt Pater non habeat vllam intellectionem, quæ abstrahat à personis vt existentibus; sed certum sit non esse nisi vnam intellectionem diuinam, quæ totaliter,& adæquatè sumpta dicat intuitiuam tendentiam in omnes personalitates, vtpote necessariam existentiam habentes; ac per consequens non debeamus concipere, quod Deus in vllo signo rationis habuerit intellectionem, quæ verè non esset personarum omnium intuitiua:nihilominùs concipere possumus, quòd ei intellectioni, quæ de facto est intuitiua personarum existentium (& per consequens cognoscitiua simul possibilitatis atque actualitatis earumdem) potest aliquid conuenire, quod non ipsi conueniat quatenùs est intuitiua existentiæ, sed quatenùs simpliciter est intellectio personarum, vt entium verorum. Ita scilicet, vt ratio intuitionis superaddita rationi intellectionis vt simpliciter cognoscitiuæ, sit ad illud impertinens, & accidentariè & merè concomitanter se habeat. Asserit igitur conclusio, eam intellectionem, quâ Pater personas omnes cognoscit, & vt existentes, & vt veras entitates, principium esse formale generationis; verumtamen non adæquatè secundùm eam omnem perfectionem, seu rationem, secundùm quam circa personalitates versatur. Non enim potest Verbum generari ex huiusmodi cognitione provt versante circa personalitates omnes vt existentes; quandoquidem in illo priori signo, in quo generatur Verbum, Spiritus sanctus productus non est. Atque cùm Verbum, & Pater (vt consideratus generans in actu secundo) accipiant in illo signo suam existentiam, non supponuntur ante illud signum eam habere; sed nec vel ij, vel Spiritus sanctus possunt vt existentiam habituri præintelligi, & velut præuideri antequam generationis diuinæ existentia intelligatur. Quod tamen necessarium esset, vt ex cognitione illorum intuitiua, quà tali, posset Verbum generari, tanquam ex principio formali. Debet enim Principium formale, & totus actus primus præintelligi ante actum secundum.

11. Addit autem conclusio, fieri non posse, vt Verbum generetur ex cognitione intuitiua Patris considerati integrè in actu primo. Quamquam enim Pater secundùm totam, ac integram rationem actus primi, necessariò præsupponatur ante generationem Verbi, vt per se constat, ac nihil vetet, quin idem Pater concomitanter habeat in illo signo rationis, in quo generat actu Filium, intuitionem sui ipsius, vt præexistentis in actu primo fœcunditatis integro; est tamen impossibile, vt generatio fiat ex illa cognitione, vt ex principio. Nam si fieret ex illa, oporteret illam ipsam intuitionem provt posteriorem fœcunditate integra (in quam vt præexistentem & iam completam tendit) includi intra actum primum paternitatis, & pertinere ad fœcunditatis constitutionem, seu ad principij formalis complementum: quod implicat. Posset tamen aliquis existimare, nihil obesse quominùs Verbi Diuini processio fiat ex intuitione paternitatis consideratæ in actu primo inadæquato. Nam cùm actus primus paternitatis, seu fœcunditas Patris fundetur in omni cognitione, quæ sit Deo essentialis; nihil vetat fœcunditatem Patris, quatenùs in tali cognitione

tione fundatam ita videri à Patre, vt hæc visio (quæ non est essentialis, cùm sit fœcunditate posterior) præsupponatur generationi actuali, & sit eius partiale principium. Nec est absurdum, quòd actus primus paternitatis concipiatur plures velut habere partes fundatas in variis cognitionibus diuinis, quarum vnæ præsupponantur aliis. Ego tamen illud inuenio difficile, nec probare possum. Nam primò conueniens est, vt omnes intellectiones, super quas velut fundatur fœcunditas, præsupponantur, & se habeant indiuisibiliter antequam vlla pars fœcunditatis concipiatur existere. Cur enim dicemus vnam intellectionum fœcundarum in Patre priùs esse fœcundam, quàm alia existentiam habeat? Sanè melius est vt omnes simul in eo signo rationis existentiam iam habeant, in quo fœcunditas incipit existere. Secundò. Si visio fœcunditatis paternæ, vt fundatæ in cognitione essentiali, potest esse & ipsa fœcunda: ergo etiam visio reflexa super talem visionem, quatenùs fœcundam; ac sic in infinitum omnis visio fœcunditatis in aliqua visione fundatæ poterit esse pariter fœcundâ: quod apertè implicat. Si enim omnis reflexa fœcunditatis visio sit fœcunda, non potest concipi vlla fœcunditatis integra, adæquataque visio, hoc est, quæ sit talis vt ante suam existentiam supponat totam & integram fœcunditatem, tanquam suum obiectum præexistens.

12. Hæc tertia conclusio, quatenùs negat processionem Verbi fundari in intellectiua personarum omnium cognitione, à multis recentioribus impugnatur, post Suarem, & Molinam, aliosque antiquiores, defendentibus intuitionem personalitatum pertinere ad actum primum fœcunditatis paternæ. Idque defendit Vasques de intuitione duarum primarum personalitatum. Et quamuis neget de intuitione tertiæ personalitatis; tamen in eo ipso non conuenit nobiscum: id enim non negat propter posterioritatem talis intuitionis, cùm velit Spiritum sanctum intuitiuè cognosci, in quo signo Filius actu generatur. Non benè possum intelligere, quid sibi tot ac tanti Authores velint: nam hæc duo euidentia sunt, cum quibus consistere non potest eorum doctrina. Prius est, quod intuitiua omnis cognitio, quatenùs talis, præsupponat existentiam sui obiecti, & se habeat ad eam speculatiuè; ita vt intuitio nequeat existens intelligi in eo signo, in quo eius obiectum non præintelligitur vt existens. Alterum, quod in eo signo rationis, in quo Pater est in actu primo, antequam ad actum secundum venisse intelligatur, nequeat intelligi existentia Filij, atque adeò nec Patris in actu secundo considerati, nec Spiritus sancti. Neque valent contra hoc, ea quæ Suarez ait, *lib.9. cap.5. num.7. & sequentibus.*

13. Et quamquam diuina cognitio sit intuitiua earum etiam rerum, quarum existentia non præsupponatur, nisi vt longo pòst tempore futura, quemadmodum constat ex tractatu de scientia diuina, & nobis hîc opponit Suarez *in illo cap.5. num.8.* atque ita videatur posse dici, quod in priori originis signo ante Verbi generationem Pater personalitates nouit per scientiam visionis: quia si non intelliguntur existentiam pro eo priori habere, sunt tamen habituræ, & velut futuræ in posteriori rationis seu originis signo. Nihilominùs quam-

uis id concederetur, non posset talis intuitio personarum, vt in posteriori aliquo signo futurarum, esse principium productionis ipsarum; has enim supponeret, vt exituras non aliunde quàm à semetipsa, sicque semetipsam supponeret; atque eius existentia oriretur, & velut procederet à seipsa; quod est impossibile: nulla enim existentia (quatenùs primò est, & non replicata) pendère potest à seipsa, nec à sui futuritione actuali, vt consideranti patebit.

14. Porrò considerandum est, quod licèt Pater, in priori quàm generet, habeat intuitiuam personarum in posteriori signo futurarum cognitionem; ea tamen intuitiua cognitio, quamuis simultatem habens cum tota reliqua diuina essentia, & cum paternitate provt existente in actu primo, non habere potest eandem prioritatem respectu Filij & Spiritus sancti, quam habet aliquatenus essentia & paternitas in actu primo. Prioritas enim rationis, seu originis non potest fundari nisi in originatione vnius ab alio: vnde fit, vt quamuis prædicta intuitiua personarum cognitio simultatem habeat cum actu primo paternitatis, qui prioritatem habet respectu ipsarum personarum; talem tamen habeat ipsa intuitiua cognitio, cùm nullo modo personas, vt dictum est, originare possit. Exemplo id patet. Si enim supponamus Deum creare eodem instanti temporis solem & vnum Angelum, tunc sol originans lucem, dicetur habere prioritatem respectu lucis; quam prioritatem Angelus, qui simultaneus erit soli, non habebit; erit enim ipse Angelus non minùs luci, quàm soli simultaneus, vtpote non illam originans.

15. Non valet etiam contra præsentem conclusionem, quod non pauci dicunt (vt Suarez *lib. 9. cap. 5. num. 9.* Vasquez *disp. 142.* Ariaga *disp. 52. sect. 4.* licèt hic velut titubet) in personarum processione non esse prioritatem in quo, sed à quo. Vnde sequitur, intuitionem personarum, vtpote fœcundam (sicut ipsi volunt) in actu secundo provt est in Patre, non esse priorem Filio & Spiritu sancto, nisi prioritate à quo: quare posse intuitionem in Patre fœcundam, & personas procedentes habere omnimodam simultatem, imò mutuam in diuerso genere prioritatem. Ita materia prima (inquit Granadus *in quæst. 34. disp. 5. num. 10.*) est prior quàm forma corporea, quia illam causat in genere causæ materialis; sic tamen vt ab illa dependeat, sitque posterior in genere causæ formalis. Quæ autem habent talem modum prioritatis, debent absolutè loquendò dici simul naturâ. Respondendum est, supponere hos Authores Verbum produci per ipsum actum essentialem, quo Pater obiecta cognoscit, ita vt obiectorum cognitio sit Verbi productio; atque adeò feratur in Verbum vt actu productum & existens; vnde fit eam cognitionem non esse priorem Verbo, nisi sola prioritate à quo; & esse eius intuitionem. At contrarium verius est, nempe cognitionem non esse ipsam productionem, sed huius fundamentum cum vera prioritate in quo. Ea enim omnia habent prioritatem in quo, & non solùm à quo, quæ ita sunt alteri ratio existendi, vt vicissim ab illo altero non accipiant existentiam, illudve supponant; quo pacto sol est prior lumine. Clarum verò est, Patrem in actu primo, seu eius fœcunditatem, esse ita Filio & Spiritui sancto.

cto rationem existendi, eos per actum secundum originando, vt vicissim illa fœcunditas ab eis nullatenus originetur, aut accipiat existentiam. Quare dum concipio Patris eam fœcunditatem, vt fundamentum est generationis, nullo modo vi eius quod concipio, cogor concipere Filium aut Spiritum sanctum pro illo priori existentem; cùm tamen è contra, ex eo præcisè quod Filium aut Spiritum sanctum existere concipiam, debeam concipere & inferre paternæ fœcunditatis existentiam, quantumvis à parte rei necessaria sit illorum necessaria coniunctio. Nec verò propter eius realis coniunctionis necessitatem fit, vt nequeamus concipere actum primum, quin simul cum eo concipiamus actum secundum existere. In eo quidem adæquato conceptionis modo, quatenùs simul actus secundus conciperetur (hoc est quatenus inuoluta conciperetur fœcunditas cùm actuali productione) non foret prioritas in quo. Sed ille adæquatus concipiendi modus non est ita necessarius, quin absque falsitate & per solam præcisionem possit mens nostra fœcunditatem extricare ab actuali productione.

16. Quod autem addebatur ex Granado, falsum est; nempe materiam primam & formam, aut vllas alias duas res, seu veras entitates ita comparari posse inter se, vt mutuam habeant in existendo dependentiam, & suam vicissim altera alterius primam existentiam præsupponant. Idque solius actus secundi, siue actualis causarum exercitij proprium est, vt mutuam cum suo termino, quem producit, trahat secum existendi consequentiam. Dices: Ergo si detur entitas, quæ sit essentialiter in actu secundo, vt producat rem aliquam, ita comparari poterit cum re producta, vt respectu eius habeat tantùm prioritatem à quo. Atqui par est dicere Patrem in diuinis talem esse, vt omni necessitate & vi quidditatis suæ debeat esse in actu secundo. Respondeo verum id esse, si loquamur de Patre sumpto adæquatè, aut de alio quopiam principio, quod importare actum secundum supponeremus; nam id quatenùs non abstraheret ab actu secundo, non esset capax prioritatis in quo. Sed negari non potest, quin agens, quod tale esset, vt vi suæ quidditatis importaret actum secundum, & esset necessariò quippiam producens, deberet id posse producere quod actu produceret; nullum enim ens agit quod non potest, & cuius agendi nullum habet principium. Dico autem, quod huiusmodi principium, quantumvis necessariò secum trahat actuale exercitium, seu actuale agere, non est, formaliter loquendo, ipsum actuale exercitium quod post se trahit. Cùm ergo in præsenti Patrem Diuinum consideremus præcisè, quatenùs dum generat, potest id agere quod actu agit; & quatenùs est in priori fœcundus, ac principium, & radix generationis; nihil vetat quominùs talem rationem fœcunditatis principij ac radicis vt priorem intelligamus præcisiuè & per inadæquatum conceptum; cùm id nullam in Deo imperfectionem, sed tantùm virtualem multiplicitatem perfectionis, & in nobis limitationem concipiendi importet. Imò illi ipsi, contra quos disputamus, & omnes vulgò Theologi conceptum talem inadæquatum habent, ac præcisiuè actum primum ab actu secundo distinguunt; quando, vt monuimus capite præcedenti, *num.* 1.

quærunt, an diuinæ processiones sint ab intellectu & voluntate vt spectatis in actu primo. Atque hanc distinctionem actus primi & secundi vtilem, ac nobis necessariam significat Suarez *lib.1. de Trinit. cap.7. num.9.*

17. Verùm ex eo quòd nos concipere possimus in Patre actum primum vt priorem actu secundo, consequenter dicendum est, nos debere concipere, quod Pater vt fœcunditatem habens distinctam ab actu secundo, intelligit aliquo modo personalitates, licèt non vt præsentem & simultaneam habentes pro illo priori existentiam. Cùm enim illæ sint ens verum ac reale, habent cognoscibilitatem in eo etiam signo, in quo non est cognoscibilis earum actualis existentia vt præsens & simultanea, sed vt in posteriore signo futura. Nec dicas cum Suare, illud arguere imperfectionem vel in intellectu Patris cognoscente, vel in personis cognitis: si enim personæ existentiâ non carent, malè cognoscuntur: si autem carent, sunt quid imperfectum. Ne, inquam, hoc: nam non asserimus esse vllam in Deo intellectionem personarum, quæ de facto abstrahat à personarum existentia: sed tantùm dicimus, intellectionem personarum, quæ est ipsarum visio, non esse principium generationis formale, nec pertinere ad fœcunditatem in actu primo spectatam, quatenùs est visio seu cognitio existentiæ, sed quatenùs est simplex intellectio entis veri & realis. Quemadmodum cùm Deus vnico simplici actu cognoscit hominem impium, cognitio illa est principium amoris, vt ad hominem; odij, vt ad impium terminatur. Vt enim benè indicat Ariaga *disp.52. num.22.* intellectio vna realiter indiuisibilis potest duas habere rationes, quæ licèt non habeant distinctionem virtualem in ordine ad cognoscendum, illam tamen habeant in ordine ad producendum: sicut reipsa (in hoc, de quo disputamus negotio) diuina visio personarum, vt in posteriore originis signo futurarum, non habet rationem, quatenùs est personarum, quæ sit in ordine ad cognoscendum, virtualiter distinctam à ratione, quatenùs est personarum ipsarum vt futurarum. Sed tamen eæ rationes in ordine ad producendum sunt virtualiter distinctæ, ita vt visio per rationem, quæ est cognitio personarum, possit ipsarum personarum existentiam producere, non possit autem per rationem, quæ est cognitio intuitiua earumdem vt futurarum, seu existentiam habiturarum; sic enim esset, quatenùs intuitiua, prior & posterior seipsâ, vt patet ex dictis.

18. Dicendum quartò, Spiritum sanctum procedere ex amore omnium personarum; at verò duarum dumtaxat priorum vt existentium, non tamen vt in actu secundo spirantium; imò nec vt fœcundam in actu primo voluntatem habentium. Conclusio quoad primam partem satis intelligitur ex dictis conclusione secunda. Est enim eadem ratio amoris notionalis, quæ intellectionis notionalis: & quidquid de intellectione superiùs dictum est, applicari debet ad amorem cum proportione. Atque vt Spiritus S. procedat ex amore omnium essentialium, necessarium est eum simul procedere ex amore personarum; quarum scilicet est tanta cum diuina essentia connexio, vt hæc sine illis amari plenè, & (vt ita loquar) comprehensiuè non possit. Secunda pars conclusionis clara est, quatenus asserit Spiritum

ritum sanctum produci ex amore quo amantur duæ priores personæ vt coëxistentes. Nam Spiritus sanctus procedit vt duarum personarum amor; tùm proprius, quo Pater suam paternitatem; Filius suam filiationem diligit: tùm etiam mutuus amicitiæ & concordiæ, quo Pater & Filius inter spirandum amant redamantque se actu inuicem, secundùm rationes quas alter in altero intuetur. Non minùs etiam clara est eadem pars quoad exclusionem, quâ negat, Spiritum sanctum vt existentem amari eo amore, ex quo velut principio formali producitur. Nam licèt dum producitur, ametur vt terminus productionis, & vt existens; tamen is amor non est eius productiuus. Amor enim productiuus, cùm supponatur ad existentiam illius, non potest in eum ferri vt intuitiuè cognitum, & vt coëxistentem. Vnde sequitur, quod vltimò in conclusione additum est, non posse prædicto amore (qui est principium Spiritus sancti) amari Patrem & Filium vt in actu secundo spirantes, & vt habentes in eo signo præsentem ac existentem spirationem. Amor enim, ex quo spirant, præsupponitur ad existentiam spirationis actiuæ, non minùs quàm ad existentiam Spiritus sancti. Non etiam potest esse fœcundus amor fœcunditatis, seu integræ, seu partialis; quemadmodum suprà diximus de intellectione fœcunditatis, *num.* 10.

CAPVT V.

Ex quali creaturarum intellectione & dilectione procedunt personæ diuinæ.

1. HActenus disputatum est de notionali cognitione, & dilectione perfectionum increatarum, tam essentialium, quàm personalium. Iam videndum est, quomodo intellectio & dilectio, quâ Deus fertur in creaturas, siue vt merè possibiles, siue vt actu existentes, se habeat ad processiones diuinas. Sunt enim qui existiment, creaturas non tantùm vt possibiles, sed etiam vt existentes, terminare eos actus essentiales, ex quibus, & ex quorum vi fœcunda Verbum & Spiritus sanctus procedunt. Ita quidam moderni, qui putant se authorem habere D. Thomam *1. p. q.* 34. *art.* 3. & *q.* 37. *art.* 2. *ad* 3. Quia ibi absolutè docet, Verbum procedere ex cognitione omnium creaturarum. Adduci etiam potest D. Augustinus, qui *lib.* 83. *quæstionum*, *q.* 63. ait Verbum dicere respectum ad creaturas vt fœcundas; & ideò vocari potiùs Verbum, quàm Rationem, quia ratio non significat respectum ad res faciendas. Confirmatur. Nam per cognitionem notionalem Pater cognoscit creaturas non tantùm vt possibiles, sed etiam vt futuras; cùm nullam habeat cognitionem à notionali distinctam; & Verbum productum res omnes, quæ per ipsum factæ sunt, & quarum ideas continet, repræsentet. Contra hanc sententiam est altera extremè opposita eorum, qui censent diuinam omnem

omnem cognitionem & dilectionem creaturarum, siue vt futurarum, siue vt purè possibilium, se habere ad processiones omninò impertinenter, & merè concomitanter. Ita Scotus *in* 1.*dist*.1.*q*.1. & *quodlib*.13. Cùm enim putet Verbum procedere per dicendi actum, quem vult esse diuersum ab actu intelligendi; & existimet actum dicendi præsupponere actum aliquem intelligendi; asserit non præsupponere illum, qui circa creaturas occupatur; sed dumtaxat illum, qui circa diuinam essentiam versatur antequam Deus creaturas intelligat.

2. Scotum, quatenus creaturas secundùm esse intelligibile præsupponi per se ad Verbi processionem negat, sequitur Vasquez *disp*.143. contenditque eam esse doctrinam Anselmi *in monolog. cap*.30. *& sequentibus*, asserentis Verbum Diuinum non indigere creaturis; & quamquam hæ nullæ essent, idem ipsum futurum: necnon Diui Thomæ *quæst*.4. *de veritate*, *art*. 5. affirmantis Verbum per se referri ad Patrem, ad creaturas verò tantùm ex consequenti, & quasi per accidens. Item Verbum non esse creaturæ, quamuis creaturas repræsentet. Et sanè cùm diuinitas non repræsentet creaturas (vtputà nullam habens ad eas relationem realem, nullaque cum iis connexione indigens) non possunt creaturæ à Patre cognosci, etiam vt possibiles in illo priori, in quo suam essentiam cognoscit & generat Verbum. Prætereà si Verbum procederet ex cognitione creaturarum, sequeretur primò, ipsum esse imaginem creaturarum; quod nemo concedit: secundò sequeretur, generationem aut nullam, aut non talem, qualis iam est, fore, si per impossibile vna vel altera creatura supponeretur impossibilis; quod est absurdum. Nam eo ipso quod Deus summè perfectus est, suapte naturâ generat, nec ad id indiget possibilitate creaturarum, quæ ad generationem Verbi se habent vt obiectum non modò secundarium, sed etiam accidentarium. Quis enim asserat, Deum idcircò esse Deum & Patrem & Filium, &c. quia simiæ possibiles sunt?

3. Dicendum est primò, personas diuinas non procedere ex intellectione & dilectione creaturarum vt existentiam, seu absolutam, seu conditionatam habentium. Ita Scotus, qui tam certam existimauit hanc conclusionem, vt studio eius tuendæ negauerit sequentem, putans non posse concedi, processionem fundari in intellectione vel dilectione creaturarum possibilium, quia non potest addi, etiam vt existentium. Cùm ei Thomistæ communiter negant eandem esse quoad hoc rationem creaturarum possibilium & existentium; satis ostendunt se huic nostræ conclusioni adhærere; quamquam de mente Diui Thomæ non ita constet. Quando enim Verbum procedere ex intellectione creaturarum dixit, locutus indiscriminatim de omnibus creaturis videtur. Ratio pro nobis est manifesta: nam primò diuinæ processiones existunt in priori quàm creaturæ intelligantur exituræ, & terminare possint vel visionem, vel scientiam mediam. Nam si loquamur de existentia absoluta, non intelliguntur exituræ priusquàm Deus liberè se determinauerit ad illas producendum, vel permittendum: atqui Deus non habuit vllam liberam determinationem antequam existeret Filius, & Spiritus sanctus. Quemadmodum enim

enim actualis productio creaturarum, ita & talis productionis decretum tribus simul personis tribuitur; nec magis ad Patrem spectat, quàm ad Filium aut Spiritum sanctum.

4. Prætereà creaturarum existentia, siue absoluta, siue conditionata, ac per consequens scientia, seu visionis, seu media, quam de illa Deus habet, est omninò contingens, & posset non esse. At intellectio & dilectio, in qua processiones fundantur, debet esse non minùs necessaria, quàm ipsarum existentia processionum, vt per se constat; quandoquidem corruente fundamento, stare id non potest, quod in eo fundatur: nec in his diuinis processionibus, vt infrà dicam, admittendum est aliquod fundamentum velut partiale non necessarium; hoc est tale, vt si adsit, fundet quidem processiones; si autem absit, non propterea destruatur ratio sufficientis fundamenti. Quomodo Suarez voluit cognitionem possibilitatis creaturarum, & visionem personarum diuinarum coniungi cum visione essentiæ diuinæ, & simul cum hac integrum facere fundamentum processionum; sed ita vt si visio sola essentiæ diuinæ perseueraret, aliis omnibus intellectionibus per impossibile sublatis, non desineret esse sufficiens fundamentum. Quod cùm admittat Suarez, non benè apparet, qua ratione possit validè probare nostram hanc conclusionem, eosque refutare qui asserent, cognitionem creaturarum vt existentium, non quidem esse fundamentum processionum in illo priori signo rationis, in quo ante diuinum de illis producendis decretum producuntur personæ, quia nimirum creaturæ nondum vt exstituræ intelligi possunt: nihilominus cùm in posteriori signo exoritur eorum visio, nihil impedit, quominus ipsa permittatur cum aliis essentialibus intellectionibus fundare processionem Verbi. Nos igitur vniuersim negamus, vllum posse esse partiale processionis Verbi fundamentum, nisi sit penitùs necessarium, & tale, vt si ipsum desit, nequeat Verbi processio consistere; debent enim rerum præsertim diuinarum stata esse, rataque principia: nec in præsenti materia est ratio vlla in contrarium. Quamuis enim Verbum Diuinum creaturas etiam vt existentes, & vt per intuitionem cognoscendas, repræsentet Patri (nam est verbum adæquatum, & de omnibus, quæ sunt in scientia Dei, vt docet Augustinus, *lib. 15. de Trinit. cap.13. & 14.*) non tamen inde sequitur, ipsum per talium creaturarum intuitionem procedere, vel accipere illam repræsentationem vi processionis formaliter, quidquid in oppositum Cuniga *disp.9. dub.7.* & *disp.12. dub.3.* post Valentiam *q.8. de Trinit.* cum aliis multis (vt ait) modernis Professoribus. Nam quod in signo, quo fiebat processio, nondum erat, non potuit ad processionem pertinere formaliter. Solùm est igitur processionem subsecuta repræsentatio, & intuitio creaturarum existentium, eo modo, quo earumdem productio, & gubernatio, aliæque similes actiones, quæ à tribus communiter personis oriuntur. Idque sufficit vt Verbum sit adæquatum, nihil enim non tandem repræsentat.

5. Ad conclusionis probationem etiam facit, quòd si Verbum & Spiritus sanctus procedant ex actibus liberis, debent intellectiones liberæ, seu contingentes, in priori existere, quàm

volitiones liberæ: nam generatio & principium formale Verbi præcedit spirationem. Atqui hoc non est: nam voluntas libera est prior quàm scientia libera; cùm Deus non ideò velit futura, quia videt futura; sed ideò videat futura, quia vult esse. Præterea si Spiritus sanctus procedat ex volitione libera, & hanc accipiat formaliter à producente: ergo ipse non se determinat ad volendum: ergo volitionem liberam non habet liberè, sed necessariò: non enim potest recusare quod ei datur ab ipsius principio spirante. Et quamuis huiusmodi volitio dici possit libera diuinitati, & huic Deo; tamen constat esse necessariam Spiritui sancto, qui se determinare in contrarium nec potest, nec vnquam potuit. Dices. Ea decreta libera communicantur Spiritui sancto à Spiratore, qualia diuinitas habuit in priori: at diuinitas habuit ea decreta non aliter, quàm vt libera: ergo non potuerunt esse in Spiritu sancto necessaria, nec aliter quàm libera. Respondeo: videtur in eo esse contradictio, vt decretum sit liberum ei, cui necessarium est omninò illud haberi. Vt enim actus aliquis sit liber, debet esse talis, vt ab eo cui est liber, possit omitti atque non haberi. Ergo cùm Spiritus sanctus dum producitur, non possit recusare quin habeat talia decreta, quæ antequàm ille existeret, producta (quantumvis Spiratori libera) supponuntur; & quæ habere tam ei necessarium est, quàm sit ei necessarium spirari, producique; illi esse libera talia decreta nequeunt. Denique addi præcedentibus potest hæc consideratio; quod nempe Deus nullos possit habere actus liberos, qui, quatenus sunt liberi, importent quippiam intrinsecum ipsi Deo, & sint aliud quàm denominationes extrinsecæ: alioqui Deus, cùm potuerit carere visione v. c. peccati Iudæ, & voluntate illum damnandi, potuisset esse alius quàm nunc sit; & actus ipsi intrinsecus, qui esset Deus, potuisset esse nihil; actus nempe quo Deus potuisset videre saluatum Iudam, & qui actus fuisset tunc ipse Deus, nunc esset nihil, hoc est, quid contemptibilius quàm producta musca. Peto autem quomodo denominatio purè extrinseca, cõtingens, & quæ potuisset esse nihil, concipi possit principium processionis Verbi & Spiritus S.

6. Qui superiori conclusioni aduersantur, quos Ariaga citat & sequitur *disp.* 52. *sect.* 4. *subsect.* 3. opponunt, *perfectius fore Verbum diuinum si dicat omnia quæ sunt in scientia Patris loquentis, quàm si dicat partem. Ergo cùm in scientia Patris loquentis sint etiam futura libera, cùm absoluta, tùm conditionata; debemus asserere, Verbum diuinum ipsa etiã futura libera dicere, atque adeò ex eorum scientia procedere. Confirmatur ex Concilio Florentino, quod asserit, Patrem dedisse Filio quodcumque habet, excepta paternitate. Ergo Filius non à se habet, sed à Patre accipit ipsam scientiam futurorum.* Respondeo, Verbum quidem diuinum omnia dicere, quæ sunt in scientia loquentis Patris dum illud producit; at nego esse in scientia Patris in eo signo rationis, in quo Verbum producitur, futura libera, vtpote præsupponentia decreta libera, quæ Verbi generatione posteriora sunt, vtpote quæ procedere debent à tribus personis iam productis. Concilium autem Florentinum definiuit Patrem dedisse præter paternitatem Filio quodcumque Filius vi generationis accipere

accipere potuit, & quæ Pater tunc habebat; non autem ea quæ nondum habebat, & quæ præsupponunt ipsam Filij generationem.

7. Sed instabis quoad scientiam mediam, seu liberam, Patrem in eo rationis signo, quo Verbum generabat, non eâ caruisse scientiâ. Nam in illo ipso signo, & antecedenter ad omne decretum diuinum vera erant obiecta conditionata scientiæ mediæ; non enim eorum veritas pendet à decreto diuino. Exempli gratiâ quòd Iudas, si existeret, poneretur que in talibus circumstantiis cum parato Dei concursu, voluntatem habiturus esset tradendi Christum. Præthereà, licèt decretum liberum non fiat nisi post productionem personarum, nec nisi à tribus omnibus simul personis; tamen in priori quàm esset vlla productio, verum erat ab ipsis tribus personis communiter emanaturum quodcumque reipsa emanauit contingenter liberum decretum. Ergo id sciebat Patris intellectus in eo prioritatis signo. Ergo ex ea contingente, nec necessaria Patris scientia potuit Filius procedere; quemadmodum ex omni scientia media; ac per consequens ipsi Filio communicari per generationem omnis prædicta scientia. Respondeo. Quicquid sit, vtrùm Deus habuerit, necne in illo priori scientiam prædictam liberam, siue obiectorum conditionatorum, siue suorum futurorum decretorum; tamen falsum est, quòd Filius potuerit ex illa procedere. Nam cùm talis scientia, vtpote libera, nequaquam necessaria fuerit; sed eâ Deus carere potuerit, & pro ea contradictoriam aliam habere scientiam; clarum est generationem (quæ omninò necessaria est, nec potuit esse alia vel alia, vel alio modo quàm fuit) nequiuisse procedere ex illa scientia contingente, & fundamentum habere, quod potuisset deficere, quodque si defecisset, generatio Verbi, quæ re extitit, corruisset: atque ita Verbum vel non fuisset, vel non per eam prodiisset generationem quæ fuit: ac per consequens ipsum aliud, quàm sit, existeret. Et quod actu existit, non foret nisi per accidens quale est.

8. Dicendum est secundò, Verbum procedere ex intellectione creaturarum vt possibilium; & Spiritum sanctum ex dilectione seu complacentia earumdem. Conclusioni quoad vtramque partem aduersatur Scotus, & tota eius Schola, & moderni quidam Expositores D. Thomæ; inter quos est Vasquez, Mærat. &c. quia prius est procedere personas, quàm respici à Deo creaturas, etiam vt possibiles; cùm hæ sint tantùm secundarium obiectum, Deus autem in primario suo obiecto nanciscatur totam suam fœcunditatem, & beatitudinem. Item quia quamuis creaturæ desinerent esse possibiles, non desinerent tamen processiones diuinæ. Prætereà, quia si Verbum procedat ex intellectione creaturarum vt possibilium, procedit etiam ex intellectione creaturarum vt existentium: non enim minùs Verbum repræsentat futuras, quàm possibiles. Denique si procedit ex intellectione creaturarum: ergo creaturæ sunt illius principium.

9. Sed conclusionis nostræ prior pars, quæ est Diui Thomæ, & maioris partis Theologorum, probatur. Nam primò Patres, vt Augustinus, & Anselmus, &c. asserunt, Verbum diuinum dicere non modò Deum, sed etiam creaturas; & esse Verbum creaturarum, non quia sit ab iis, sed

quia sit de iis. Secundò Verbum est ex intellectione comprehensiua diuinitatis. Atqui talis intellectio debet necessariò attingere ipsas etiam creaturas vt possibiles, & vt connexas cum diuinitate. Quomodo enim intelligi comprehensiuè potest omnipotentia ignoratis creaturis, quæ sunt eius obiectum? Igitur oportet vt ille ipse intellectionis actus re & ratione idem qui fertur in diuinitatem, & per quem pater generat, feratur simul & indiuisibiliter in creaturas. Addo etiam quod Pater generat non tantùm ex intellectione creaturarum iam explicata, sed etiam ex alia, quæ est actus nouus ratione diuersus ab intellectione diuinitatis, & qua cognoscit immediatè ac directè creaturarum possibilitatem in seipsa: nam Pater in priori antequam generet, habet talem cognitionem: tùm quia essentialis est: tùm quia independenter à generatione Verbi, in sua essentia creaturæ carent contradictione, & sunt vt tales cognoscibiles per seipsas. Nec est vlla ratio cur asseramus, dari aliquam essentialem cognitionem in illo priori, quæ non sit fœcunda. Nota verò, quòd in hac conclusione sub intellectione creaturarum possibilium includimus quamcumque intellectionem veritatum necessariarum, & abstrahentem ab omni contingentis rei existentia. Tales sunt, verbi gratiâ, intellectiones primorum principiorum, veritatum mathematicarum, &c.

10. Vt ad rationes pro sententia Scoti à Vasque, aliisque adductas respondeatur, negandum est, Dei essentiam esse ita absolutam, vt non habeat realem ordinem transcendentalem ad creaturas. Idque non arguit in Deo dependentiam à creaturis, sed essentialem cum iis connexionem. Talis autem ordo & connexio dici non debet posterior personarum processionibus, cùm sit ab his independens: nec ad id refert quod creaturæ dicantur esse obiectum intellectionis diuinæ secundarium, hoc est minùs nobile, quàm diuina, & obiectiuè beatificans essentia; & cognitum per diuinam essentiam cognitam. Id enim non impedit, quin per eamdem indiuisibilem intellectionem, & in eodem signo rationis simul cum ipsa essentia cognoscantur, vel etiam alteram cognitionem ratione distinctam terminent immediatam, quæ sit independens ab omni alia cognitione creaturarum possibilium habita per medium, & non comparetur ad cognitionem essentiæ quasi aliquid posterius. Quare non vno modo haberi potest creaturarum cognitio, quæ sit Deo essentialis, & quæ per consequens ponenda sit in priori ante processionem personarum, & cui nihil desit, quominùs possit esse fœcunda. Nec est inconueniens fateri, processiones diuinas fore vel nullas, vel non tales quales iam habentur, si supponeremus creaturarum aliquam non habere possibilitatem suam. Ex præcedenti verò conclusione patet, diuinas processiones non eamdem habere connexionem cum creaturis existentibus, quam habent cum iisdem vt possibilibus. Diximus item superiori capite, *num.* 7. non id omne obiectum, ex cuius intellectione Verbum procedit, esse dicendum eiusdem Verbi principium. Ad hoc enim requireretur aliqua respectu ipsius intellectionis originatio ab eius obiecto, vel quasi actiua, vel saltem motiua, qualis non competit hîc vlli obiecto, præsertim creato.

11. Secunda

11. Secunda conclusionis pars de Spiritu sancto, apud eos quidem, qui admittunt in Deo dari dilectionem creaturarum vt merè possibilium, clara est, & æquè certa ac præcedens. Nam si talis dilectio in Deo reperitur, antecedit ratione productionem Spiritus sancti, est essentialis, & nihil ei deest, quominùs possit esse fœcunda; estque eadem ratio de illa ac de intellectione creaturarum vt merè possibilium. Nihilominus sunt qui putent, Deum non ferri per amorem in creaturas vt merè possibiles; licèt in eas feratur per scientiam simplicis intelligentiæ. Quare asserunt, Spiritum sanctum non procedere ex amore creaturarum in seipsis, sed tantùm secundùm eminentiam, quam habent in Deo actualiter, quo modo non sunt aliud quàm ipsa creatrix essentia, quatenus ipsas continet. Ita Suarez *lib.*11. *cap.*2.*n.*7. 9. & 10. Quia Deus extra se nihil amat necessariò: nam alioqui, cùm amor non trahat ad se obiectum, vt facit scientia; sed potiùs feratur ecstaticè ad rem amatam, fatendum esset, Deum trahi ex necessitate ad creaturas extra se. Id autem non decet. Item D. Thomas 1.*p.q.*20.*art.*2. sentit, Deum non amare nisi existentia; quia amor Dei dat esse, & ita bonitatem infundit rebus. Atque differentiam *q.*14. *art.*9. *ad* 3. videtur constituere inter scientiam & voluntatem in eo, quòd non oporteat vt quæcumque scit Deus, sint vel fuerint; non enim res habent existentiam nisi adiuncta voluntate; quæ quia est proxima causa rerum, non potest non importare existentiam ipsis rebus, quas respicit. Confirmatur: nam amare est velle alicui bonum: Deus autem nullum bonum vult creaturis possibilibus vt sic. Præthereà, cùm Deus se intelligit, intelligit etiam creaturas in seipsis consideratas: at verò cùm se amat, non amat creaturas in seipsis, sed solùm vt sunt in essentia diuina, & vt denominantur possibiles ab omnipotentia; quod est non amare aliud, quàm amare esse ipsius Dei. Et idcircò Theologi, quamuis distinguant scientiam Dei circa creaturas in scientiam simplicis intelligentiæ & visionis; amorem creaturarum nunquam proportionali modo distinxerunt. Hæc ferè Suarez, cui nequaquam assentior.

12. Nam licèt in re præsenti quoddam debeat aduerti discrimen inter intellectionem & dilectionem, quâ Deus fertur in essentiam suam comprehensiuè; intellectio enim comprehendere non potest essentiam diuinam, quin creaturæ ad quas omnipotentia dicit ordinem, intelligantur secundùm rationes ipsarum proprias & à Deo distinctas, vt per se patet: at verò dilectio potest ita essentiam ipsam perfectè complecti, vt tamen creaturas, ad quas ipsa essentia ordinem dicit, non complectatur, nec attingat in seipsis. Exempli gratiâ, cùm Deus diligit scientiam suam simplicis intelligentiæ, quam habet de possibili peccato hæresis, aut odij diuini, &c. non diligit ipsam hæresin, aut odium diuinum, quamuis hæc sint obiecta sine quibus ea scientia simplicis intelligentiæ, quam actu diligit, non potest stare, vel concipi. Imò diligendo scientiam illam suam, eius obiecta detestatur; quia scilicet ipsamet scientia quam diligit, cognoscit illa vt mala, & proponit vt detestanda voluntati. Assero tamen quando res eæ possibiles,

biles, cum quibus attributa diuina connexionem habent, sunt in se bonæ, Deum non posse non habere quamdam circa eas complacentiam dum attributa sua diligit. Addo illum circa easdem immediatè spectatas quamdam aliam habere immediatam complacentiam. Nam quemadmodum eas potest cognoscere non tantùm mediatè essentiâ cognitâ, sed etiam in seipsis immediatè & independenter ab essentia cognita: sic potest eas diligere non tantùm in essentia dilecta, sed etiam ab hac independenter & immediatè.

13. Hoc autem posito dubium esse non potest, nec ipse Suarez negat, quin dicendum sit Spiritum sanctum produci ex amore simplicis complacentiæ erga creaturas bonas possibiles. Vbi aduerto, & addendum esse, pariter ex odio seu abominatione simplici rationum peccaminosarum possibilium. Confirmatur hæc doctrina authoritate Diui Thomæ *q.37. art.2. ad 3.* vbi æquiparat Verbum & Spiritum sanctum in hoc, quòd procedunt cum respectu quodam ad creaturas. Et Caietanus asserit *q.34. art.3.* esse quoad hoc eamdem rationem de amore creaturarum, & de cognitione necessaria illarum in Deo. Rationes adductæ à Suare speciatim contra Spiritus sancti ex creaturarum amore processionem, nihil habent admodum difficile. Negatur enim esse indecens, quod Deus feratur amore necessario ad creaturas possibiles. Negatur item ea solùm amari à Deo, quibus ipse vult existentiam. Et quamuis det rebus existentiam per amorem aliquem efficacem, de quo locutus est D. Thomas; non tamen per eum qui sit complacentia simplex, per quem creaturas amari, quatenùs sunt merè possibiles, non repugnat. Non item erit abs re, si quemadmodum distinguimus duplicem in Deo scientiam, visionis, & simplicis intelligentiæ; sic distinguamus duplicem amorem, nempe efficacem qui sit causa existentiæ, & eum qui sit simplex complacentia. Ad rationes, quibus impugnatur processio, vt Verbi ex intellectione, sic & Spiritus sancti ex dilectione creaturarum merè possibilium, allatas superiùs *num.8.* satis responsum est *num.10.*

CAPVT VI.

De immediato, & formalissimo principio processionum diuinarum.

1. AVreolus *in 1. dist.7. q.1. art.2.* negat esse in Deo potentiam producendi ad intra, aitque solam esse productionem actiuam, vt ex se infert passiuam. Ita vt persona producens sit principium *quod*; productio verò actiua principium *quo*, non per modum potentiæ & actus primi, sed per modum actionis, & actus secundi. Quam sententiam Molina reprehendit, vt parum consonam fidei: Cuniga verò putat probabilem, quamuis eam refutet. Fundatur Aureolus primò, quia productio actiua est improducta: ergo non habet principium & potentiam, à qua sit; sed ipsa est prima ratio, ex qua est persona producta. Secundò: idem est esse Patrem, seu Genitorem, & gignere Filium: sed prima persona non est Pater, aut Genitor per potentiam productiuam: ergo nec gignit Filium per potentiam productiuam.

Tertiò

Tertiò omnis potentia productiua potest abstrahere ab actuali productione, & ita concipi, vt non concipiatur producens: hoc autem repugnat Deo ad intra, alioqui posset persona producta concipi vt producibilis. Sed valere iusso Aureolo, amplectendus est communis philosophandi modus. Nam principium omne, quod producit quippiam, vim habet id agendi quod agit; alioquin quomodo ageret, si non posset? Neque concipi potest aliquid esse productiuum, nisi potentiam habeat productiuam: quæ sanè nullam dicit imperfectionem; nec de ratione potentiæ productiuæ est carentia actus, vt potentialitas. Quo modo contra eundem Aureolum probatur alibi, dari in Deo potentiam intellectiuam. Falsumque est primum eius fundamentum. Licèt enim productio actiua non producatur (daretur enim processus in infinitum) tamen non est ideò potentia, sed exercitium potentiæ. Falsum item est, Patrem seu Genitorem non constitui in actu primo per potentiam generandi, sicut per ipsam generationem actualem (quam propriè nomen Patris importat) constituitur generans in actu secundo.

2. Notandum porrò est (quidquid in contrarium dicat Gregorius *dist.* 7. *q.* 7. *art.* 2. fundatus in falsa Nominalium doctrina de indistinctione concreti, & abstracti) posse duplex constitui diuinarum processionum principium; nempe principium *quod*, & principium *quo*, seu per quod. Et quidem iam non agimus de principio *quod*. Nam constat tale principium generationis esse Patrem ipsum integrum, & adæquatè sumptum in concreto; quemadmodum & spirationis, Spiratorem. At verò priucipium *quo*, scilicet potentiam in abstracto, per quam à Patre & Spiratore productiones personarum existunt, inquirimus. Iterùm autem notandum est, aliquos ipsum principium *quo*, seu potentiam ad intus productiuam, rectè diuidere in potentiam proximam, hoc est, eam quæ immediatè operatur, & in potentiam remotam & radicalem, hoc est eam, quæ est potentiæ proximæ velut origo, seu radix. Alij verò potentiam proximam remotamque confundunt, vt Cuniga *disp.* 16. *dubio* 5. nos hoc loco propriè de potentia proxima, quæ sola est immediatum formalissimumque principium, disputamus. Atque sunt qui talem potentiam processionum diuinarum originatiuam nolint aliam esse, quàm essentiam (actum nempe essentialem intellectus & voluntatis) quamquam inter illos affirment varij variè relationem simul requiri. Siquidem nonnulli eam requirunt velut meram conditionem, vt Scotus, Gabriel, Suarez, &c. quibus subscribit Ariaga *disp.* 45. Alij volunt essentiam quidem esse potentiam proximam, seu principium formale processionum, sed non solam: adiungunt enim ei relationem non quasi conditionem, sed quasi habentem etiam rationem potentiæ, siue principaliùs, vt docuit Henricus in summa *art.* 57. *quæst.* 7. siue ex æquo, vt Valentia 1. *p.* *q.* 15. *puncto* 2. Ruis *disp.* 100. *sect.* 4. post Albertum, Ricardum, &c. siue denique tantùm in obliquo & connotatiuè, vt Vasquez *disp.* 164. *cap.* 3. Sunt tandem qui nolint, essentiam per se spectatam includi in principio formali & immediatissimo; sed solam relationem, seu quandam in ipsa essentia rationem fœcunditatis (quæ

Patrem

Patrem & Spiratorem in actu primo constituat) esse immediatam processionum originem; quod est dicere, actum essentialem intellectus & voluntatis non per se nudum, sed per suam fœcunditatem, siue vt fœcundum, formale esse actiuarum processionum principium. Sic Bonauentura *dist.7.q.1.* Durandus *q.2.* (licèt iste velit relationem seu rationem fœcunditatis non ad intellectum aut voluntatem, sed ad naturam vt ab his per mentem distinctam pertinere.) Carthusianus *in 1. dist.7.* vbi Antissiodorensem pro ea sententia citat; Valentinus Herice *disp.13. de voluntate Dei, num.43.* Martinonus *disp.24. sect.4.num.36.* qui quosdam alios citat, & inter eos D. Thomam in variis fauentem locis. Addendus est Ioannes Delugo, qui *disp.12. de incarn. num.96.* ait, *naturam diuinam non posse esse principium generandi Filium: quare oportuisse illam constitui in ratione principij per aliquid distinctum realiter à Filio, nempe per personalitatem.* Vbi non inadæquatam & partialem, sed absolutè integram principij constitutionem significat. Mihi præ cæteris placet hæc vltima sententia, secundùm quam sit

3. Conclusio prima. Essentia diuina, seu illam sumas solam, seu quocumque volueris modo relationi coniungas, non est principium formale, potentiáve originatiua processionum. Siue (quod idem est) essentiales actus intellectionis, & dilectionis sunt in Deo non per seipsos, sed per superadditam suam fœcunditatem ab iis ratione distinctam, principium formale à quo physicè oriuntur processiones; eo sensu, quo essentia ignis, aut solis per calorem, aut lucem sibi inhærentem dicitur principium formale caloris luminísve producti. Probatur primò authoritate Concilij Lateranensis sub Innocentio III. quod *cap. 2. de summa Trinit.* sic definit: *Illa res* (natura seu essentia) *non est generans, neque genita, nec procedens; sed est Pater qui generat, & Filius qui gignitur, & Spiritus sanctus qui procedit; vt distinctiones sint in personis & vnitas in natura.* Vbi clarè docetur vim producendi esse in personis secundùm id in quo distinguntur; non secundùm id, in quo vnitatem habent. Quo posito sic argumentor. Si essentia, seu natura esset principium formale processionum & potentia productiua personarum, produceret actu ipsas personas; quod enim ad intra in Deo productiuum est, est producens actu; quandoquidem in constitutione intrinseca Dei id omne de facto est, quod potest esse. Atque ita veræ essent hæ propositiones, quas Ecclesia damnauit: Essentia seu natura generat: Natura spirat. Nec difficultatem euadunt, qui essentiam volunt nonnisi partialem esse potentiam generandi aut spirandi. Nam de eo quòd partialiter generat aut spirat, non potest dici: Non generat: Non spirat. Quod Concilium dicendum esse definit simpliciter & absolutè de natura. Accedit & Sanctorum Patrum authoritas. Athanasius enim disputans contra Anomæos *in dial.1. de Trinit.* dum explicat hæc Psalmi 109. verba, *Ex vtero ante Luciferum genui te: Vteri nomine,* inquit, *genitricem vim ipsius hypostaseos* (atque adeò nequaquam naturæ) *intelligo.* Valet etiam quod ait Epiphanius hæresi 73. *Vox, Pater, est plusquàm nomen ingeniti. In ingenito enim non apparet potentia Patris.* Vult scilicet

Patris

Patris potentiam generatiuam in eo solo consistere, quod nomen Patris addit supra vocem ingeniti. Atqui Pater supra ingenitum non addit naturam, sed paternitatem solam. Denique plures ex Sanctis Patribus testantur nihil habere Patrem, quod non sit commune Filio, præter paternitatem, seu vim, potentiamque generandi. Sic exempli gratiâ Damascenus *lib. de duabus Christi voluntatibus*, loquitur: *Omnia quæ habet Pater, sunt Filij, solâ gignendi vi exceptâ.* Ergo nihil quod Filius habeat, est vis potentiaque gignendi: atqui Filius habet naturam: ergo, &c.

4. Probatur secundò manifesta ratione. Principium enim omne, quatenus est realiter ac physicè productiuum, debet esse realiter distinctum ab eo, quod prima sui productione per illud producitur physicè; nihil enim siue vt totale, siue vt partiale agens potest producere seipsum dando sibi, vel ei quod idem est cum ipso, primam existentiam; nam ita præsupponeret seipsum (vt per se constat) & esset antequam esset. Atqui si essentia (hoc est intellectio aut volitio) produceret personas, produceret id quod ab ipsa distinctum non est, cùm de fide sit essentiam diuinam non distingui realiter à personis productis: ergo, &c. ac primò quidem id argumentum euidens est contra illos, qui volunt totam & adæquatam vim personas producendi positam esse sic in intellectione & volitione essentiali, vt paternitas, seu relatio nihil operetur. Sic enim essentia diuina sui esset ipsius productiua integrè. Quod autem ad hoc argumentum respondet Suarez *lib. 6. cap. 5. num. 4.* valere non potest. Scilicet non esse necessarium, vt persona producta distinguatur realiter à principio, *quo*; sed sufficere vt distinguatur à principio, *quod*, in ea productione, in qua natura ipsa non producitur, sed communicatur. Nam contrà. Patet enim, differentiam non posse poni quoad hoc inter principium *quo*, & principium *quod*; cùm illud non minùs influat aut originet ac præsupponatur rei productæ, quàm istud. Imò non nisi ratione principij *quo*, seu virtutis productiuæ principium *quod*, distinguitur à re. Principium enim, *quod*, est dumtaxat velut denominatiuè principium, cùm reuerà principium solum, *quo*, seu virtus producendi, exerceat rationem principij. Quapropter si repugnat aliquid habere vim producendi seipsum: ergo magis repugnat esse ipsammet virtutem producendi seipsum. Confirmatur. Nam quis non videt principium, *quo*, habere oppositionem relationis cum termino producto. Quare negari non posset, quin essentia diuina in aduersariorum doctrina oppositionem relationis habeat cum personis productis: quod veritati Catholicæ aduersatur.

5. Porrò quod idem Suarez subdit, intellectionem & dilectionem, siue essentiam diuinam non esse sui ipsius principium, *quo*, nisi coniungatur ei paternitas, vt conditio sine qua non, id nequaquam impedit quin maneat contradictio, quod essentia producat seipsam, seu terminum cum ipsa identificatum; atque ita præsupponatur existere antequam existat. Nec spernendum est, quod Ruis citatus circa hoc arguit; cùm paternitas non sit conditio necessaria vt intellectio existat, eam non posse dici conditionem vt ipsa intellectio id operetur, cuius operandi natura-

lem vim habet: ergo intellectio si naturalem habet vim generandi, generabit absque conditione paternitatis. Nec vera est Caietani hîc instantia, calorem virilem habere vim integram producendi lactis; sed non producere, quia caret conditione requisita. Nihil item valet instantia Ariagæ argumentantis à propinquitate necessaria vt ignis comburat stuppam. Propinquitas enim non est aliud quàm applicatio agentis ad patiens, requisita in omni agente; qualis non est paternitas in diuinis.

6. Hæ considerationes impugnant æquè validè quod censet Valentia *disput*.2. *q*.5. *punct*. 2. & Ruis *disp*.100. *sect*.4. nonnullique alij, essentiam non esse adæquatum principium *quo*, personarum, sed cum illa relationem (hoc est paternitatem & spirationem) producere personas vt partiale principium, & non esse tantùm conditionem. Dico enim non minùs repugnare vt essentia sit inadæquatum, quàm adæquatum sui principium: nam valét vtrobique eædem rationes, vt patebit consideranti, & eas contra doctrinam horum Authorum applicanti. Sanè quod inadæquatè produceret seipsum, non minùs præsupponeretur sibi ipsi existens, antequam existeret, quàm quod adæquatè seipsum produceret. Neque maior prioritas requiritur in principio adæquato, quàm in principio inadæquato. Præterea argumentum, quod Ruis addit etiam ad probandam suam sententiam, nullum est. Negatur enim illi, essentiam diuinam esse indifferentem ad generandum vel spirandum, & indigere determinatione ad hanc potiùs quàm illam processionem. Essentia non generat nisi per intellectum, nec spirat nisi per voluntatem. Indifferentiam autem nec intellectus, nec voluntas habet, sed quælibet ea potentia est per se determinatissima ad operationem sibi propriam, nec opus est illi vlla alia determinatione. Adde quod si esset opus aliqua determinatione per adiunctionem relationis, sufficeret relationem adiungi non vt partiale principium, sed vt meram (quomodo Suarez voluit) conditionem.

7. Vasquez *disp*.164. docet solam intellectionem, volitionemque essentialem sic esse principium *quo*, personarum, vt relatio nullo modo iuuet, nec vt partiale agens, quod Valentia & cæteri voluerunt; nec vt conditio, quod Suarez aliique multi: sed putat satis esse, si relatio simpliciter ab intellectione volitioneque connotetur in obliquo. At primò satis ex dictis refutatur illa sententia concedens totam vim principij *quo*, intellectioni & volitioni; cùm iam ostenderimus, actus illos essentiales non posse personarum, cum quibus identificantur, esse partiale, nedum totale principium productiuum; sic enim foret idem principium sui productiuum ipsius, & sibi præexistere deberet. Deinde peto, quid sibi velit, relationem merè ac simpliciter connotari? Non apparet quid aliud importare queat illa connotatio, quàm vel rationem conditionis; vel, sicut explicat Ruis *sect*.4. & 5. rationem minùs principalis agentis. Hactenus exposita fuit à nobis ac stabilita prima hæc ratio, cur essentia diuina producere nequeat personas diuinas tanquam principium *quo*, quia scilicet non distinguitur ab illis: omne autem principium *quo* siue, totale sit, siue partiale, debet esse realiter distinctum ab eo, quod prima

ma sui productione per illud producitur physicè.

8. Est & secunda superioris huius conclusionis ratio. Nam si essentia est principium formale, seu potentia generandi, & spirandi: ergo in omnibus personis est vis generandi, & spirandi; atque ita Spiritus sanctus de facto generat & spirat: vel quominùs id faciat (cùm nihil potentiæ ipsi desit) impeditur, & habet potentiam ligatam. Hoc autem est absurdum: etenim potentia naturalis & non libera, nequit impediri nisi ab extrinseco, & præternaturaliter. At Deum repugnat eo modo impediri aut suspendi. Respondet Suarez concedendo primam consequentiam; quia videtur diuinas personas debere summam inter se habere æqualitatem in omni genere potentiæ; ita vt nullam potentiam habeat Pater aut Filius, quam non habeat Spiritus sanctus. Fauere in hoc videtur Augustinus Suari, disserens contra Maximinum Arianum lib.3. *Absit*, inquit, *vt quomodo putas, ideò sit potentior Pater Filio; quia genuit Pater, Filius non genuit. Neque enim non potuit, sed non oportuit; immoderata enim esset diuina generatio, si genitus Filius nepotem gigneret Patri.* Addit verò Suares, potentiam generatiuam & spiratiuam, licèt in Spiritu sancto non habeat actum secundum; non tamen propterea dici propriè impediri aut suspendi præternaturaliter, vel ab extrinseco. Illud enim impedimentum consistens in solo defectu conditionis, prouenit ex intrinseca ratione, & maximè connaturali diuinæ naturæ, quæ postulat hunc ordinem existendi in pluribus personis mediante origine, vt in vna persona, & non in alia conditionem habeat ad producendum necessariam. Sed ea Doctoris eximij responsio non satisfacit. Nam si vis generatiua aut spiratiua peteret reperiri in omnibus personis, peteret etiam in iis habere actum secundum; cùm talis potentia non sit nisi vt actu operetur. Et contra rationem est asserere, naturam diuinam ita esse constitutam in se, vt ab intrinseco petat habere in aliquibus personis potentiam productiuam, & simul postulet habere æternam suspensionem, ac negatiuum impedimentum illius. Aduertendum est hanc rationem valere non tantùm contra eos, qui volunt potentiam generandi & Spirandi esse completam & totalem in intellectione dilectioneque essentiali; sed etiam contra eos qui volunt, in iis actibus potentiam esse tantùm partialem. Repugnat. enim Deum ita esse ab intrinseco constitutum, vt petat reperiri aliquibus in personis partialem, quæ sit inutilis, potentiam. Stet igitur, fixumque sit ex dictis, essentiam non posse esse principium *quo*, & formale processionum: quemadmodum sequenti capite videbimus harum terminum formalem non esse ipsam essentiam, sed proprietatem personarum productarum. Debent enim terminus formalis & principium formale sibi respondere cum proportione, & tali oppositione, qualem non habet essentia personæ producentis & productæ.

9. Conclusio secunda. Principium *quo*, seu formale processionum est relatio, seu proprietas. Sequitur ex dictis. Nam in personis diuinis aliud nihil est, quàm essentia, & relationes seu proprietates. Quare si essentia non est principium formale, nullus negat recurrendum esse ad relationem. Antequam ad vlteriorem

veniamus conclusionis probationem, notandum est, relationem in diuinis plures habere velut partiales rationes, atque sumi eam posse, vel provt dicit formaliter ipsam processionem, seu productionem; est enim productio tam actiua quàm passiua aliquid relatiuum: vel provt fundatur in actuali processione seu productione, illamque supponit ac sequitur; & sic est velut relatio prædicamentalis, nec est aliud quàm fundamentum, quod mens habet duas personas comparandi: vel denique provt antecedit processionem & ad eam comparatur tanquam actus primus ad actum secundum. Hæc enim omnia reperiuntur & importantur in relatione diuina adæquatè & totaliter sumpta. Nos autem vltimo solo modo sumptam relationem asserimus esse potentiam immediatam, seu principium formale processionum.

10. Quo modo in Patre non paternitas (hæc enim dicit aut supponit actualem generationem) sed fœcunditas præcedens, quæ vt actus primus personam ipsius Patris provt innascibilem comitatur, & est aliquid supra essentiam transcendentaliter relatiuum, dicenda est esse principium formale generationis. Nec satis id videtur distinxisse Durandus, vt nec alij quidam. Quod ad spirationem attinet, existimare posset aliquis, principium formale eius esse paternitatem & filiationem, provt actualem dicunt in Patre generationem, & in Filio natiuitatem: sic enim præsupponuntur ipsi spirationi. Sed tamen id non est dicendum; nam vel principium formale consisteret in vtraque simul ea relatione; & hoc non: sic enim totum principium seu totalis potentia spirandi non reperiretur in Patre, nec item in Filio; cùm nec Pater filiationem, nec Filius paternitatem habeat. Vel consisteret totaliter in vnaquaque seorsim sumpta relatione; sed hoc etiam repugnat, quandoquidem ita non esset eadem potentia spirandi in Patre, quæ in Filio; cùm paternitas & filiatio realiter distinguantur, personisque discludantur. Denique principium spirandi pertinet formaliter ad voluntatem, ad quam nec paternitas, nec filiatio pertinet. Quare superest, vt asseramus, potentiam spiratiuam, seu principium formale spirandi esse communem relationem Spiratoris, provt importat fœcunditatem voluntatis priorem actuali spiratione, existentem totam in Patre, & totam in Filio.

11. His prænotatis conclusio probari adhuc magis potest; nam in Patre & Spiratore consideratis in actu primo, sola relatio sumpta vt iam explicata est, habet distinctionem à terminis prodoctis verè realem, & *prioritatem in quo*, sufficientem vt possit esse productionis formale principium: ergo, &c. Præterea bonum est argumentum, quod addit Durandus. Quandocumque aliquis actus inest alicui supposito, & non alteri, imò repugnat, oportet, vt ille actus insit per illam rationem formalem, per quam vnum differt ab alio, non per illam secundùm quam conuenit cum ipso. Exempli gratiâ, ratiocinari inest homini, & non bruto: quare oportet, vt conueniat homini per idem, per quod differt à bruto. Atqui generare conuenit Patri, & non Filio, cui potiùs repugnat: ergo oportet vt conueniat illi per id in quo differt à Filio. Illud autem est relatio, non autem natura d uina. Quod argumentum confirmatur ex Aristotele,

telè, qui primo Ethicorum probat simili ratione beatitudinem non esse operationem sensitiuæ facultatis, sed intellectiuæ; quia beatitudo inest homini & non bruto: ergo inest homini per illud in quo differt à bruto, & hoc est intellectus, non sensus.

12. Contra præcedentem doctrinam obiicitur primò ex D. Thoma *q.4.art.5.* in omni productione illud esse *principium quo*, producendi, in quo productum assimilatur producenti: sed hoc est natura in personis diuinis: ergo, &c. Confirmatur primò ex Scoto; quia aliàs productio Filij, exempli gratiâ, esset æquiuoca, & ita non esset perfecta generatio. Sequela patet; quia Filius non esset similis Patri in formali principio producendi. Confirmatur secundò; quia cùm terminus productus non accipiat tantùm esse relatiuum, sed etiam accipiat esse absolutum diuinitatis, & sit verè Deus, rationi consentaneum est, vt illius principium formale dicamus esse non tantùm ens relatiuum, sed etiam ens absolutum; & operari secundùm quod formaliter habet diuinitatem. Respondeo negandam esse primò maiorem, nempe quod in omni productione illud sit formale producendi principium, in quo productum assimilatur producenti. Siquidem illud verum est in illis dumtaxat productionibus, quæ sunt ita vniuocæ, vt in iis forma, in qua similitudo consistit, producatur. Tunc enim productio ipsius formæ procedit à forma simili, quæ est in producente. At verò in productionibus diuinis forma ea, in qua personæ producentes, & productæ similes sunt sibi perfectissimè, non producitur: & cùm sit eadem numero forma in producentibus, & productis, impossibile est, vt forma in producentibus sit *principium quo*; vbi enim assimilatio est secundùm eamdem numero formam, tollitur necessariò à tali forma ratio principij, & termini. Ad primam confirmationem, nego productionem Filij fore æquiuocam. In Filio enim, & in eius Patre non attenditur præcisè terminus formalis, qui producitur *vt quo*, & potentia quæ est *principium quo*; sed prætereà importatur natura, quæ cùm sit eadem, non tantùm specie, sed etiam indiuiduo, tùm in Patre, tùm in Filio; hinc fit, vt Pater & Filius, hoc est principium quod seu totale, & terminus item totalis, dici debeant habere similitudinem vniuocam longè perfectiùs, quàm habere possint cætera entia.

13. Ad secundam confirmationem dico, in qualibet diuina processione interuenire duo, communicationem essentiæ, & productionem proprietatis. Si enim alterutrum deesset, non esset vera processio diuina. Secundùm quam duplicem considerationem potest constitui duplex quasi principium formale; quemadmodum duplex etiam terminus. Nam respectu communicationis non repugnat essentiam esse & principium formale communicans, & terminum formalem communicatum. Nec enim est necessarium, vt principium communicationis sit distinctum ab eo quod communicatur, quia idem seipsum communicare potest; ad quod nulla vera requiritur actio. At verò respectu productionis, principium formale non potest esse, nisi aliquid realiter à producto distinctum, hoc est, in præsenti, relatio seu proprietas diuina, quam solam hîc consideramus. Nec enim hîc disputamus de

principio formali processionis diuinæ, quatenus communicationis; sed solùm quatenùs productionis. Porrò quia relatio dum est actuale principium, identificationem habet realem cum essentia, cum qua vnum quid est simplicissimum; ideò terminus illius formalis, quem producit, debet similem habere identificationem cum eadem essentia; idque est eam essentiam vi productionis per relationem factæ communicari, absque eo quod communicatio aliam actionem veram importet, quæ essentiæ communicanti seu danti seipsam tribuatur. Quod notandum est contra Durandi aliquod argumentum nobis repugnans, *dist.7. q.2.num.23.& 34.*

14. Obiicitur secundò. Si relatio est principium formale processionum, sequitur processiones diuinas non esse formaliter per intellectus & voluntatis actum, contra id quod aliàs docuimus. Patet sequela: nam relatio seu proprietas notionalis, nec intellectio est, nec volitio. Atque inde fit vlteriùs, non posse reddi rationem, cur Filio communicentur formaliter ex vi productionis perfectiones intellectus; vt esse Verbi, esse Sapientiæ, &c. aut Spiritui sancto perfectiones voluntatis, vt esse Amoris, esse Sanctitatis, &c. Respondeo. Quamuis relatio seu proprietas notionalis ea, quæ est potentia productiua, distinguatur formaliter & vt ratio obiectiua ab intellectus & voluntatis actibus; tamen in iis radicatur formaliter. Et ea quidem proprietas seu fœcunditas, quæ est in Patre, oritur metaphysicè ab intellectione, estque fœcunditas ipsius intellectionis; quemadmodum vis spiratiua, quæ est in Spiratore, pertinet formaliter ad voluntatem; estque ipsius voluntatis propria fœcunditas. Ex quo fit vt generatio Filij sit ab intellectione, atque adeò ab intellectu formalissimè, quamuis mediatè: productio autem Spiritus à voluntate. Indidem petitur ratio, cur vi productionis communicentur formaliter perfectiones intellectus per generationem; perfectiones autem voluntatis per spirationem: formale enim generationis principium totum ad intellectum pertinet; spirationis autem ad voluntatem.

15. Obiicitur tertiò. Relatio non potest esse productionis principium, quemadmodum nec terminus, ex Aristotele; alioqui relatio fundaret ac reciperet relationem causalitatis seu principij; quod dici non potest. Si enim relatio vna relationem fundet, & hæc secunda relatio fundabit tertiam, & sic in infinitum. Prætereà inauditum est, quòd persona agat per suam personalitatem, & non per suam essentiam. Respondeo primò. Aristoteles loquitur de relatione prædicamentali: at relationes diuinæ, de quibus hîc agimus, sunt transcendentales. Secundò. Non est sumenda ex Aristotele philosophandi ratio de diuinis relationibus, quæ sunt longè altioris conditionis, quàm creatæ. Hinc est, quod, cùm istæ non possint esse constitutiuæ suppositorum, istæ diuinæ constituant supposita, vt libro sequenti ostendemus. Eodem modo mirum non est, si possint esse principium formale processionum. Nec inconueniens est, quod vna relatio fundet relationem aliam; dummodò enim hæc non sit eiusdem cum illa rationis, benè vitatur processus in infinitum. Sic enim duæ filiationes fundant similitudinem; sunt enim inter se similes: & duo filij in eo quod sint filij, relationem habent similitudinis

dinis fundatam in relatione filiationis. Sed apparet similitudinem & filiationem non esse ad eosdem terminos, nec habere idem numero fundamentum, & esse diuersæ rationis. Vtrùm autem specialiter in relatione similitudinis fundari possit alia similitudo, & ita progredi in infinitum, nullius id momenti est, cùm istæ relationes non sint formaliter, nisi comparationes, quæ actu existunt per solam mentem nostram; à parte verò rei existant fundamentaliter tantùm, & sint comparabilitates. Dicendum item est, aliam esse rationem personalitatum diuinarum, ac creatarum. Quamuis enim per istas personæ, quas constituunt, agere non possint; possunt tamen illæ, non præcisè quatenùs personalitates, sed quatenus cum ratione personalitatum habent rationem potentiarum productiuarum.

16. Obiiciuntur quartò authoritates quædam Patrum: ait enim Anselmus *in monologio cap.54.* de Spiritu sancto loquens: *Non ex eo procedit, in quo plures sunt Pater & Filius; sed ex eo, in quo vnum sunt: Nam non ex relationibus suis, quæ plures sunt; alia est enim relatio Patris, alia Filij: sed ex ipsa essentia, quæ pluralitatem non admittit, emittunt Pater & Filius tantum bonum.* Et *libro de processione Spiritus sancti cap.25. & 30.* asserit, *Spiritum sanctum procedere de diuinitate Patris, non de paternitate.* Affert D. Thomas Diuum Damascenum 1. *de fide, cap.8.* sic dicentem: *Generatio quidem sempiterna est, & quæ naturæ opus sit, atque ex ipsius essentia producat.* Adducit etiam Suares Ioannem Theologum Concilij Florentini, qui *sess.18.* hoc modo loquitur: *Dixi Filium ex Patre, & ex Patris substantia generari; ita tamen vt Pater sit generans. Principium autem, quo ipsa persona generat, est id solùm quod communicabile est.* Respondeo Anselmi directam intentionem esse, vt neget produci Spiritum sanctum per eas relationes, in quibus Pater, & Filius inter se distinguuntur, & opponuntur. Cùm autem addit, eos spirare *ex sua ipsa essentia, quæ pluralitatem non admittit, aut ex diuinitate,* sic explicandus est, vt per essentiæ, ac diuinitatis nomen intelligat latè ac minùs propriè id omne, quod non est paternitas, nec filiatio, & quo Pater & Filius vnum quid indistinctum constituuntur; seu id omne, quod intrinsecè & constitutiuè vtrique commune, ac indiuisum est. Id autem est fœcunditas spiratiua, nec solùm essentia diuina, quam constat ex parte sua non esse productiuam Spiritus sancti, cùm non sit ab hoc indistincta, nec ipsi opposita relatiuè. Similiter Damascenus voluit generationem æternam esse ex interna substantia Patris: quod verum est. Nam fœcunditas generatiua est illius intimè constitutiua; & cùm in essentia diuinitateque propriè sumpta radicetur, non malè dici potest generatio esse opus naturæ, & ex ipsa essentia emanare.

17. Ad Ioannem Theologum respondeo primò. Non quidquid à Theologis in Conciliis disceptatur, authoritatem habet. Nam & in vtramque partem multa solent afferri, quæ sibi inuicem opponantur. Secundò, cùm dixit, Filium ex Patris substantia generari, & principium quo generatur esse id solùm quod communicabile est, verissimè dixit; non enim aliunde fit generatio quàm ex Patris substantia & intellectione, provt habente superadditam fœcunditatem ipsi identifica

identificatam. Clarum enim est, nullum principium posse generare nisi fœcundum: fœcunditatem autem constat esse aliquid superadditum intellectioni; si enim esset ipsa simpliciter intellectio, quæ communicatur Filio, Filius haberet vim, quam Pater habet generandi, producendíque Filium; & quidem non alium quàm seipsum: & de facto generaret, nisi deesset illi (vt Suarez, Ariaga, aliique fatentur) applicationis conditio; eodem modo quo hîc Burdigalensis ignis habet vim comburendi stupam Romanam, ac de facto, nisi deesset conditio propinquitatis, combureret. Filium autem habere ac petere ab intrinseco vim generandi Filium, hoc est seipsum, & simul petere ab intrinseco talem vim in æternum ligari, inutilemque suspendi, nullo modo videtur admittendum. Et ita sequeretur vim generandi, atque spirandi non esse notionalem, sed absolutam, essentialemque perfectionem: foret & hæc absurditas, quòd si Filius eamdem haberet fœcunditatem, quam habet Pater, non haberet vim alium generandi Filium quàm seipsum, cùm non alium fœcunditas Patris respiciat. Constat autem repugnare, vt vi suæ generationis Filius habeat vim sibi dandi primam suam (qualem nempe ipsi Pater dat) existentiam. Porrò ille Concilij Florentini Theologus manifestè *sess.* 19. sensum suum aperuit. Nam cùm visus esset dicere, essentiam esse *Principium quo, seu per quod*, subdit: *Propterea tamen non sequitur, vt hæc substantia secundùm suum esse commune, & absolutum principium sit per quod.* Cùm ergo protulit sess. 18. *Principium generationis esse Patris substantiam communicabilem*, est intelligendus de principio solùm vt affecto fœcunditate, siue vt subiacente fœcunditati; quæ fœcunditas non sit communis, nec aliquid absolutum.

18. Denique assero aduersarios malè vti authoritate illius Theologi contra nos. Sic enim ratiocinantur: Cùm Theologus ille intendit probare contra Græcos Spiritum sanctum non à solo Patre, sed etiam à Filio produci, quoniam volitio (quam constat non esse in solo Patre, sed esse etiam Filio communem) est principium spirationis; non validè argumentaretur, nec probaret quicquam contra Græcos, si præter volitionem essentialem superaddita quædam fœcunditas requireretur. Græci enim possent dicere: Esto, constet volitionem esse communem ipsi Filio; at negamus fœcunditatem illam volitioni superadditam, in Filio reperiri. Quare ille Theologus nihil contra Græcos validè probasset, si verum sit fœcunditatem superadditam volitioni principium esse formale productionis Spiritus sancti. Assero, inquam, ratiocinationem illam aduersariorum non magis contra Græcos valere: atque eamdem habere potuisse ipsos Græcos euasionem in opinione nobis contraria, in qua scilicet essentialis volitio, licèt asseratur esse *Principium quo*, & completa spirandi potentia; nihilominùs vt actu spiret ac producat Spiritum sanctum, debet habere conditionem relationis, vt ipsi aduersarij volunt. Potuerunt enim dicere Græci: Esto, habeat Filius volitionem, seu *Principium quo*, productionis Spiritus sancti: at negamus illum habere conditionem illam relationis; cuius conditionis defectu spirare non potest, nec

nec Filius, nec Spiritus sanctus. Porrò dicendum est, illum Theologum validè argumentatum fuisse: ad eam enim obiectionem, quam Graeci facerent, respondere Theologus ille posset, non solam volitionem, sed etiam relationem Spiratoris communem esse Patri & Filio; huic enim Pater communicauit quidquid habet, prӕterquàm esse Patrem; habet autem Pater illam Spiratoris relationem.

CAPVT VII.

De immediato & formali termino processionum diuinarum.

DVbium non est, quin *terminus qui*, seu totalis & adӕquatus processionum, sit persona ipsa, quӕ procedit; putà Filius seu Spiritus sanctus adӕquatè sumptus. At non conueniunt Doctores, quisnam sit terminus formalis & productus *vt quo*. Suares enim, quemadmodum superiùs voluit principium formale, & *vt quo* esse diuinam essentiam ex parte producentis; sic & eamdem diuinam essentiam censet esse terminum formalem ex parte producti. Nititur eodem, quo superiùs, fundamento: *Quia in omni productione*, inquit, *formalis terminus est natura vel forma, in qua productum assimilatur producenti. Nam producens intendit assimilare sibi productum, & communicare illi suum esse, & suum principium producendi: atqui diuin. essentia est, in qua persona producta similis est producenti, & quӕ primariò communicatur; & est prima ratio, & principium illius communicationis: ergo eadem est terminus formalis; prӕsertim cùm aliàs intelligi non posset, quomodo productio Filij esset vera & vniuoca generatio.* Hӕc ille.

2. Idem ferè docet Vasquez *disp.* 162. post Caietanum, & alios, afferens de ratione termini productionis aliud nihil esse, quàm vt sit forma rei productӕ. Nam sicut omne agens operatur per formam suam; sic etiam per formam rei productӕ communicat & tribuit illi esse; quod est eam producere. Id verò fieri posse addit, etiamsi formalis terminus non fiat per productionem, sed illam seu tempore, seu naturâ prӕcedat; vt in generatione hominis, & clariùs in eiusdem resurrectione contingit. Ergo ex hac parte non repugnat essentiam diuinam esse terminum formalem productionis personӕ. Res enim, quӕ est terminus totalis rationis, non terminat ipsam actionem sub ratione, aut relatione expressa producti, sed secundùm rationem absolutam talis entis; sicut generationem terminat homo sub ratione hominis absoluta. Ergo illud quod est forma ipsius rei, erit formalis terminus actionis, quâ talis res producitur. Quia productio mediâ formâ, non tanquam principio producente, seu tanquam re productâ, sed tanquam naturâ producti, dat illi esse talis rei, communicando ipsi eam formam. Confirmatur: nam ex Aristotele in productione vnius personӕ creatӕ terminus formalis est natura, non personalitas. Siquidem 1. *Physicorum, textu* 14. dicitur, generationem esse viam ad naturam, hoc est ad formam: ergo forma est terminus formalis, non personalitas.

3. Sed melior est sententia Aureoli, Durandi, Henrici, &c. affirmantium, terminum formalem productionum diuinarum esse non naturam, sed relationem, seu proprieta-

tem personalem. Idque omninò asserendum est consequenter ad ea, quæ antè docuimus de principio formali. Nam quamuis possit esse quæstio de nomine; tamen non benè videntur Authores contrarij formalem terminum productionis confundere cum forma termini totalis producti. Atque meliùs intelligimus nomine termini formalis id, quo formaliter totalis, integerque terminus actionem terminat, quatenùs productus est. Id verò oportet intelligere esse productum, sicut principium formale est id quod proximè & immediatè producit, & ratione cuius totum denominatur producens. Patet. Nam quomodo potest aliqua forma esse ratio cur compositum aliquod censeatur actionem terminare, si actionem ipsam non terminet? Quo posito clarum est essentiam, siue naturam diuinam, cùm nullo modo producatur ipsa, non esse posse terminum productionis, sed id soli posse conuenire proprietati personali, seu relationi; cùm hæc sola immediatè producatur, & sit id quo solo immediatè producto persona tota dicitur mediatè producta. Nec res maiore indigere videtur probatione, vel explicatione. Hanc nostram de cuiuscumque productionis termino formali sententiam mirum est Suarem non esse amplexum in tractatu de Trinitate, cùm illam docuisset in 3. *p. tomo* 1. *disp.* 8. *sect.* 2. ibi: *Terminus*, inquit, *formalis productionis aut actionis dicitur esse id, quod proximè per illam inducitur, & sit in rerum natura; hic est enim vsus istius vocis, & ex omnibus Philosophis constat, & ex ipsa ratione termini, qua in hoc consistit, vt ad ipsum tendat actio: actio autem maximè tendit ad id quod per ipsam proximè fit.* Hactenùs Suarez.

4. Aduertendum est nihilominus, si processionem diuinam consideremus, non vt est productio, sed vt est communicatio, posse non malè concedi (secundùm ea quæ capite superiori *num.* 13. docuimus) formalem eius terminum esse naturam diuinam. Hæc enim per se immediatè, & *vt quo*, communicatur: per eius verò formalem communicationem intelligimus, personis productis communicari consequenter vt sint Deus. Quoniam autem dari non potest processio diuina, quæ simplicem habeat rationem productionis, sed quælibet simul includit rationem communicationis prædictæ; hinc fit, vt non detur in diuinis productio, quæ non debeat dici vniuoca: in personam enim productam trahit vi adiunctæ communicationis formam eamdem numero, quæ personam producentem in tali esse constituebat. Hæc porrò communicatio non concipienda est quasi distincta à productione; sed hoc ipso, quod producitur talis tantæque perfectionis relatio, quæ vi suæ conditionis intrinsecæ sit identificata essentiæ; censetur communicata manere ipsa essentia, non quasi ipsa producta, cùm præexistens supponatur in persona producente; sed quasi (vt loquendi modus obtinuit) communicata.

5. Quia verò hæc essentia, cum qua relatio identificatur, præsupponitur ipsi relationi, atque adeò relatio intelligitur illi velut aduenire, & per identificationem vniri, illamque determinare; propterea Durandus, Henricus, & aliqui alij Theologi dixerunt, ipsam essentiam respectu relationis, seu proprietatis personalis habere quamdam rationem materiæ; seclusa tamen omni imperfectione.

ctione. Atque talem rationem materiæ voluerunt significari eo loquendi modo Sanctis Patribus, & Doctoribus familiari, quo dicimus Filium esse de substantia Patris, Spiritum sanctum de substantia Patris & Filij. Notari enim solet per particulam, *de*, genus aliquod materiæ, quod præexistat rei productæ, & in hac intrinsecè permaneat, eamque constituat. Quo sensu dicimus hominem formatum esse de limo terræ.

6. Hæc à prædictis Authoribus non malè asseruntur, nec sunt aliena à D. Thoma, tum *dist.* 5. *q.* 2. *art.* 1. vt fatetur Capreolus: tum etiam 1. *parte*, *q.* 39. *art.* 5. *ad* 1. Quamquam Suari, Vasquesio, aliisque displiceant asserentibus, non solius esse materiæ proprium præexistere alicui rei productæ, & in eius constitutione permanere. Id enim competere potest etiam formæ, vt de facto accidet in resurrectione; præexistet enim anima, & vnita remanebit in homine, quem constituet. Volunt igitur in hac locutione, *Filius est de substantia Patris*, significari in substantia seu essentia diuina rationem formæ. Non enim aliud significatur per illum loquendi modum præter consubstantialitatem, vt dixit Ioannes Theologus in Concilio Florentino *sess.* 18. Consubstantialitas autem non sonat quid materiale, sed maximè formale; quia est de ratione integræ, simplicissimæque naturæ, quæ est actus purissimus. Vnde illa essentia non determinatur per relationem tanquam materia per formam, sed tanquam natura per terminum seu personalitatem. Sed hæc disputatio, vtrùm per particulam, *de*, potiùs forma quàm materia significetur, est parui momenti, nec vllum est inconueniens in priori illa explicatione Durandi.

7. Imò quando forma ipsa consideratur vt præexistens productioni eius rei, quam postea productam constituit, vt accidit in resurrectione, debet dici eatenùs respectu ipsius rei, quam constituit, induere rationem materiæ. Omne enim quod ingreditur compositionem, reuocatur eatenùs ad causam materialem, vt docent Philosophi. Porrò quidquid sit de ea leui controuersia, cùm dicimus vnam personam producere aliam de sua substantia, significamus primò substantiam præsupponi personæ productæ: secundò eam ipsam numero substantiam manere in persona producta vt consubstantiali: tertiò eam substantiam esse in persona producta per originem, & communicationem producentis. Vnde vides dici non posse, creaturas esse de substantia Dei, nec Patrem esse de substantia Filij, aut Spiritus sancti.

CAPVT VIII.

De natura processionum formaliter ac secundùm se sumptarum.

1. DIsputatum est hactenus de principio tùm proximo, tùm remoto processionum diuinarum, necnon de earum termino. Iam superest vt quædam de ipsismet secundùm se processionibus disseramus, ac primò supponendum est, intelligique potest ex dictis hoc toto libro, Theologos processionum nomine, vel (quod idem est) originum significare productiones ipsas, cùm actiuas (putà generationem & spirationem) tùm passiuas (nempe natiuitatem & Spiritus

ritus emanationem.) Quia verò vnaquæque illarum productionum non omnibus communis est personis, sed vni tantùm, aut duabus (vt spiratio Patri & Filio) peculiaris est; hinc fit vt processiones vocari soleant actus notionales. Notio enim aliud nihil est, quàm signum manifestatiuum personæ. Vnde quidquid peculiare est alicui personæ, dicitur eatenus notionale. Propter quam rationem intellectio & dilectio essentialis considerata non absolutè, sed prout ordinem dicit ad processionem, & habet fœcunditatem adiunctam, ac per consequens vni certæ personæ, aut duabus personis addicta est, vocari etiam potest actus notionalis. Petes, num processio eodem modo, quo dicitur actus notionalis, vocari etiam possit intellectio notionalis? Respondeo: potest quidem in eorum sententia propriissimè, qui volunt personas procedere formaliter per intellectionem & dilectionem quasi per productionem; at verò in nostra doctrina non potest, nisi impropriè. Volumus enim intellectionem & dilectionem præsupponi à processionibus, nec cum his confundi. Debetque quodammodo concipi processio tanquam aliquid, quod per rationem medium sit inter intellectionem seu dilectionem fœcundam, & personalitatem productam; cùm ad illam, quasi ad principium; ad istam, quasi ad terminum comparetur. Atque de processione in hoc sensu accepta.

2. Quæritur primò, an dicenda sit Deo naturalis, seu necessaria; & an nihilominus dici debeat voluntaria? Respondeo. Non potest in Deo esse processio libera, vt per se constat. Personæ enim productæ, cùm sint Deus, non possunt non esse, nec aliter se habere. Debent ergo illarum processiones dici naturales & necessariæ. Quæ ratio communis est tam productioni Spiritus sancti, quàm generationi Verbi: quamquam & ista naturalis dicatur propter hanc insuper rationem; quia tendit ad communicandam naturam, vt primariò natura & essentia est; quod non conuenit productioni Spiritus sancti. Porrò quamuis processiones non sint Deo liberæ; sunt tamen voluntariæ obiectiuè, seu volitæ: nam Deus vult omninò esse Pater, & Spirator; sibique complacet in productionibus personarum. Quam voluntatem & complacentiam dicendum est non tantùm subsequi, vel comitari ipsarum productionum existentiam, sed etiam aliquo modo præcedere; quatenus nimirum productiones amantur, vt sunt obiectum simplicis intelligentiæ, & merè cognoscuntur secundùm quod sunt ens reale, & non implicans contradictionem. Deus enim sibi in illis eatenus complacet, & eas vult per voluntatis actum essentialem, vt benè Scotus & Caietanus. Quibus tamen repugnat Suarez *lib.6. cap.3*. Nota voluntariam esse speciali modo, & per seipsam, productionem Spiritus sancti. Est enim productio amoris: nihil autem est magis voluntarium, quàm amor.

3. Quæritur secundò, an processio sit verè effectio seu actio. Respondeo. Fide certum est, non esse. Nam in Symbolo Athanasij Filius dicitur esse à Patre solo non factus, nec creatus, sed genitus: & Spiritus sanctus à Patre & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens: & in Nicæno Symbolo idem habetur de Filio. Ratio generalis est, quia effectio, & actio propriè sumpta significat

cat traductionem rei à non esse ad esse; non autem processio diuina, cuius terminus à quo non est *nihil*, seu *non ens*; neque actualiter ac reipsa, quasi aliquando verè non fuerit antequam produceretur; neque in potentia, quasi potuerit non esse. Vnde fit, vt omnis vera effectio sit libera Deo, secùs autem diuina processio. Potest etiam reddi alia ratio. Quia nimirum in vera effectione causa influit aliud esse quàm illud quod habet; datque producto naturam à sua diuersam: quod in diuinis non contingit. Inde fit vt producens in diuinis, non vocetur causa à Latinis; licèt à Græcis dicatur αἴτιον, vt à Basilio, Gregorio Nysseno, Nazianzeno, Theophylacto, & aliis. Sed hi sumunt αἴτιον, seu causam remotis imperfectionibus distinctionis essentiæ, prioritatis naturæ, dependentiæ, &c. neque plus intelligunt eo nomine, quàm Latini nomine principij.

4. Quæritur tertiò, in quo velut subiecto processio collocanda sit, provt concipitur esse quasi media inter principium, & terminum suum; & an, provt in actiuam, passiuamque distinguitur, æquiparari debeat actioni, & passioni creaturarum? Respondeo. Inter illos, qui existimant actionem creaturarum non esse in agente, sed identificari cum passione, mutationéve subiecti, aut potiùs absolutè cum dependentia termini (siue hæc mutationem inducat alicuius subiecti, vt cùm educitur forma; siue abstrahat ab omni subiecto, vt accidit quando creatur terminus) non defuerunt, qui cum proportione in diuinis originem actiuam passiuamque identificari voluerint; & vtramque in termino, seu persona producta collocarint. Nam cùm origo (quemadmodum sanctus Thomas docet *quæst*. 40. *art*. 2. & sequentibus) significetur vt via quædam à re ad rem (quod item Ioannes Theologus in Concilio Flor. dixit *sess*. 18. asserens processionem in Deo esse viam ab vno ad aliud) clarum est perinde dici in processionibus diuinis, ac in productionibus creaturarum, quod vna realiter via, provt est à principio, habet velut rationem actionis; provt autem est ad terminum, passionis. Cùm verò comparetur ad principium tanquam quid extrinsecum, & oppositum, quia ab illo exiit; ad terminum autem tanquam ad aliquid intrinsecum, in quo manet; est conuenientius, vt in termino velut indistinctum collocetur, quàm in principio. Alij tamen, vt Suarez *lib*. 6. *sect*. 2. *num*. 7. *& sequentibus*, diuersam esse aiunt rationem quoad hoc in processionibus diuinis, & in productionibus creaturarum: quare putant separandam esse subiecto originem actiuam ab origine passiua.

5. Ego cùm in creaturis non censeam actionem se tenere ex parte termini, seu identificari cum passione; existimo philosophandum esse proportionaliter de diuinis processionibus eodem modo circa præsens negotium, quo de productionibus creaturarum. Quare asserendum est, processionem actiuam in persona esse producente, ac identificari cum illa, tanquam reale eius exercitium ab ipsa indistinctum: processionem verò passiuam esse in persona producta, vt quid ab hac item indistinctum; quod non sit quidem vera dependentia propter communitatem essentiæ diuinæ, sed tamen ad illius proportionem concipiatur.

6. Quæritur quartò, num processio

cessiones dici debeant actus immanentes, & vitales? Respondeo affirmatiuè. Nam omnes sancti Patres, & Theologi eas vocant productiones ad intra; hoc est, quarum termini cùm ipsi diuinitati, tùm etiam per consequens principio suo immanent: quandoquidem autem sunt propriæ viuentis, non possunt, prædictam supponendo immanentiam, non esse vitales. Quod etiam de processionibus passiuis intelligi debet: nam & in creatis passiones eæ dicuntur immanentes & vitales, quarum termini manent intra suum principium productiuum. Notandum porrò hanc immanentiam non esse talem vt terminus productus informet vel diuinitatem, vel suum principium; sicut accidit communiter in aliis actibus vitalibus, qui sunt veræ formæ: sed eam consistere, quòd terminus diuinitati identificetur, & principio suo per diuinitatis vinculum inseparabiliter adstringatur. Nec verò id vnionis genus, quod supremum est, & non est institutum vt agens se perficiat, minùs valet, vt aliquis actus dici debeat immanens, quàm vnio formæ accidentalis, quæ est instituta ob necessitatem subiecti non satis per se perfecti. Summo enim quodam, & perfectissimo modo se inuicem persona producens, productaque insident. Vnde dicitur Ioan. 1. *Vnigenitus, qui est in sinu Patris.* Et cap. 14. *Ego in Patre & Pater in me est.* Et 1. *Corinth.* 2. Spiritus Dei dicitur esse in Deo. Quod explicans Athanasius in confessione fidei, sic ait; *Spiritus sancti progressio semper est in manibus Patris & Filij.*

7. Quæritur quintò, quomodo processiones inter se per rationem vel conueniant, vel differant sub nomine processionis? Respondeo. Quod spectat conuenientiam, processiones, si vniuersaliter & latissimè sumantur, provt cunctas includunt, tam actiuas, quàm passiuas, non videntur in nomine processionis conuenire vniocè. Nam processio actiua est exercitium producendi & communicandi; processio autem passiua est acceptio existentiæ, & se habet vt in creaturis dependentia. Atqui hæc duo, licèt conceptus aliquos vniuocos variè habere possint, vt entis realis, relationis, &c. non tamen rationem communem, & vniuocam participant vllam, quæ huic nomini *Processio*, adæquatè respondeat. Quemadmodum nec in creatis actio & passio, creatio & dependentia rationem habent vnam communem sub nomine *productionis*, seu *processionis*. Et patet, cùm respectus actionis sit tendentia ad terminum, & respectus dependentiæ sit exitus à principio, non posse duos illos respectus rationem habere communem aliquam, quæ sit magis contracta, & ad illas magis descendat quàm ratio ipsa respectus. Quid enim habent commune hæc duo, *esse ad*, & *esse ab*, intra communes conceptus entis, vel relationis? Si tamen processiones non vniuersalissimè sumantur, sed solas inter se comparemus actiuas, aut solas inter se passiuas, clarum est conuenire vniocè, illas quidem sub nomine processionis actiuæ, productionis, &c. istas autem sub nomine processionis, & productionis passiuæ, &c. participant enim quælibet æquè primò, & sine dependentia vnarum ab aliis rationem eamdem sub nomine prædicto significatam:

8. Quod spectat eam differentiam, quæ per rationem in processionibus

nibus considerari potest, apparet ex iis quæ iam dicebam, actiuas à passiuis non posse non differre ratione plusquam specifica, & quidem realiter. Dico autem actiuas duas inter se comparatas differre (quamuis in re non distinctas, nisi virtualiter) ratione specifica sub communi genere processionis. Constat. Nam generatio est productiua termini valde diuersi à termino spirationis. Et præterea modus Filium producendi est longè alius à modo producendi Spiritum sanctum. Vnde ostendemus capite sequenti, Spiritus sancti productionem non posse dici generationem. Atque eodem modo probari potest processiones duas passiuas (quæ realem distinctionem habent) differre inter se ratione specifica.

9. Quæritur sextò, quomodo processiones distinguantur inuicem realiter, & plusquam ratione? Respondeo. Si processiones heterogeneas, putà actiuas, passiuasque comparemus, intelligitur ex supra dictis, eas quatenùs sibi respondent, ac relatiuè opponuntur; putà generationem actiuam & passiuam, spirationem item actiuam & passiuam distingui realiter, eodem modo quo personæ diuersæ, ad quas pertinent, & quarum oppositionem imitantur ac sequuntur, distinctæ sunt inter se. Qui tamen prædictas actiuas passiuasque processiones collocaret cum earum terminis personisque productis, nec subiecta distingueret, deberet consequenter illas non distinguere inter se realiter; quod licèt improbabiliter faceret, non tamen vllam censuram mereretur. Cùm tamen actiua passiuaque processio non se respiciunt, sed sunt velut disparatæ (quales sunt spiratio actiua, & generatio passiua) identificantur realiter, atque in eodem Filio, cuius tota entitas est simplicissima, reperiuntur. Hîc verò aduerte generationem actiuam non eodem modo comparari cum spiratione passiua, quo spirationem actiuam cum generatione passiua. Nam istæ duæ ita sunt inter se disparatæ, vt nullum habeant oppositionis genus. At verò non ita illæ, quemadmodum docebitur suo loco.

10. Si tamen actiuas inter se processiones, & passiuas item inter se comparemus, non potest esse difficultas quoad duas passiuas. Hæ enim non possunt non distingui realiter; cùm in duabus personis ita reperiantur, vt eamdem inter se oppositionem, distinctionemque induant, quam habent ipsæ inuicem personæ productæ, etiam quà productæ. De qua oppositione dicetur alibi. Quod autem attinet ad duas actiuas, certum est eas non posse distingui realiter; ambæ enim reperiuntur in Patris entitate, intra quam nulla potest esse realis distinctio.

CAPVT IX.

Cur processio Verbi sit generatio, non autem processio Spiritus sancti.

1. QVæri præcipuè hîc solet circa processiones, cur ea quæ fit per intellectum, dicatur generatio, & eius principium vocetur Pater; eius verò terminus, Filius? Et quid processioni alteri, quæ fit per voluntatem, desit, quominùs de ea idem dici possit? Vt huic respondeatur quæsito, & meliùs intelligatur difficultas, supponendum est, generationem,

rationem, provt est propria viuentium, definiri ex D. Thoma *q.* 27. *art.* 2. *in corp.* originem viuentis à viuente coniuncto in similitudinem naturæ. Vbi particula, *origo*, significat vim productiuam in generante, qualis non fuit in Adamo respectu Euæ. Particula, *viuentis*, denotat viuens totale, non autem solùm partiale: & ita distinguitur à generatione nutritio, quæ est origo viuentis partialis, seu partis integrantis. Deinde additur, *à viuente coniuncto*, quia oportet genitum habere in se aliquam substantiam, quæ fuerit in generante. Ita semen, quod fuerat pars genitoris, fit pars geniti; & ratione illius genitor & genitus manent coniuncti. *Quod creatur & efficitur, non ex substantia efficientis existit: quod autem gignitur, ex ipsamet efficientis est substantia*, inquit Basilius *lib.* 4. *contra Eunom.* τὸ ποιούμενον οὐκ ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ ποιοῦντός ἐστι· τὸ δὲ γεννώμενον, ἐκ τῆς αὐτῆς οὐσίας τοῦ γεννῶντος. Tandem additur, *in similitudinem naturæ*, vt significetur causas naturales in vera generatione intèndere similitudinem essentiæ saltem specificæ. Dixi, *intendere*, propterea quod primò non sufficit similitudinem quocumque alio modo, velut extrinsecùs, materialiter aut per accidens reperiri: debet enim ex vi originis suæ formaliter & primariò esse intenta. Secundò quia sufficit vt illam causæ generantes intendant, nec est necessarium ad veritatem generationis, vt semper assequantur. Fieri enim potest per accidens, vt causarum & naturæ intentio, ac velut conatus eludatur; quemadmodum contingit in monstrorum generationibus. Ita cùm duo semina, equinum, & asininum commiscentur, vnumquodque suam speciem intendit; sed quia vtrumque se mutuò impediunt, neutrum obtinet quod intendit; & casu in tertiam speciem productio tota terminatur; quæ productio non desinit esse generatio, quia similitudinem perfectam specificam conatæ sunt causæ obtinere, & aliquam imperfectam obtinuerunt: nam mulus prope ad equum asinumque accedit. In quo est discrimen à vermis ex homine orti productione: nam in hac non intenditur similitudo naturæ humanæ, nec vlla est eius adumbratio. Quam similitudinem in viuentium generatione natura intendat, declarat Aristoteles *lib.* 1. *de gener. animal. cap.* 19. ibi: *Vt parentum proles, inquit, sit similis rationi congruit; & cuiusmodi vnumquodque membrorum est actu, tale est potestate semen.* Et Hilarius *lib. de Synod.* quid sit esse Filium sic definit: *Paterna forma veritatem coimaginata in se natura perfecta similitudine referre.*

2. Supponendum est secundò Verbum solum, non autem Spiritum sanctum procedere per veram, qualis iam descripta est, generationem. Quòd enim Verbum procedat per *originem viuentis*, constat ex Ioan. 5. *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso.* Quòd sit *à viuente coniuncto* per eamdem numero substantiam, habetur ex Psalmo 109. *Ex vtero genui te* (hoc est ex mea substantia, vt sancti Patres constanter explicant. Athanasius *orat.* 5. Hilarius *lib.* 6. & 12. *de Trinit.* August. *lib.* 2. & 3. *contra Maximinum*, aliique plures.) Denique quod procedat *in naturæ similitudinem*, per identitatem numericam, patet ex Ioan. 10. *Ego & Pater vnum sumus.* At verò Spiritum non vocari posse filium, nec procedere per generationem,

rationem, euidens est ex eo quod Verbum non modò Filius appelletur, *sed Filius vnicus, seu vnigenitus*: vt in Symbolo Apostolorum & Nicæno, atque in Scriptura, Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti*: (hoc est, gloriam qualis eum decet, qui verè ac reipsa vnigenitus est.) Et ibidem: *Vnigenitus qui est in sinu Patris*; necnon cap. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret*. Hæc veritas expresè habetur in Symbolo Athanasij, vbi Spiritus sanctus dicitur *non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens*. Idem docetur in Concil. Tolet. 1. & 11.

3. Difficultas verò maxima est in reddenda ratione huius discriminis inter secundam & tertiam personam; non enim apparet quid ex definitione generationis prædicta desit in productione Spiritus sancti: nam hic vi suæ processionis oritur viuens à viuente, cui per consubstantialitatem ita coniungitur, maiorem vt habere nequeat similitudinem. Et tamen diuino testimonio, fideque Catholica certum est, reperiri quippiam in Trinitatis mysterio, cur propriæ generationis ratio soli personæ secundæ conueniat. Quid autem illud sit, adeò retrusum est, vt passim Sancti Patres incompertum sibi esse fateantur. *Inter generationem & spirationem*, inquit Damascenus, *aliquod quidem subesse discrimen nouimus; at quale illud sit, abditè latet*. ὅτι μὲν ἐστι διαφορὰ γεννήσεως καὶ ἐκπορεύσεως μεμαθήκαμεν· τίς δὲ ὁ τρόπος τῆς διαφορᾶς, μηδαμῶς. Quare parùm satisfacit, quod aliqui Patres, siue Græci, siue Latini, variè in hac difficultate responderunt hæreticis; qui dum contenderent Spiritum extrinsecùs esse factum, nec ex substantia Patris prodiisse, petebant, cur non, si intrinsecùs prodiit, Filium eum esse Dei dicamus? Quod Augustinus *lib. 1. contra Maximinum* ait sibi ab isto obiectum hæretico sic fuisse: *Quid vobis Spiritus sanctus deliquit, vt non sit Filius; cùm sit ex eadem substantia Patris æquè ac Verbum?* Id ipsum consuetum fuisse opponi Catholicis, testatus iam antè fuerat Athanasius ad Serapionem; videlicet *Spiritum sanctum, si ex substantia prodeat Patris, nec sit creatura, dicendum esse Filium; atque ita duos esse fratres, neque Verbum vocari posse vnigenitum: si autem Spiritus sanctus oriatur ex Filij substantia, Patrem filij esse auum Spiritus sancti*. εἰ μὴ κτίσμα ἐστὶν, ἐκεῖνο υἱός ἐστι, καὶ ὁ λόγος εἰ δὲ τοῦ υἱοῦ ἐστι πνεῦμα, ἐκεῖνον πάππος ἐστὶν ὁ πατὴρ τοῦ πνεύματος. Quid huic de Spiritus sancti processione difficultati responderi sufficienter, cumulatéque possit, vix apud Patres inuenias.

4. Nazianzenus *orat.* 37. cùm obiicientes ita Hæreticos induxisset: *Quid ergo est, quod Spiritui deest ad hoc vt sit Filius?* Ipse ita respondet, vt quæstionem sibi propositam non tangat: *Dicimus*, ait, *nihil deesse; non enim Deo quicquam deest: neque Filio aliquid deest ad hoc vt sit Pater; nec enim defectus est filiatio; alioquin eadem ratione Patri aliquid deerit ad hoc vt sit Filius. Sed hæc defectum non arguunt: quin potiùs ex his verbis, quod genitus non sit, & quod genitus, & quod procedat, hoc effectum est, vt alius Filius, alius Spiritus sanctus appelletur*. Non multò meliùs controuersiam hanc dirimit Gregorius Nyssenus ad Ablabium, cùm ait, *Spiritum sanctum ideò non esse Filium, quòd à Patre non προσεχῶς, hoc est, non proximè seu immediatè oriatur; sed post productum Filium, & per Filium*

quasi per medium (hoc est anteriorem ipso :) τῆς τοῦ υἱοῦ μεσιτείας αὐτῷ τὸ μονογενὲς φυλαττούσης, καὶ τὸ πνεῦμα μὴ ἀπειργούσης τοῦ πατρός. *Filio nempe, quòd medius sit, vnigeniti nomen conseruante, nec Spiritum à Patre remouente.* Quod clarè Calecas explicat, asserens Spiritum fore Filium, si ἀμέσως prodiret. τὸ γὰρ ἐκ τοῦ πατρὸς ἀμέσως, ἡ τοῦ υἱοῦ ἰδιότης ἐστίν. Basilius *lib.5. contra Eunomium, cap.* 12. ait, *Spiritum sanctum non esse dicendum Filium, ne si in Trinitate sit filius Filij suspicari quis inde possit, esse filios infinitos.* Non valet hæc ratio ; si enim valeret, negandum esset Spiritum sanctum dici posse productum, vel procedentem ; ne scilicèt, si in Trinitate sit procedens procedentis, & productus producti, oriatur suspicio ne infiniti sint procedentes & producti. Athanasius epistola ad Serapionem dicit, *Spiritum sanctum non esse Filium, quia Filius non potest esse Pater; nec potest esse Filius, præter eum qui est integra & perfecta imago Patris.* Id verò est ipsum quod quæritur, cur nempe Filius non sit Pater Spiritus sancti, aut cur Spiritus sanctus non sit etiam integra & perfecta imago Patris; atque huius per consequens Filius, cùm eamdem numero possideat integrè perfectéque substantiam. Non enim repugnat vt Spiritus sanctus possit eam ipsam denominationem accipere, quam integrè perfectéque participat Filius, vt apparet in denominatione Dei, quam Filius integram perfectamque habet, atque communicat.

5. Nihil quàm Græci solidius in hac re Patres Latini afferunt. Augustinus *lib.5. de Trinit. cap.*14. ait Spiritum sanctum non esse Filium, *quia exit à Patre, non quomodo natus, sed quomodo datus; & ideò non dicitur Filius, quia neque natus est sicut vnigenitus, neque factus vt per Dei gratiam in adoptionem nasceretur, sicut nos.* Hoc tanti Doctoris responsum rationem reddit, quæ continet id ipsum quod quæritur. Præterea Spiritus in æternitate non procedit vt datus : in tempore autem Filius datus est nobis æquè ac Spiritus sanctus. Æquè infirma est ratio, quam Sanctus idem Doctor *lib.9.* habet *cap.*12. asserens caussam cur Spiritus sanctus non sit Filius, eamdem esse, ob quam nostra mens notitiam suam gignit, cùm se nouit ; & amorem suum non gignit, cùm se amat. *Amor quo se mens nostra amat, ideò* (inquit) *non rectè dicitur genitus ab ea, sicut notitia, quâ se nouit : quia notitia iam inuentum est, quod partum vel repertum dicitur. Appetitus verò partus & proles rectè dici non potest : appetitus enim noster, postquam inhiauit rei cognoscendæ, fit amor cognitæ.* Hic discursus Augustini in solo translatitio, & metaphorico fundatur loquendi modo ; quo nostræ actus intelligentiæ gigni, parique dicitur valdè impropriè, cùm accidens sit, non substantia. Nec firmius quod eodem libro ait : *Quod producitur per intellectum quasi parturitur, & paritur inquisitione; cùm id quod per voluntatem producitur, non sit tale.* Contrà. Nam Deus intelligendo non inquirit, nec laborat ; & in intellectu parturitio, & partus metaphorica sunt. Libro etiam 15. *c.*26. & 27. ait, Spiritum sanctum *non esse Filium, quia procedit à duobus, cùm non habeat matrem.* Id infirmum est. Nam Spiritus non procedit à Patre & Filio vt à duobus, sed vt ab vno Spiratore, sicut definitum est in Concilio Lugdunensi, & refertur *in 6. cap. vnico de summa*

summa Trinit. Est autem quæstio, cur ille Spirator non sit Pater. Denique Richardus Victorinus *cap.*17. *de Trinit.* sic explicat, cur Spiritus sanctus non sit Filius: *Ingenitum* (nempe Patrem) *velle habere sibi condignum atque conformem, idem mihi videtur quod gignere Filium: tam genitum* (Filium) *quàm ingenitum* (Patrem) *velle habere condilectum; idem videtur quod producere Spiritum sanctum.* Id autem aliud non est, quàm ingeniosa quædam pij Doctoris suspicio.

6. Quandoquidem in id, quod quærimus, nulla fuit hactenùs à Patribus allata idonea ratio, Theologi quampiam idoneam excogitare studuerunt, quæ à Spiritus sancti productione aliquam particulam in generationis definitione contentam excluderet. Atque cùm aliæ particulæ excludi non possint, tota contentio & difficultas hæret in illa vltima particula, quâ generatio dicitur esse *in similitudinem naturæ.* Sunt autem tres præcipuè modi, quibus hæc conditio similitudinis naturæ excludi posse videatur.

Primus modus generationem à spiratione distinguendi per rationem similitudinis, quam intellectus importat.

Primus modus est inter Thomistas communis; quem fusè declarant Caiet. Capreol. Ferrar. eumque sequuntur Molina, Valentia, aliique multi. Suarez verò illum ita defendit, vt noua bifariam ratione (quæ infrà à me profertur *cap. sequenti*, *num.*5. & *num.*8.) confirmet ac illustret. Sumitur porrò ex D. Thoma *q.*27. *art.*4. *in corp.* & *ad* 1. vbi tradit omnia in Deo esse vnum cum natura, & ex hac parte non sumi differentiam processionum, neque hoc significari nomine generationis: sed processionem quæ in Deo est secundùm intellectum vocari generationem, quia est secundùm rationem similitudinis, quatenùs intelligens constituitur per hoc quòd habet intellecti similitudinem; processionem verò Spiritus sancti non vocari generationem, quia non est secundùm rationem similitudinis, quatenùs volens non constituitur per hoc, quod habeat similitudinem voliti; sed per hoc, quòd habeat quamdam inclinationem, motionem, seu impulsionem in volitum.

7. Contra illam doctrinam aliqua satis difficilia obiiciuntur. Nam primò similitudo, quæ requiritur in generatione, non debet esse tantùm intentionalis, sed debet esse similitudo in natura, qualis non est similitudo intelligentis & intellecti. Committitur igitur in argumento D. Thomæ æquiuocatio, dum vnum similitudinis genus pro alio substituitur. Imò similitudo intentionalis non est vera similitudo, sed tantùm metaphoricè, & proportione quadam; quatenùs scilicet, vt vera rei similitudo cognita facit nos rem ipsam cognoscere, sic ipsius rei species, seu impressa, seu expressa, nos informans facit nos eamdem rem cognoscere. Secundò similitudo, quam generatio requirit, debet esse inter actiuum principium generationis, & terminum. Sed in Deo suam intelligente essentiam, nec obiectum intellectum, quatenùs tale, est principium actiuum generationis; nec actus intelligentem constituens, & similitudinem continens generatur vt verus productionis terminus. Non ergo sufficit esse intellecti obiecti similitudinem in ipso in-

tellectionis actu. Tertiò licèt inter amantem & amatum non sit intentionalis illa similitudo, quæ est inter intelligentem & eius obiectum; nihilominùs id quod in Deo procedit per amorem, tam simile est secundùm naturam suo principio, quàm id quod procedit per intellectionem. Eademque est proportio similitudinis inter amorem fœcundum & amorem productum, quæ est inter sapientiam fœcundam & sapientiam productam. Cur igitur non tam generari dicitur amor productus quàm sapientia producta? Propter has rationes inuenti sunt non pauci, qui rationem à D. Thoma prolatam respuerint, & aliam rationem excogitauerint, quâ explicarent, cur Spiritus sanctus non originetur in similitudinem naturæ. Sed tamen quomodo efficax esse possit allata D. Thomæ ratio, dicetur capite sequenti.

Secundus modus, quo generatio à spiratione distinguitur per similitudinem sumptam à geniti fœcunditate.

8. Secundus modus hanc difficultatem expediendi satis item communis, sumitur ex Richardo Victorino *lib.6. de Trin. à cap.16. vsque ad 21.* præsertim *cap.19.* ex Alensi *1.p. q.42. memb.2.* Bonauentura *dist. 31. in altera parte distinctionis*; Maiore *dist.3. q. 1.* sequunturque multi recentiores, & inter eos fusè Cuniga *disp.2. dub.20. memb. 9. & sequentibus*, affirmans multos esse Professores, qui idem, quod ipse hac ætate doceant; nempe de ratione Filij esse, vt à Patre accipiat naturã in fœcunditate similem, & eius participem virtutis, quam habet Pater ipsam naturam communicandi; quo modo diuinitatem de facto accipit Verbum cum virtute dandi eam Spiritui sancto; Spiritus verò non accipit cum potestate dandi ipsam alij personæ. Hanc doctrinam colligi putant ex Basilio *lib.5. contra Eunom. cap.12.* vbi cùm dixisset, *Spiritum sanctum non esse filium Filij, ne Trinitas filios ex filiis habere suspecta, vt est in hominibus, infinita putetur multitudo*; tandem addit: *Facilè namque suspicari erat, quòd si Filius ex Filio natus est, ex hoc vtique alius natus esset, & rursus alius, & deinceps ad multitudinem.* In qua ratiocinatione manifestè Basilius supponit de ratione Filij esse vt sit fœcundus, ac producere possit alium sibi similem, hoc est alium (quidquid in contrarium dicat interpreteturque Cuniga) qui sit filius itidem ac fœcundus. Eam autem esse mentem sancti illius Patris constat ex eo quòd ipse timeat, ne si Spiritus sanctus Filius esset, oporteret ab eo nasci alium filium, qui & ipse alium produceret filium; atque sic, longa serie, nati natorum darentur. Quare non est solida hæc Basilij ratiocinatio. Si quid enim illa valeret, nimis probaret; asserendumque foret rationem Filij nec ipsi conuenire Verbo, vtpote non valenti producere personam quæ fœcunditatem habeat, sitque Filius.

9. Post allatam Basilij authoritatem probare nititur variis rationibus Cuniga suam sententiam, nempe similitudinem illam naturæ, quam Filij generatio requirit, in eo consistere, vt à Filio possit alia persona oriri, tanquam à principio coniuncto: *Nam similitudo naturæ in definitione generationis non est intelligenda*, inquit, *quoad solam naturæ communicatam quidditatem; sed simul quoad naturæ fœcundi*

fœcunditatem eam ſpecialem, quæ eſt propria ſubſtantiæ viuentis, ſeu per quàm viuens producit de ſubſtantia ſua aliud ſuppoſitum viuens. Debet ergo Filius prodire ſimilis omnino Patri, non ſolùm in eſſendo, ſed in ſpeciali modo operandi proprio viuentis. Maior enim eſt ſimilitudo in eſſendo, & ſimul taliter operando, quàm tantùm in eſſendo. Atque defectu maioris huius ſimilitudinis importatæ nomine generationis, & Filij putat Spiritum ſanctum non generari, nec Filium eſſe. Confirmat. Nam cùm hoc nomen, *natura,* dicatur à naſcendo; atque, ſi ſtrictè, propriiſſiméque loquamur, ſignificet eſſentiam viuentis, non vtcumque, ſed provt ab illa tanquam à principio coniuncto, & intrinſeco naſcitur aliud viuens; iure dicimus, tùm in generationis definitione ſimilitudinem naturæ ſumi debere pro ſimilitudine eſſentiæ, provt ab hac poteſt viuens aliud naſci; tùm eſſentiam diuinam reperiri in Spiritu ſancto ſine ſtricta illa ratione naturæ, & ſimilitudinem in tali eſſentia fundatam non dicendam eſſe eatenùs *ſimilitudinem naturæ.* Quare cùm Filius Diuinus aſſeritur productus *in ſimilitudinem naturæ*, terminus, *naturæ*, importat aliquid notionale. Atque huic acceptioni *naturæ* D. Thomas fauere videtur *q.39. art.2. ad* 3. Conſiderari porrò poteſt, quod ſimilitudo illa ſpecialis, quam Pater Diuinus & Filius habent in fœcunditate productiua Spiritus ſancti pertinet ad rationem propriam viuentium, & aptiſſima eſt vt in præſenti attendatur, quaſi formaliter faciens ad veritatem generationis æternæ, non minùs ac ea, quæ ab aliquibus Theologis attenduntur; nempe quòd Filius habeat cum Patre ſimilitudinem aut vi proceſſionis, aut per modum imaginis, ſeu ad repræſentandum, aut ex primaria naturæ intentione, de qua ſcilicet à nobis dicitur inferiùs.

10. Confirmatur. Nam cùm in omnibus filiis (nempe in iis, qui creaturæ ſunt, & in eo qui eſt ſecunda perſona diuina) reperiatur, per ſe loquendo, & ſecundùm intentionem naturæ virtus producendi ex ſua ſubſtantia aliud viuens, debemus aſſerere ad communem, & genericam rationem filij pertinere prædictam producendi virtutem, atque adeò quidquid tali virtute caret (vt de facto illâ caret Spiritus ſanctus) propterea non poſſe dici filium. Denique cùm hoc nomen, *filius*, quod inter creaturas vſitatum erat, fuerit tranſlatum ad ſecundam Perſonam diuinam, & non ad Spiritum ſanctum, oportet id factum fuiſſe propter maiorem aliquam ſimilitudinem; quam præ Spiritu ſancto ſecunda perſona haberet cum iis creaturis, quibus tale nomen conueniebat; ac proinde id, in quo hæc maior ſimilitudo conſiſtit, eſt virtus communicandi naturam. Clarum eſt enim, & fide certum, in ea virtute ſecundam perſonam diuinam, & non Spiritum ſanctum ſimilitudinem habere cum filiis omnibus creatis: ergo, &c. Nec dicas filios creatos, & Filium increatum ſimilitudinem ſpecialem habere, etiam in eo, quòd procedant vt ſimiles Patri primariò, & ex vi proceſſionis, aut tanquam imagines: hanc verò ſimilitudinem (vtpote filiis omnibus eſſentialem & intrinſecam) potiùs ſignificari formaliter nomine Filij, quàm ſimilitudinem in fœcunditate, quæ videtur accidere Filio, eſſeque quid extrinſecum. Ne, inquam, hoc. Nam nulla eſt alia ſimili-

litudo præter eam, quæ fundatur in esse fœcundo, quam fide diuina certum sit conuenire secundæ personæ: ergo non potest in vlla alia similitudine constitui ratio illa filiationis, quæ conuenit ipsi secundæ personæ. Hæc sunt fundamenta eorum, qui negationem fœcunditatis existimant esse solam causam, cur Spiritus sanctus non sit filius, nec per veram generationem productus.

11. Sed contra illam doctrinam afferri potest primò, quod ea fœcunditas, in qua filij creati patribus similes sunt, non sit alia, quàm verè generatiua, per quam ipsi filij fiunt patres, & ab iis alij veri filij possunt propagari; & quæcumque alia fœcunditas insufficiens sit ad reddendos ipsos filios creatos similes patribus formaliter, scilicet quà patribus. At verò Filius diuinus non habet talem fœcunditatem, qualem creati filij, sed aliam, per quam nec generare, nec pater euadere producendo filium possit. Ergo similitudo, in qua filiatio Verbi consistit, non est attendenda secundùm fœcunditatem proprietatemque notionalem, sed secundùm essentiam speciali modo acceptam. Secundò, sicut in diuinis peculiare est Filio non generare alium verum filium, cùm tamen in humanis filius verum generet filium; cur non posset habere Spiritus sanctus vt esset filius, etiamsi nullo fœcunditatis modo quempiam alium ad intra producat; ita vt hoc peculiare esset in diuinis? Tertiò quamuis per impossibile Filius diuinus non originaret Spiritum sanctum, non propterea desineret vi suæ processionis intellectiuæ talem cum suo principio similitudinem naturæ habere, vt esset verè filius. Ita videmus in creatis eos non desinere esse filios, qui nascuntur sine generandi potentia. Et è contrà licèt Spiritus sanctus procedendo per voluntatem fingatur accipere fœcunditatem ad aliam personam diuinam spirandam, non tamen intelligetur esse filius, & habere eam cum Spiratore similitudinem naturæ, quam generatio requirit.

12. Quartò apparet antiquos in Ecclesia Doctores non existimasse fœcunditatem, seu vim producendi Spiritum sanctum esse de ratione & constitutione Filij. Nam Græci, cùm negarunt produci à Filio Spiritum sanctum, non putarunt se destruere rationem Filij, nec ideò secundam personam recusarunt vnquam vocare Filium verum, & vnigenitum. Ipsi verò Catholici, dum contra Græcos disputarunt, nunquam dixerunt, ex illorum hæresi sequi, quòd secunda persona non esset filius. Asseruerunt quidem sequi, quòd secunda persona non esset distincta à Spiritu sancto, vt patet ex Concilio Florentino: at Filij rationem per Græcorum doctrinam destrui, nemo antiquorum, vel ante illud Concilium, vel in ipso Concilio dixit. Et omnes Theologi, Filium esse posse, licèt infœcundus esse concipiatur, supponunt, dum vulgò quæstionem hanc agitant, num si Filius non spiraret, differret à Spiritu sancto? Absurdè enim id quærerent, posito quòd ille, qui non spiraret, futurus non esset Filius. Quintò. Simile est præcedenti (quamuis ex contrario sumptum) argumentum. Nam qui ὁμοιουσιαστῶν sectæ olim addicti erant, Filium non inficiabantur similitudinem Patris eam habere, quæ citra essentiam maxima esse poterat in sapientia, bonitate, potentia, cæterisque attributis, quibus essentiam

tiam non contineri supponebant: & tamēn (quòd ea similitudo putaretur ab ipsis non esse in ipsa natura, essentiaque diuina) generationem veram, filiumque naturalem non admittebant. Certum igitur erat inter ipsos & inter Catholicos, filium naturalem esse non posse illum, qui intra ipsam naturam similis non esset patri: & generationem propriè dictam non posse consistere, nisi in speciali quadam identitate naturæ; nihilque voluit aliud Hilarius significare, cùm dixit 1. de Synodis: *Diuersitatem Paternæ naturæ natiuitas naturalis non recipit.* Quasi diceret, identitatem naturæ speciali quadam necessitate requiri. Sextò denique. Secunda persona est Dei Filius in priori quàm recipiat vim spirandi: ergo non constituitur Filius per fœcunditatem spiratiuam. Patet antecedens. Nam in priori accipit intellectionem, quàm accipiat volitionem fœcundam: atqui hoc ipso, quod accipit intellectionem, est Filius; etenim eo præcisè quo est acceptâ intellectione Verbum, est Filius; & eo quo est Filius, est Verbum, iuxta Augustinum *lib. 6. & 7.* propter has rationes multis & nominatim Vasquesio displicet is in hac re philosophandi modus; qui rationem, cur secunda persona præ Spiritu sancto dicatur filius, refert ad fœcunditatem productiuam ad intra.

Tertius modus filiationem à spiratione distinguendi per rationem imaginis.

13. Tertium modum hanc difficultatem explicandi afferunt Vasquesius *disp. 113. cap. 7.* & ab eo citatus Canariensis. Qui opinantur veram rationem, cur Spiritus sanctus non sit Filius, hanc vnicam esse, quòd licèt vi suæ processionis habeat similitudinem naturæ, & procedat formaliter vt similis in natura suo principio; non tamen procedat vt imago illius. Nam partem illam, quæ est in definitione generationis (*in similitudinem naturæ*) putant hi Authores intelligendam esse non simpliciter de quacumque similitudine, quæ ex vnitate naturæ proueniat, sed de similitudine illa quæ sit imago. Vt autem intelligatur, quid hac voce imaginis significemus, necesse est quædam hîc circa illam aduertenda præmittere. Et primò quidem attendendum est, non quamcumque similitudinem (vt variis locis docet Augustinus) licèt in naturæ fundatam vnitate, dici posse imaginem (alioquin vnum ouum esset alterius imago) sed eam solùm, quæ est expressa ad repræsentandum; ita vt id, quod repræsentat, trahat aliquo modo ab eo quod repræsentatur, originem cum ea repræsentatione. Quia igitur Verbum est talis similitudo Patris (& quidem solius, non enim Spiritus sancti aut creaturarum, cùm ab illis nullo modo originetur) expressa per intellectum ad repræsentandum ipsum Patrem, à quo procedit vt à principio intelligibili, & obiecto per se; Spiritus autem (quantumvis alioqui similis) non producitur ad repræsentandum Spiratorem suum; non enim Pater & Filius intelligunt se Spiritu sancto, nec vllus omninò intellectus, siue increatus, siue creatus cognoscit Patrem ipsum & Filium Spiritu sancto; hinc fit, vt Verbum, non autem Spiritus sanctus, habere possit rationem imaginis suum principium repræsentantis, & denominationem Filij.

Secun

Secundò notandum est imaginem diuidi in eam, quæ habet similitudinem solam intentionalem, qualem habet Verbum mentis; & in eam quæ habet formalem, vniuocamque similitudinem. Tertiò aduertendum est ex Dionysio *cap.9. de diuinis nom.* id esse discriminis imaginem inter, & similitudinem, quòd hæc de duobus similibus reciprocè conuersimque dicatur; vt enim ego tibi similis, sic & tu similis mihi diceris. At imago de duobus similibus non dicitur reciprocè. Quamuis enim Sophroniscus & Socrates in natura sint ambo similes, non tamen ambo dici possunt inuicem imagines. Cùm enim id quod imago dicitur, debeat ab eo, quod repræsentat, habere dependentiam, non Sophroniscus imago Socratis, sed Socrates imago est Sophronisci. *ἐπὶ τῶν ὁμοταγῶν δυνατὸν ἀντιστρέφειν ἐφ' ἑκάτερα τὴν ὁμοιότητα· ἐπὶ δὲ τοῦ αἰτίου, καὶ τῶν αἰτιατῶν οὐκ ἀποδεξάμεθα τὴν ἀντιστροφήν.* Quartò aduertendum est, nomen similitudinis applicatum Verbo Diuino haud ita hæreticis aduersari ac nomen imaginis; hoc enim nomen vno velut ictu duas prosternit hæreses, Arianam, & Sabellianam; illam quatenùs eam similitudinem identitatemque naturæ inficiatur; istam quatenùs negat ortum & originem à Patre. Quintò aduerti hîc potest nomen imaginis in singulari prolatum de tribus personis, 1. Genes. *Faciamus hominem ad imaginem nostram*, ostendere Personarum consubstantialitatem. Si enim non essent consubstantiales, dici debuisset in plurali, *ad imagines nostras*. Nunc videamus quomodo Vasques probet Filium, & Spiritum sanctum discerni eo quòd ille sit imago præ isto.

14. Ad probationem suæ doctrinæ adducit Vasquesius aliqua Sanctorum Patrum testimonia rationem imaginis tribuentium specialiter Filio. De hoc enim sic loquitur Athanasius in Epistola de decretis Nicænæ Synodi: *Si eum imaginem nomines, filium hoc ipso eum esse indicaueris. Quid enim simile Deo, nisi sua ipsius progenies?* Et Nazianzenus orat. 4. de Theologia: *Breuis*, inquit, *& compendiosa, facilisque paterna naturæ declaratio est Filius: omne enim quod genitum est, genitorem suum tacita quadam voce definit.* Ac proinde paulò post addit, rectè dici λόγον: *nam & λόγος definitio dicitur.* Anselmus *in monologio*, sic expresè habet: *Quid ergo, cùm hic Amor pariter habeat esse à Patre, & Filio, & sic similis sit ambobus, vt nullatenùs dissimilis sit illis, sed omninò idem sit quod illi: numquid filius eorum, aut proles existimandus est.* Huic à se propositæ quæstioni sic respondet Anselmus: *Sed sicut Verbum mox vt consideratur, se prolem esse eius à quo procedit, euidentissimè probat, promptam præferendo parentis imaginem: sic Amor aptè se prolem negat, quia dum à Patre & Filio procedere intelligitur, non statim tam perspicuam exhibet se contemplati eius, ex quo est, similitudinem, quamuis ipsum considerata ratio doceat id ipsum omninò esse, quod & Pater & Filius.*

15. Verùm hæc sententia, si attentiùs consideretur, quamuis hoc tempore placuerit multis, non videtur vera. Nam primò, si Spiritus sanctus habet similitudinem naturæ, non quasi materialiter, sed verè formaliter ex vi & intentione suæ productionis; ita vt procedat vt similis, quemadmodum fatetur Vasquesius *disp.* 113. & 145. non video quid illi desit, quominùs vocetur imago, ac dicatur

catur productus ad repræsentandum. Cùm enim impossibile sit rem aliquam esse similem alteri, quin hanc, quando ipsa cognoscitur, cognosci faciat; quomodo fieri potest, vt Spiritus sanctus concedatur habere vi directa suæ processionis, per eiusdem naturæ indiuidualis participationem, similitudinem cum Spiratore summam, & tantam quantam habet secunda persona cum Patre, quin simul concedatur ex ipsius intuitu Spiratorem cognosci? Ergo Spiratorem repræsentat Spiritus sanctus. Et quemadmodum *qui videt Filium, videt & Patrem*, Ioan. 14. ita qui videt Spiritum sanctum, videt Spiratorem: atque ita Spiritus est imago Spiratoris; cùm præsertim in eo non solùm similitudo, sed etiam cætera inueniantur quæ ad esse imaginis necessaria sunt. Nam à Spiratore originatur secundùm eam rationem similitudinis. Et quidem negare non potes, quin originetur ea intentione vt repræsentet, cùm fatearis illum originari formaliter vt similem; hoc est, eam esse vim ac intentionem productionis, vt producatur similis suo principio; impossibile autem sit esse similem, & non repræsentare. Vnde Augustinus *lib. quæst. in Deuteron. quæst.* 4. ait de Filio: *Si Patri similis sit, etiam imago rectè dicitur.*

16. Quod autem Spiritui sancto desit illa alia ratio similitudinis intentionalis, quæ reperitur in Filio, quatenùs Verbo; & in qua sola Vasques locis citatis ponit rationem similitudinis, quam habet ipse filius præ Spiritu sancto; id & impertinens est, cùm necessarium non sit ad rationem filij, vt apparet in filiis humanis, qui non habent eiusmodi similitudinem intentionalem: & præterea non impedit quominùs alia obiectiua entitatiuaque similitudo naturæ in Spiritu sancto perfecta reperiatur vt producta & originata formaliter ex intentione processionis suæ, vt fatetur, asseritque idem Author, qui per consequens non habet vllam rationem, qua meritò negare possit Spiritum sanctum eatenùs esse veram, & propriam imaginem sui principij eodem modo, quo Verbum est imago Patris. Et quamuis ipsum Verbum speciali quadam ratione, quæ Spiritui sancto non conuenit, dicatur esse imago, quatenùs nempe est intentionalis repræsentatio Patris, per huiusque notitiam ac diuinitatis comprehensionem productus; illa tamen specialis ratio imaginis in ea consistit similitudine, quæ nequaquam generationis definitione intelligatur. Cùm enim generatio dicitur esse in similitudinem naturæ, intelligi debet identitas naturæ, siue specifica, vt in creatis; siue numerica atque singularis, vt intra Trinitatem reperitur. Quare vt spiratio à generatione distinguatur, videtur præcipuè recurrendum ad aliam naturæ similitudinem præter intentionalem, & aliqua est inuenienda obiectiua similitudo naturæ in Filio existens, locumque non habens in Spiritu sancto: ac per consequens ratio, cur Spiritus sanctus non sit Filius, peti aliunde debet, quàm ex consideratione imaginis prout à Vasquesio explicatæ.

17. Et quidem si rem subtiliùs examinemus, parùm facit ad hoc negotium, quod vulgò dicitur, amorem per quem Spiritus, & intellectionem per quam Filius producitur, in hoc differre, quòd amor consistat in quodam tantùm impetu versus obiectum, & in beneuola ad illud adhæsione;

ſione; intellectio autem in obiecti ſui repræſentatione, ac ſimilitudine, qualis eſt in effigie ſiue imagine. Sanè intellectio non aliam habet vim repræſentandi, nec ſimilitudinis ſeu imaginis rationem aliam, quàm metaphoricam, valdeque impropriam, vt ſuprà diximus. Neque dici imago aliter poteſt, quàm quia in nobis idem aliquo modo facere videtur, quod imago externa, quatenùs ſicut imago artificioſa Regis, quando mihi proponitur, facit vt ad illius præſentiam de Rege cogitem; ſic & eiuſdem intellectio Regis, quando me informat, (licèt nullam habeat entitatiuam Regis ſimilitudinem) facit vt de ipſo cogitem Rege. Amor verò qui eſt in Spiratore diuino, quamuis in quodam propenſæ voluntatis conſiſtat impetu, & in quodam velut vinculo coniunctioneque cum obiecto amato; nihilominus illa diuinæ voluntatis propenſio & impetus, Deus eſt, atque tantam habet entitatiuam cum tota diuinitate identitatem, quantam habet diuinæ actus intelligentiæ; nec magis ſecunda perſona in diuinitatis participatione entitatiuam cum ſuo principio ſimilitudinem ſeu identitatem habet, ex eo quod per intellectionem, intentionalemque ſimilitudinem producatur, quàm tertia perſona per amorem prædictumque voluntatis impetum producta.

18. Quare habendo, ſicut hîc oportet, rationem entitatiuæ ſimilitudinis, non tantùm inter Scholaſticos Aureolus & Durandus, ſed etiam plurimi ſancti Patres quà Græci, quà Latini non dubitarunt vocare Spiritum ſanctum effigiem ſui principij, & eo modo Filij imaginem, quo Filius eſt imago Patris, quatenùs ſcilicet non minùs ipſe à Filio ſpirante, quàm Filius à Patre generante procedit οὐσιωδῶς, hoc eſt, ſecundùm identitatem naturæ. Propterea, inquam, Spiritus ſanctus à Græcis Theologis vocatur εἰκών, ex epiſtola 1. ad Corint. c. 4. verſ. 54. μορφή, ex Philipp. cap. 2. verſ. 6. χαρακτήρ, ex Hæbr. c. 1. verſ. 3. εἶδος, ex Ioan. c. 5. verſ. 37. Sic Athanaſius in illo Apoſtoli loco, *Quos prædeſtinauit conformes fieri imaginis Filij ſui*, per imaginem Filij intelligit Spiritum ſanctum: εἰκὼν λέγεται καὶ ἔστι τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα. Similiter Cyrillus eumdem *lib. 11. in Ioan.* appellauit εἰκόνα μονογενοῦς ἀκραιφνῆ. Similiter & Baſilius *lib. 4. contra Eunom.* ita ſcribens: εἰκὼν τοῦ θεοῦ Χριστός, εἰκὼν δὲ υἱοῦ τὸ πνεῦμα. Anſelmus *lib. 2. in Geneſ. cap. 2.* Spiritum ſanctum ſimilitudinem Patris & Filij eſſe aſſerit, quamuis imaginem neget: cuius rei rationem affert non ſatis idoneam. *Imago, inquit, & ſimilitudo hoc differunt, quòd imago, vnius imago eſt; ſimilitudo autem nunquam minùs, quàm duorum ſimilitudo eſt. Eſt Filius imago Patris; ſanctus autem Spiritus ſimilitudo Patris & Filij.*

19. Licèt Spiritus ſanctus ob entitatiuam obiectiuamque ſimilitudinem imago principij ſui dici poſſit; certum tamen eſt deeſſe illi quippiam in ea ratione imaginis, quominùs filius appelletur, & eam ſufficienter naturæ ſimilitudinem obtineat, quæ in generationis definitione continetur. Id autem incompertum eſt, indagatuque difficile. Cùm enim ea ſpecialis ſimilitudo naturæ, quæ in Verbi generatione reperitur, non aliunde peti poſſit, quàm ex eo quòd per intellectionem natura diuina communicetur; non apparet quam ſimilitudinem ſpecialem habeat intellectio, niſi intentionalem, parùm valentem

valentem ad introducendam in terminum, qui generatur, similitudinem entitatiuam, & ὑποστατικὴν, quæ maior sit in secunda persona, quàm in tertia. Id verò est quod capite sequenti perscrutandum superest. Ad hoc vt percipiamus cur non Spiritui procedenti per amorem ea conueniant, quæ Hilarius *lib.7.* affert quasi peculiaria Filio, cùm ait: *Filius viuentis viuens imago est, & ex eo natus non habet naturæ diuersitatem; & in nullo diuersus tenet naturæ eius, in qua diuersus non est, potestatem. Quod ergo imago est, eò proficit, vt Deum Patrem vnigeniti Dei significet natiuitas: significet autem vt forma, & imago inuisibilis Dei*; nihil sanè eo loco sanctus hic Doctor attulit, quod non conueniat consubstantiali Spiritui, exceptis nominibus Filij, natiuitatis, & specialis imaginis. Quorum tamen nominum rationem nullam nos docet. Declarat quidem & Anselmus Mysterium hoc, dum exponit, quod Fides Catholica docet distinguens Filium à Spiritu sancto: at rationem, fundamentumque distinctionis non affert: *Verbum*, inquit, *mox vt consideratur, se prolem esse eius à quo est, euidentissimè probat, promptam proferendo Patris imaginem. At amor apertè se prolem negat, quia dum à Patre & Filio procedere intelligitur, non statim tam perspicuam exhibet se contemplati eius, ex quo est, similitudinem: quamuis ipsum considerata ratio doceat id ipsum omninò esse quod est Pater & Filius.* Egregiè. At rationem peto, quâ se Verbum prolem probet; Amor neget, non exhibens eius, ex quo est, similitudinem.

CAPVT X.

Quomodo ratio, quam D. Thomas attulit, valeat præ cæteris ad explicandum cur processio Spiritus sancti non sit generatio?

1. CVm tres attulerimus superiori capite modos, quibus explicari possit cur Spiritus sanctus non sit Filius; primus modus qui ex D.Thoma sumitur; cæteris duobus (si benè proponatur & elucidetur) anteponendus est. Duorum enim vltimorum prior Richardi Victorini authoritate suffultus generationis notionem corrumpit, dum similitudinem eam naturæ, quæ in ipsius generationis definitione ponitur, interpretatur similitudinem non in natura diuina, sed in sola proprietate fœcunditateque notionali residentem. Posterior autem modus, cui patrocinatur Vasquesius, dum generationem diuinam in sola imaginis ratione constituit, impropriam ac merè intentionalem proponit similitudinem, & ad libitum quædam ἀσύστατα, atque inter se repugnantia in medium prædictus Author profert *disp.113. cap.8.* & *disp.145. cap.3. & 5.* Nam primò rationem similitudinis & imaginis, in qua consistit vera generatio, asserit illis competere, qui ex intentione, vique directa suæ productionis accipiunt formaliter eamdem naturam, quam ij, ex quibus oriuntur, possident; eosque ait esse verè filios, & suorum progenitorum imagines, iuxta definitionem generationis, quæ est: *Origo viuentis à viuente principio coniuncto in similitudinem naturæ.* Id-

valereque possit ad firmandam sententiam Diui Thomæ asserentis secundam personam ideò generari, & esse Filium, quia procedit per intellectum: nihilominùs aliis etiam modis illa ipsa sancti Doctoris sententia explicari, stabilirique potest. Nempe primò, si dicamus (qui modus ab eo vix differt, qui *num.* 2. & 3. iam explicatus est) eam solam processionem, quæ fit per intellectum (partem scilicet primariam, formalissimamque diuinitatis) esse ideò generationem, quoniam per illam vera & propria primariaque similitudo consistens in vnitate naturæ diuinæ importatur, non quocumque modo materiali, sed modo quopiam speciali, primario ac formali. Atque ita doctrinam Diui Thomæ intellexerunt Capreolus, Caietanus, Ferrariensis, cæterique vulgò Thomistæ, necnon Suarez, qui ait illam fuisse mentem apertam Diui Thomæ, ne æquiuocè procedat. Sumit enim sanctus Doctor, de ratione generationis esse, vt sit secundùm rationem similitudinis in natura eiusdem speciei: subsumit autem, Verbum solum diuinum habere hanc similitudinem ratione processionis suæ. Ergo non de sola intentionali similitudine loquitur. Sed difficile videtur esse, quomodo ex eo quod processio per intellectum fiat, importetur in eius termino seu Verbo genito similitudo plusquam intentionalis, quæ Patrem respicit velut cognitionis obiectum, seu quomodo formaliter ac vi processionis intellectualis, quà talis, importetur in Verbo procedente similitudo ea, quæ ita consistat in vnitate naturæ, vt Spiritui sancto conuenire pari modo non possit. Huic difficultati satisfacere quidem videntur posse ea quæ superiùs exposita sunt, *num.* 2. & 3. Verumtamen Authores variè conati sunt ei aliter respondere.

5. Ac primò optimum est, valdeque notandum id quod Suarez monet, dici posse intellectionem ex genere suo tendere ad assimilandum; ideoque postulare perfectissimam similitudinem, quando ipsa perfectissima est. Quod verò similitudo frequentiùs fiat in intellectu per solam intentionalem repræsentationem, id prouenit aut ex imperfectione intelligentis, aut ex imperfectione rei obiectæ. Quando igitur tam obiectum intelligibile, quàm intelligens perfectissimum est, tunc intellectio fit per naturalem, & perfectam similitudinem, ac identitatem. Atque ita in Deo, seu Verbo diuino repræsentatio intellectualis est per identificationem, propriumque esse substantiale obiecti, nempe ipsius diuinitatis: & ideò productio intellectualis dum formaliter tendit ad similitudinem repræsentatiuam, etiam necessariò tendit ad similitudinem naturalem: similitudinem, inquam, obiecti, & per consequens ipsius etiam principij; nam obiectum in præsenti est ipsa essentia diuina, quæ (vt fœcunda) ipsius est principij operantis. Et sanè quò perfectior est imago & similitudo, eò magis repræsentatio accedit obiecto, eique appropinquat: quare cùm in Deo similitudo sit infinitè perfecta, mirum non est si obiecto suo tam propè accedat, vt perueniat ad identitatem.

6. Sunt qui aliter difficultatem propositam expediant in gratiam rationis Diui Thomæ, vt Becanus, qui *in tract. de Trin. c.* 1. *quæst.* 2. *num.* 11. sic habet: *Quod producitur per intellectum, nihil est aliud, quàm Verbum mentis,*

mentis, seu vitalis imago rei intellectæ. Nam intelligens efformat actualem speciem, seu imaginem eius rei, quam intelligit: hæc autem actualis species, seu imago est similis intelligenti secundùm eam formam, quâ intelligens est. Cùm enim duæ species, seu imagines spectandæ sint in homine vel Angelo; vna habitualis, quæ est principium intellectionis; prior cum intellectu actiuè concurrit ad intellectionem, posterior producitur per intellectionem. Igitur homo vel Angelus, qui intelligendo producit verbum mentis, seu actualem imaginem rei intellectæ, dicitur producere aliquid simile, quia actualis imago, quam producit, est similis habituali imagini, quæ producit. Hoc verò locum etiam habet in Deo: nam habitualis species, seu imago, quâ Pater intelligit, est essentia diuina; actualis autem species vel imago, quam Pater communicat producto Filio, sic formaliter ad hunc pertinet, vt ab ea Filius nomen trahat Verbi, diuinaque imaginis. Quare Filius debet esse similis Patri secundùm essentiam. Quod non conuenit in Spiritum sanctum: nam quod producitur per voluntatem, hoc vi suæ productionis non est simile producenti. Quod enim producitur per voluntatem nihil aliud est, quàm actualis quædam propensio, seu inclinatio in rem amatam: hæc autem inclinatio non est similis amanti secundùm eam formam, quâ amans est: nam forma secundùm quam quis amat aliquod obiectum, est ipsa bonitas obiecti per intellectum apprehensa, & voluntati proposita. Hæc Becanus, ad tuendam, & explicandam rationem & doctrinam sancti Thomæ.

7. Aduertis modum istum, quem Becanus proponit ad explicandam naturæ, essentiæque diuinæ similitudinem in Verbo per intellectum producto, diuersum esse ab illo modo, quem *num.2. & 3.* superiùs nos exposuimus; in quo nimirum similitudo ad filiationem requisita consistere dicebatur in eo quòd Filius sit Patri similis in essentiali verbo, siue in ea notitia actuali, quam ipse Pater essentialiter habet diuinæ suæ naturæ, quatenus ea notitia per generationis communicationem est eadem in Filio & Patre, atque ita Pater & Filius in illa similes sunt per identitatem. At verò modus, quem hîc numero præcedenti ex Becano protulimus, aliter similitudinem quam habet Filius, quatenus est verbum, explicat; nempe ita vt ea Filij similitudo respiciat notitiam habitualem, seu speciem velut impressam, quæ est virtualiter in Patris essentia; Filius enim est actualis notitia producta, & Verbum Patris; ac per consequens est similis habituali notitiæ, & speciei impressæ in ipso Patre virtualiter residenti; omnis enim actualis notitia, seu omne verbum mentis habet similitudinem respectu habitualis notitiæ, siue speciei impressæ, ex qua emanat.

8. Præterea Suarez *lib.11. cap.5. num.16.* considerationem addit, quæ magni momenti est ad stabiliendum illud principium Diui Thomæ, quòd illa sola persona in diuinis dici possit procedere per generationem, & vi suæ productionis esse formaliter similis in natura suo principio, quæ producitur per viam intellectus; ait enim citatus Author, quòd ei personæ, quæ per viam intellectus procedit, formalissimè conuenit similitudo, quia ei communicatur ex vi processionis suæ primarium & formale constitutiuum diuinæ essentiæ, siue diuina essentia vt primò constituta in esse talis naturæ; non autem ita communicatur

tellectionis actu. Tertiò licèt inter amantem & amatum non sit intentionalis illa similitudo, quæ est inter intelligentem & eius obiectum; nihilominùs id quód in Deo procedit per amorem, tam simile est secundùm naturam suo principio, quàm id quod procedit per intellectionem. Eademque est proportio similitudinis inter amorem fœcundum & amorem productum, quæ est inter sapientiam fœcundam & sapientiam productam. Cur igitur non tam generari dicitur amor productus quàm sapientia producta? Propter has rationes inuenti sunt non pauci, qui rationem à D. Thoma prolatam respuerint, & aliam rationem excogitauerint, quâ explicarent, cur Spiritus sanctus non originetur in similitudinem naturæ. Sed tamen quomodo efficax esse possit allata D. Thomæ ratio, dicetur capite sequenti.

Secundus modus, quo generatio à spiratione distinguitur per similitudinem sumptam à geniti fœcunditate.

8. Secundus modus hanc difficultatem expediendi satis item communis, sumitur ex Richardo Victorino *lib.6. de Trin. à cap.16. vsque ad* 21. præsertim *cap.19.* ex Alensi 1.*p. q.42. memb.2.* Bonauentura *dist.* 31. *in altera parte distinctionis*; Maiore *dist.*3. *q.* 1. sequunturque multi recentiores, & inter eos fusè Cuniga *disp.2. dub.20. memb. 9. & sequentibus*, affirmans multos esse Professores, qui idem, quod ipse hac ætate doceant; nempe de ratione Filij esse, vt à Patre accipiat naturã in fœcunditate similem, & eius participem virtutis, quam habet Pater ipsam naturam communicandi; quo modo diuinitatem de facto accipit Verbum cum virtute dandi eam Spiritui sancto; Spiritus verò non accipit cum potestate dandi ipsam alij personæ. Hanc doctrinam colligi putant ex Basilio *lib.5. contra Eunom. cap.* 12. vbi cùm dixisset, *Spiritum sanctum non esse filium Filij, ne Trinitas filios ex filiis habere suspecta, vt est in hominibus, infinita putetur multitudo*; tandem addit: *Facilè namque suspicari erat, quòd si Filius ex Filio natus est, ex hoc vtique alius natus esset, & rursus alius, & deinceps ad multitudinem.* In qua ratiocinatione manifestè Basilius supponit de ratione Filij esse vt sit fœcundus, ac producere possit alium sibi similem, hoc est alium (quidquid in contrarium dicat interpreteturque Cuniga) qui sit filius itidem ac fœcundus. Eam autem esse mentem sancti illius Patris constat ex eo quòd ipse timeat, ne si Spiritus sanctus Filius esset, oporteret ab eo nasci alium filium, qui & ipse alium produceret filium; atque sic, longa serie, nati natorum darentur. Quare non est solida hæc Basilij ratiocinatio. Si quid enim illa valeret, nimis probaret; asserendumque foret rationem Filij nec ipsi conuenire Verbo, vtpote non valenti producere personam quæ fœcunditatem habeat, sitque Filius.

9. Post allatam Basilij authoritatem probare nititur variis rationibus Cuniga suam sententiam, nempe, similitudinem illam naturæ, quam Filij generatio requirit, in eo consistere, vt à Filio possit alia persona oriri, tanquam à principio coniuncto: *Nam similitudo naturæ in definitione generationis non est intelligenda*, inquit, *quoad solam naturæ communicatam quidditatem; sed simul quoad naturæ fœcundi*

fœcunditatem eam specialem, quæ est propria substantia viuentis, seu per quam viuens producit de substantia sua aliud suppositum viuens. Debet ergo Filius prodire similis omnino Patri, non solùm in essendo, sed in speciali modo operandi proprio viuentis. Maior enim est similitudo in essendo, & simul taliter operando, quàm tantùm in essendo. Atque defectu maioris huius similitudinis importatæ nomine generationis, & Filij putat Spiritum sanctum non generari, nec Filium esse. Confirmat. Nam cùm hoc nomen, *natura*, dicatur à nascendo; atque, si strictè, propriissiméque loquamur, significet essentiam viuentis, non vtcumque, sed provt ab illa tanquam à principio coniuncto, & intrinseco nascitur aliud viuens; iure dicimus, tùm in generationis definitione similitudinem naturæ sumi debere pro similitudine essentiæ, provt ab hac potest viuens aliud nasci; tùm essentiam diuinam reperiri in Spiritu sancto sine stricta illa ratione naturæ, & similitudinem in tali essentia fundatam non dicendam esse eatenùs *similitudinem naturæ*. Quare cùm Filius Diuinus asseritur productus *in similitudinem naturæ*, terminus, *natura*, importat aliquid notionale. Atque huic acceptioni *naturæ* D. Thomas fauere videtur *q.39. art.2. ad* 3. Considerari porrò potest, quod similitudo illa specialis, quam Pater Diuinus & Filius habent in fœcunditate productiua Spiritus sancti pertinet ad rationem propriam viuentium, & aptissima est vt in præsenti attendatur, quasi formaliter faciens ad veritatem generationis æternæ, non minùs ac ea, quæ ab aliquibus Theologis attenduntur; nempe quòd Filius habeat cum Patre similitudinem aut vi processionis, aut per modum imaginis, seu ad repræsentandum, aut ex primaria naturæ intentione, de qua scilicet à nobis dicitur inferiùs.

10. Confirmatur. Nam cùm in omnibus filiis (nempe in iis, qui creaturæ sunt, & in eo qui est secunda persona diuina) reperiatur, per se loquendo, & secundùm intentionem naturæ virtus producendi ex sua substantia aliud viuens, debemus asserere ad communem, & genericam rationem filij pertinere prædictam producendi virtutem, atque adeò quidquid tali virtute caret (vt de facto illâ caret Spiritus sanctus) proptereà non posse dici filium. Denique cùm hoc nomen, *filius*, quod inter creaturas vsitatum erat, fuerit translatum ad secundam Personam diuinam, & non ad Spiritum sanctum, oportet id factum fuisse propter maiorem aliquam similitudinem; quam præ Spiritu sancto secunda persona haberet cum iis creaturis, quibus tale nomen conueniebat; ac proinde id, in quo hæc maior similitudo consistit, est virtus communicandi naturam. Clarum est enim, & fide certum, in ea virtute secundam personam diuinam, & non Spiritum sanctum similitudinem habere cum filiis omnibus creatis: ergo, &c. Nec dicas filios creatos, & Filium increatum similitudinem specialem habere, etiam in eo, quòd procedant vt similes Patri primariò, & ex vi processionis, aut tanquam imagines: hanc verò similitudinem (vtpote filiis omnibus essentialem & intrinsecam) potiùs significari formaliter nomine Filij, quàm similitudinem in fœcunditate, quæ videtur accidere Filio, esseque quid extrinsecum. Ne, inquam, hoc. Nam nulla est alia simi-

litudo præter eam, quæ fundatur in esse fœcundo, quam fide diuina certum sit conuenire secundæ personæ: ergo non potest in vlla alia similitudine constitui ratio illa filiationis, quæ conuenit ipsi secundæ personæ. Hæc sunt fundamenta eorum, qui negationem fœcunditatis existimant esse solam causam, cur Spiritus sanctus non sit filius, nec per veram generationem productus.

11. Sed contra illam doctrinam afferri potest primò, quod ea fœcunditas, in qua filij creati patribus similes sunt, non sit alia, quàm verè generatiua, per quam ipsi filij fiunt patres, & ab iis alij veri filij possunt propagari; & quæcumque alia fœcunditas insufficiens sit ad reddendos ipsos filios creatos similes patribus formaliter, scilicet quà patribus. At verò Filius diuinus non habet talem fœcunditatem, qualem creati filij, sed aliam, per quam nec generare, nec pater euadere producendo filium possit. Ergo similitudo, in qua filiatio Verbi consistit, non est attendenda secundùm fœcunditatem proprietatemque notionalem, sed secundùm essentiam speciali modo acceptam. Secundò, sicut in diuinis peculiare est Filio non generare alium verum filium, cùm tamen in humanis filius verum generet filium; cur non posset habere Spiritus sanctus vt esset filius, etiamsi nullo fœcunditatis modo quempiam alium ad intra producat; ita vt hoc peculiare esset in diuinis? Tertiò quamuis per impossibile Filius diuinus non originaret Spiritum sanctum, non propterea desineret vi suæ processionis intellectiuæ talem cum suo principio similitudinem naturæ habere, vt esset verè filius. Ita videmus in creatis eos non desinere esse filios, qui nascuntur sine generandi potentia. Et è contrà licèt Spiritus sanctus procedendo per voluntatem fingatur accipere fœcunditatem ad aliam personam diuinam spirandam, non tamen intelligetur esse filius, & habere eam cum Spiratore similitudinem naturæ, quam generatio requirit.

12. Quartò apparet antiquos in Ecclesia Doctores non existimasse fœcunditatem, seu vim producendi Spiritum sanctum esse de ratione & constitutione Filij. Nam Græci, cùm negarunt produci à Filio Spiritum sanctum, non putarunt se destruere rationem Filij, nec ideò secundam personam recusarunt vnquam vocare Filium verum, & vnigenitum. Ipsi verò Catholici, dum contra Græcos disputarunt, nunquam dixerunt, ex illorum hæresi sequi, quòd secunda persona non esset filius. Asseruerunt quidem sequi, quòd secunda persona non esset distincta à Spiritu sancto, vt patet ex Concilio Florentino: at Filij rationem per Græcorum doctrinam destrui, nemo antiquorum, vel ante illud Concilium, vel in ipso Concilio dixit. Et omnes Theologi, Filium esse posse, licèt infœcundus esse concipiatur, supponunt, dum vulgò quæstionem hanc agitant, num si Filius non spiraret, differret à Spiritu sancto? Absurdè enim id quærerent, posito quòd ille, qui non spiraret, futurus non esset Filius. Quintò. Simile est præcedenti (quamuis ex contrario sumptum) argumentum. Nam qui ὁμοιουσιαστῶν sectæ olim addicti erant, Filium non inficiabantur similitudinem Patris eam habere, quæ citra essentiam maxima esse poterat in sapientia, bonitate, potentia, cæterisque attributis, quibus essentiam

tiam non contineri ſupponebant: & tamēn (quòd ea ſimilitudo putaretur ab ipſis non eſſe in ipſa natura, eſſentiaque diuina) generationem veram, filiumque naturalem non admittebant. Certum igitur erat inter ipſos & inter Catholicos, filium naturalem eſſe non poſſe illum, qui intra ipſam naturam ſimilis non eſſet patri: & generationem propriè dictam non poſſe conſiſtere, niſi in ſpeciali quadam identitate naturæ; nihilque voluit aliud Hilarius ſignificare, cùm dixit 1. de Synodis: *Diuerſitatem Paternæ naturæ natiuitas naturalis non recipit.* Quaſi diceret, identitatem naturæ ſpeciali quadam neceſſitate requiri. Sextò denique. Secunda perſona eſt Dei Filius in priori quàm recipiat vim ſpirandi: ergo non conſtituitur Filius per fœcunditatem ſpiratiuam. Patet antecedens. Nam in priori accipit intellectionem, quàm accipiat volitionem fœcundam: atqui hoc ipſo, quod accipit intellectionem, eſt Filius; etenim eo præciſè quo eſt acceptâ intellectione Verbum, eſt Filius; & eo quo eſt Filius, eſt Verbum, iuxta Auguſtinum *lib. 6. & 7.* propter has rationes multis & nominatim Vaſqueſio diſplicet is in hac re philoſophandi modus; qui rationem, cur ſecunda perſona præ Spiritu ſancto dicatur filius, refert ad fœcunditatem productiuam ad intra.

Tertius modus filiationem à ſpiratione diſtinguendi per rationem imaginis.

13. Tertium modum hanc difficultatem explicandi afferunt Vaſqueſius *diſp.* 113. *cap.* 7. & ab eo citatus Canarienſis. Qui opinantur veram rationem, cur Spiritus ſanctus non ſit Filius, hanc vnicam eſſe, quòd licèt vi ſuæ proceſſionis habeat ſimilitudinem naturæ, & procedat formaliter vt ſimilis in natura ſuo principio; non tamen procedat vt imago illius. Nam partem illam, quæ eſt in definitione generationis (*in ſimilitudinem naturæ*) putant hi Authores intelligendam eſſe non ſimpliciter de quacumque ſimilitudine, quæ ex vnitate naturæ proueniat, ſed de ſimilitudine illa quæ ſit imago. Vt autem intelligatur, quid hac voce imaginis ſignificemus, neceſſe eſt quædam hîc circa illam aduertenda præmittere. Et primò quidem attendendum eſt, non quamcumque ſimilitudinem (vt variis locis docet Auguſtinus) licèt in naturæ fundatam vnitate, dici poſſe imaginem (alioquin vnum ouum eſſet alterius imago) ſed eam ſolùm, quæ eſt expreſſa ad repræſentandum; ita vt id, quod repræſentat, trahat aliquo modo ab eo quod repræſentatur, originem cum ea repræſentatione. Quia igitur Verbum eſt talis ſimilitudo Patris (& quidem ſolius, non enim Spiritus ſancti aut creaturarum, cùm ab illis nullo modo originetur) expreſſa per intellectum ad repræſentandum ipſum Patrem, à quo procedit vt à principio intelligibili, & obiecto per ſe; Spiritus autem (quantumvis alioqui ſimilis) non producitur ad repræſentandum Spiratorem ſuum; non enim Pater & Filius intelligunt ſe Spiritu ſancto, nec vllus omninò intellectus, ſiue increatus, ſiue creatus cognoſcit Patrem ipſum & Filium Spiritu ſancto; hinc fit, vt Verbum, non autem Spiritus ſanctus, habere poſſit rationem imaginis ſuum principium repræſentantis, & denominationem Filij.

Secun

Secundò notandum est imaginem diuidi in eam, quæ habet similitudinem solam intentionalem, qualem habet Verbum mentis; & in eam quæ habet formalem, vniuocamque similitudinem. Tertiò aduertendum est ex Dionysio *cap. 9. de diuinis nom.* id esse discriminis imaginem inter, & similitudinem, quòd hæc de duobus similibus reciprocè conuersimque dicatur; vt enim ego tibi similis, sic & tu similis mihi diceris. At imago de duobus similibus non dicitur reciprocè. Quamuis enim Sophroniscus & Socrates in natura sint ambo similes, non tamen ambo dici possunt inuicem imagines. Cùm enim id quod imago dicitur, debeat ab eo, quod repræsentat, habere dependentiam, non Sophroniscus imago Socratis, sed Socrates imago est Sophronisci. *ἐπὶ τῶν ὁμοταγῶν δυνατὸν ἀντιστρέφειν ἐφ' ἑκάτερα τὴν ὁμοιότητα· ἐπὶ δὲ τοῦ αἰτίου, καὶ τῶν αἰτιατῶν οὐκ ἀποδεξάμεθα τὴν ἀντιστροφήν.* Quartò aduertendum est, nomen similitudinis applicatum Verbo Diuino haud ita hæreticis aduersari ac nomen imaginis; hoc enim nomen vno velut ictu duas prosternit hæreses, Arianam, & Sabellianam; illam quatenùs eam similitudinem identitatemque naturæ inficiatur; istam quatenùs negat ortum & originem à Patre. Quintò aduerti hîc potest nomen imaginis in singulari prolatum de tribus personis, 1. Genes. *Faciamus hominem ad imaginem nostram*, ostendere Personarum consubstantialitatem. Si enim non essent consubstantiales, dici debuisset in plurali, *ad imagines nostras*. Nunc videamus quomodo Vasques probet Filium, & Spiritum sanctum discerni eo quòd ille sit imago præ isto.

14. Ad probationem suæ doctrinæ adducit Vasquesius aliqua Sanctorum Patrum testimonia rationem imaginis tribuentium specialiter Filio. De hoc enim sic loquitur Athanasius in Epistola de decretis Nicænæ Synodi: *Si eum imaginem nomines, filium hoc ipso eum esse indicaueris. Quid enim simile Deo, nisi sua ipsius progenies?* Et Nazianzenus orat. 4. de Theologia: *Breuis*, inquit, *& compendiosa, facilisque paternæ naturæ declaratio est Filius: omne enim quod genitum est, genitorem suum tacita quadam voce definit.* Ac proinde paulò post addit, rectè dici λόγον: *nam & λόγος definitio dicitur.* Anselmus *in monologio*, sic expresè habet: *Quid ergo, cùm hic Amor pariter habeat esse à Patre, & Filio, & sic similis sit ambobus, vt nullatenùs dissimilis sit illis, sed omninò idem sit quod illi: numquid filius eorum, aut proles existimandus est.* Huic à se propositæ quæstioni sic respondet Anselmus: *Sed sicut Verbum mox vt consideratur, se prolem esse eius à quo procedit, euidentissimè probat, promptam præferendo parentis imaginem: sic Amor aptè se prolem negat, quia dum à Patre & Filio procedere intelligitur, non statim tam perspicuam exhibet se contemplati eius, ex quo est, similitudinem, quamuis ipsum considerata ratio doceat id ipsum omninò esse, quod & Pater & Filius.*

15. Verùm hæc sententia, si attentiùs consideretur, quamuis hoc tempore placuerit multis, non videtur vera. Nam primò, si Spiritus sanctus habet similitudinem naturæ, non quasi materialiter, sed verè formaliter ex vi & intentione suæ productionis; ita vt procedat vt similis, quemadmodum fatetur Vasquesius *disp.* 113. & 145. non video quid illi desit, quominùs vocetur imago, ac dicatur

catur productus ad repræsentandum. Cùm enim impossibile sit rem aliquam esse similem alteri, quin hanc, quando ipsa cognoscitur, cognosci faciat; quomodo fieri potest, vt Spiritus sanctus concedatur habere vi directa suæ processionis, per eiusdem naturæ indiuidualis participationem, similitudinem cum Spiratore summam, & tantam quantam habet secunda persona cum Patre, quin simul concedatur ex ipsius intuitu Spiratorem cognosci? Ergo Spiratorem repræsentat Spiritus sanctus. Et quemadmodum *qui videt Filium, videt & Patrem*, Ioan. 14. ita qui videt Spiritum sanctum, videt Spiratorem: atque ita Spiritus est imago Spiratoris; cùm præsertim in eo non solùm similitudo, sed etiam cætera inueniantur quæ ad esse imaginis necessaria sunt. Nam à Spiratore originatur secundùm eam rationem similitudinis. Et quidem negare non potes, quin originetur ea intentione vt repræsentet, cùm fatearis illum originari formaliter vt similem; hoc est, eam esse vim ac intentionem productionis, vt producatur similis suo principio; impossibile autem sit esse similem, & non repræsentare. Vnde Augustinus *lib. quæst. in Deuteron. quæst.* 4. ait de Filio: *Si Patri similis sit, etiam imago rectè dicitur.*

16. Quod autem Spiritui sancto desit illa alia ratio similitudinis intentionalis, quæ reperitur in Filio, quatenùs Verbo; & in qua sola Vasques locis citatis ponit rationem similitudinis, quam habet ipse filius præ Spiritu sancto; id & impertinens est, cùm necessarium non sit ad rationem filij, vt apparet in filiis humanis, qui non habent eiusmodi similitudinem intentionalem: & præterea non impedit quominùs alia obiectiua entitatiuaque similitudo naturæ in Spiritu sancto perfecta reperiatur vt producta & originata formaliter ex intentione processionis suæ, vt fatetur, asseritque idem Author, qui per consequens non habet vllam rationem, qua meritò negare possit Spiritum sanctum eatenùs esse veram, & propriam imaginem sui principij eodem modo, quo Verbum est imago Patris. Et quamuis ipsum Verbum speciali quadam ratione, quæ Spiritui sancto non conuenit, dicatur esse imago, quatenùs nempe est intentionalis repræsentatio Patris, per huiusque notitiam ac diuinitatis comprehensionem productus; illa tamen specialis ratio imaginis in ea consistit similitudine, quæ nequaquam generationis definitione intelligatur. Cùm enim generatio dicitur esse in similitudinem naturæ, intelligi debet identitas naturæ, siue specifica, vt in creatis; siue numerica atque singularis, vt intra Trinitatem reperitur. Quare vt spiratio à generatione distinguatur, videtur præcipuè recurrendum ad aliam naturæ similitudinem præter intentionalem, & aliqua est inuenienda obiectiua similitudo naturæ in Filio existens, locumque non habens in Spiritu sancto: ac per consequens ratio, cur Spiritus sanctus non sit Filius, peti aliunde debet, quàm ex consideratione imaginis prout à Vasquesio explicatæ.

17. Et quidem si rem subtiliùs examinemus, parùm facit ad hoc negotium, quod vulgò dicitur, amorem per quem Spiritus, & intellectionem per quam Filius producitur, in hoc differre, quòd amor consistat in quodam tantùm impetu versus obiectum, & in beneuola ad illud adhæ-

sione; intellectio autem in obiecti sui repræsentatione, ac similitudine, qualis est in effigie siue imagine. Sanè intellectio non aliam habet vim repræsentandi, nec similitudinis seu imaginis rationem aliam, quàm metaphoricam, valdeque impropriam, vt suprà diximus. Neque dici imago aliter potest, quàm quia in nobis idem aliquo modo facere videtur, quod imago externa, quatenùs sicut imago artificiosa Regis, quando mihi proponitur, facit vt ad illius præsentiam de Rege cogitem; sic & eiusdem intellectio Regis, quando me informat, (licèt nullam habeat entitatiuam Regis similitudinem) facit vt de ipso cogitem Rege. Amor verò qui est in Spiratore diuino, quamuis in quodam propensæ voluntatis consistat impetu, & in quodam velut vinculo coniunctioneque cum obiecto amato; nihilominus illa diuinæ voluntatis propensio & impetus, Deus est, atque tantam habet entitatiuam cum tota diuinitate identitatem, quantam habet diuinæ actus intelligentiæ; nec magis secunda persona in diuinitatis participatione entitatiuam cum suo principio similitudinem seu identitatem habet, ex eo quod per intellectionem, intentionalemque similitudinem producatur, quàm tertia persona per amorem prædictumque voluntatis impetum producta.

18. Quare habendo, sicut hîc oportet, rationem entitatiuæ similitudinis, non tantùm inter Scholasticos Aureolus & Durandus, sed etiam plurimi sancti Patres quà Græci, quà Latini non dubitarunt vocare Spiritum sanctum effigiem sui principij, & eo modo Filij imaginem, quo Filius est imago Patris, quatenùs scilicet non minùs ipse à Filio spirante, quàm Filius à Patre generante procedit ὁμοιωδῶς, hoc est, secundùm identitatem naturæ. Propterea, inquam, Spiritus sanctus à Græcis Theologis vocatur εἰκὼν, ex epistola 1. ad Corint. c. 4. vers. 54. μορφὴ, ex Philipp. cap. 2. vers. 6. χαρακτὴρ, ex Hæbr. c. 1. vers. 3. εἶδος, ex Ioan. c. 5. vers. 37. Sic Athanasius in illo Apostoli loco, *Quos prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui*, per imaginem Filij intelligit Spiritum sanctum: εἰκὼν λέγεται καὶ ἔστι τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα. Similiter Cyrillus eumdem *lib.* 11. *in Ioan.* appellauit εἰκόνα μονογενοῦς ἀκραιφνῆ. Similiter & Basilius *lib.* 4. *contra Eunom.* ita scribens: εἰκὼν τοῦ θεοῦ Χριστὸς, εἰκὼν δὲ υἱοῦ τὸ πνεῦμα. Anselmus *lib.* 2. *in Genes. cap.* 2. Spiritum sanctum similitudinem Patris & Filij esse asserit, quamuis imaginem neget: cuius rei rationem affert non satis idoneam. *Imago*, inquit, *& similitudo hoc differunt, quòd imago, vnius imago est; similitudo autem nunquam minùs, quàm duorum similitudo est. Est Filius imago Patris; sanctus autem Spiritus similitudo Patris & Filij.*

19. Licèt Spiritus sanctus ob entitatiuam obiectiuamque similitudinem imago principij sui dici possit; certum tamen est deesse illi quippiam in ea ratione imaginis, quominùs filius appelletur, & eam sufficienter naturæ similitudinem obtineat, quæ in generationis definitione continetur. Id autem incompertum est, indagatuque difficile. Cùm enim ea specialis similitudo naturæ, quæ in Verbi generatione reperitur, non aliunde peti possit, quàm ex eo quòd per intellectionem natura diuina communicetur; non apparet quam similitudinem specialem habeat intellectio, nisi intentionalem, parùm valentem

valentem ad introducendam in terminum, qui generatur, similitudinem entitatiuam, & ἰσότητα, quæ maior sit in secunda persona, quàm in tertia. Id verò est quod capite sequenti perscrutandum superest. Ad hoc vt percipiamus cur non Spiritui procedenti per amorem ea conueniant, quæ Hilarius *lib.7.* affert quasi peculiaria Filio, cùm ait: *Filius viuentis viuens imago est, & ex eo natus non habet naturæ diuersitatem; & in nullo diuersus tenet naturæ eius, in qua diuersus non est, potestatem. Quod ergo imago est, eò proficit, vt Deum Patrem vnigeniti Dei significet natiuitas: significet autem vt forma, & imago inuisibilis Dei*; nihil sanè eo loco sanctus hic Doctor attulit, quod non conueniat consubstantiali Spiritui, exceptis nominibus Filij, natiuitatis, & specialis imaginis. Quorum tamen nominum rationem nullam nos docet. Declarat quidem & Anselmus Mysterium hoc, dum exponit, quod Fides Catholica docet distinguens Filium à Spiritu sancto: at rationem, fundamentumque distinctionis non affert: *Verbum*, inquit, *mox vt consideratur, se prolem esse eius à quo est, euidentissimè probat, promptam proferendo Patris imaginem. At amor apertè se prolem negat, quia dum à Patre & Filio procedere intelligitur, non statim tam perspicuam exhibet se contemplati eius, ex quo est, similitudinem: quamuis ipsum considerata ratio doceat id ipsum omninò esse quod est Pater & Filius.* Egregiè. At rationem peto, quâ se Verbum prolem probet; Amor neget, non exhibens eius, ex quo est, similitudinem.

CAPVT X.

Quomodo ratio, quam D. Thomas attulit, valeat præ cæteris ad explicandum cur processio Spiritus sancti non sit generatio?

1. CVm tres attulerimus superiori capite modos, quibus explicari possit cur Spiritus sanctus non sit Filius; primus modus qui ex D. Thoma sumitur, cæteris duobus (si benè proponatur & elucidetur) anteponendus est. Duorum enim vltimorum prior Richardi Victorini authoritate suffultus generationis notionem corrumpit, dum similitudinem eam naturæ, quæ in ipsius generationis definitione ponitur, interpretatur similitudinem non in natura diuina, sed in sola proprietate fœcunditateque notionali residentem. Posterior autem modus, cui patrocinatur Vasquesius, dum generationem diuinam in sola imaginis ratione constituit, impropriam ac merè intentionalem proponit similitudinem, & ad libitum quædam ἄσυστατα, atque inter se repugnantia in medium prædictus Author profert *disp.113. cap.8.* & *disp.145. cap.3. & 5.* Nam primò rationem similitudinis & imaginis, in qua consistit vera generatio, asserit illis competere, qui ex intentione, vique directa suæ productionis accipiunt formaliter eamdem naturam, quam ij, ex quibus oriuntur, possident; eosque ait esse verè filios, & suorum progenitorum imagines, iuxta definitionem generationis, quæ est: *Origo viuentis à viuente principio coniuncto in similitudinem naturæ.* Id-

 que

que ita eſſe conſtat in illis, verbi causâ, filiis, qui ex hominibus procreantur. Secundò concedit hic Author Spiritum ſanctum eamdem omnino naturam, quæ eſt in principio, ex quo procedit, accipere formaliter vi ſuæ productionis. Et tamen minùs cohærenter vult tertiò illam ſimilitudinem tantam, quanta in filiis omnibus creatis ſufficit, nequaquam ſufficere vt Spiritui ſancto nomen filij conuenire poſſit: ipſumque Verbum Diuinum inficiatur ex eo filium eſſe, quòd illam ipſam ſimilitudinem vniuocam habeat, eamdemque cum Patre naturam vi ſuæ proceſſionis poſſideat; ſed inde tantùm habere vt filius ſit, quòd præter ſimilitudinem naturæ aliam habeat ſimilitudinem intentionalem, & æquiuocam; quâ ſimilitudine intentionali Patris eſſentia notionaliter ipſi Patri (& quidem ſoli, cùm ſolus fœcundum intellectum ea informatum habeat) repræſentetur. In quali philoſophandi ſubtilitate ab eximio illo excogitata Theologo quædam apparent, quæ merè voluntaria ſint, & ſibi minùs cohæreant. Reiectâ hac Vaſqueſij cum præcedente Richardi ſententiâ, ſupereſt, vt inquirere iam debeamus, in quo conſiſtat illa naturæ ſimilitudo, quæ tertiæ perſonæ deeſt, & in ſecunda perſona reperitur, huicque rationem filiationis impertitur.

2. Dicendum eſt rationem optimam eſſe, quam reddit ſanctus Thomas, cur Spiritus ſancti proceſſio non ſit generatio, nempe, quòd Spiritus ſanctus non procedat per intellectum, ac per conſequens non procedat formaliter vt ſimilis vi ſuæ productionis. Ac primò quidem mihi videtur, intentionalem ipſam ſimilitudinem, aut rationem imaginis æquiuocæ, quæ reperitur in intellectu, in eaque eſſentiali cognitione, quam Deus habet ſui Numinis, & quæ, prout exiſtit in Patre, fundamentum eſt ac velut ſubiectum fœcunditatis generatiuæ, non omninò impertinentem eſſe, vt natura diuina communicari dicatur, quatenùs ſimilis; & perſona illa, cui (vt eo modo formaliter ſimilis) communicatur, ſit verè, ac formaliter vi ſuæ proceſſionis expreſſa, & vniuoca imago ſui principij, ac verè filius. Explicatur. Notitia eſſentialis, ſiue, vt ita loquar, verbum abſolutum, quo Pater diuinitatem ſuam cognoſcit, continet prædictam ſimilitudinem intentionalem diuinitatis, aut potiùs nihil eſt aliud, quàm ipſa illa ſimilitudo. Dico autem ſecundam perſonam à prima perſona accipere formaliter vi ſuæ generationis illam notitiam, ſeu verbum abſolutum, & intentionalem repræſentationem, quâ naturam diuinam ipſa prima perſona eſſentialiter intuetur. Poſtquam igitur ſecunda perſona notitiam illam eſſentialem perinde habet, ac prima, ambæ illæ perſonæ in hoc ſimiles ſunt, quòd diuinitatis notitiam & intuitionem (quæ verbum eſt eſſentiale) habeant. Et quamuis tertia perſona non minùs quàm ſecunda accipiat à ſuo principio Verbum illud eſſentiale, notitiamque diuinitatis, atque eatenùs non ſit in ea ipſa notitia minùs ſimilis ſuo principio; tamen illam notitiam non obtinet formaliter, ac primariò vi ſuæ proceſſionis, ſed tantùm materialiter, conſequenter, ac ſecundariò. Cùm enim per voluntatis actum, dilectionemque procedat, accipit formaliter, ac primariò vi ſuæ proceſſionis dilectionem, quæ non eſt niſi materialiter ac identicè imago,

go, quatenùs scilicèt identificatur cum verbo essentiali prædicto. Obiicies. Atqui non minùs formaliter ac primariò accipit tertia ipsa persona dilectionem, quæ est in Spiratore, quàm secunda persona accipiat intellectionem, quæ est in Patre. Ergo in ea dilectione tertia persona non minùs formaliter est imago similis Spiratori suo, quàm secunda Patri in intellectione. Respondeo concedendo æquè esse formaliter similem, sed in dilectione, non autem in intellectione. Quantùm autem id intersit ad rationem filiationis, intelligetur numero sequenti, sub finem.

3. Vt porrò percipiatur, quomodo dici possit processio per intellectum specialiter pertinere ad constitutionem filiationis; aduertendum est, similitudinem intentionalem, quæ est in Verbo absoluto, seu in notitia essentiali, qua Pater intuetur suam diuinitatem, non esse illam naturæ similitudinem, quæ includitur in definitione generationis, & ob quam secunda persona dicitur filius, sed esse illius fundamentum; ita vt similitudo naturæ vniuoca ex illa similitudine intentionali æquiuoca nascatur. Potest enim in generatione Filij æterni duobus modis intelligi Filium ipsum habere similitudinem, & rationem imaginis, postquam vi suæ processionis communicatum sibi accepit Verbum absolutum, siue notitiam essentialem diuinitatis. Primò enim intelligunt quidam, illum esse filium, quia est suo principio similis æquiuocâ & intentionali eâ similitudine, quâ verbum omne mentis (atque adeò ille actus intellectualis, quo Pater suam intuetur essentiam) est simile obiecto suo. Verùm hic modus ita explicatus meritò à ratione filiationis reiicitur; siquidem ea similitudo, quam generationis definitio requirit, est naturæ similitudo realis, siue vniuoca; non autem similitudo obiecti, & intentionalis, siue æquiuoca. Igitur secundò melius erit, si intelligatur Filium diuinum post communicatum sibi verbum essentiale, seu notitiam eam, quam Pater habet diuinitatis, esse hoc ipso similem Patri, non tantùm vt obiecto quod talis notitia respicit, sed etiam quasi subiecto eiusdem notitiæ essentialis, quatenùs idem essentiale verbum ipse cum Patre possidet, ac est eiusdem subiectum æquè ac Pater. Illa verò similitudo sic sumpta non consideratur vt intentionalis, sed debet dici similitudo naturæ; cùm verbum illud absolutum & notitia diuinitatis pertineat quasi forma ad naturam diuinam, & sit naturæ diuinæ velut pars primaria atque præcipua; & quidem non propter aliud, quàm quia est formalis expressio & intentionalis imago diuinitatis, in qua imagine singularis est actuum Deo immanentium & vitalitatis diuinæ excellentia. Quare meritò consideratur intellectualis & intentionalis illa ratio similitudinis imaginisque paternæ ad asserendam secundæ personæ propriam veramque filiationem: ad id autem non consideratur in tertia persona ratio illa similitudinis, quæ sumitur ex voluntate, seu dilectione.

4. Licèt eo modo, quo iam exponebamus, similitudo intentionalis & ratio imaginis æquiuocæ, quæ reperitur in Patris verbo essentiali, & vi generationis communicatur Filio, fundet provt in illa vtraque persona reperitur vniuocam vtriusque similitudinem, eoque modo non sit impertinens ad formalem rationem Filij,

valereque possit ad firmandam sententiam Diui Thomæ asserentis secundam personam ideò generari, & esse Filium, quia procedit per intellectum: nihilominùs aliis etiam modis illa ipsa sancti Doctoris sententia explicari, stabilirique potest. Nempe primò, si dicamus (qui modus ab eo vix differt, qui *num.* 2. & 3. iam explicatus est) eam solam processionem, quæ fit per intellectum (partem scilicet primariam, formalissimamque diuinitatis) esse ideò generationem, quoniam per illam vera & propria primariaque similitudo consistens in vnitate naturæ diuinæ importatur, non quocumque modo materiali, sed modo quopiam speciali, primario ac formali. Atque ita doctrinam Diui Thomæ intellexerunt Capreolus, Caietanus, Ferrariensis, cæterique vulgò Thomistæ, necnon Suarez, qui ait illam fuisse mentem apertam Diui Thomæ, ne æquiuocè procedat. Sumit enim sanctus Doctor, de ratione generationis esse, vt sit secundùm rationem similitudinis in natura eiusdem speciei: subsumit autem, Verbum solum diuinum habere hanc similitudinem ratione processionis suæ. Ergo non de sola intentionali similitudine loquitur. Sed difficile videtur esse, quomodo ex eo quod processio per intellectum fiat, importetur in eius termino seu Verbo genito similitudo plusquam intentionalis, quæ Patrem respicit velut cognitionis obiectum, seu quomodo formaliter ac vi processionis intellectualis, quà talis, importetur in Verbo procedente similitudo ea, quæ ita consistat in vnitate naturæ, vt Spiritui sancto conuenire pari modo non possit. Huic difficultati satisfacere quidem videntur posse ea quæ superiùs exposita sunt, *num.* 2. & 3. Verumtamen Authores variè conati sunt ei aliter respondere.

5. Ac primò optimum est, valdeque notandum id quod Suarez monet, dici posse intellectionem ex genere suo tendere ad assimilandum; ideoque postulare perfectissimam similitudinem, quando ipsa perfectissima est. Quod verò similitudo frequentiùs fiat in intellectu per solam intentionalem repræsentationem, id prouenit aut ex imperfectione intelligentis, aut ex imperfectione rei obiectæ. Quando igitur tam obiectum intelligibile, quàm intelligens perfectissimum est, tunc intellectio fit per naturalem, & perfectam similitudinem, ac identitatem. Atque ita in Deo, seu Verbo diuino repræsentatio intellectualis est per identificationem, propriùmque esse substantiale obiecti, nempe ipsius diuinitatis: & ideò productio intellectualis dum formaliter tendit ad similitudinem repræsentatiuam, etiam necessariò tendit ad similitudinem naturalem: similitudinem, inquam, obiecti, & per consequens ipsius etiam principij; nam obiectum in præsenti est ipsa essentia diuina, quæ (vt fœcunda) ipsius est principij operantis. Et sanè quò perfectior est imago & similitudo, eò magis repræsentatio accedit obiecto, eique appropinquat: quare cùm in Deo similitudo sit infinitè perfecta, mirum non est si obiecto suo tam propè accedat, vt perueniat ad identitatem.

6. Sunt qui aliter difficultatem propositam expediant in gratiam rationis Diui Thomæ, vt Becanus, qui *in tract. de Trin. c.* 1. *quæst.* 2. *num.* 11. sic habet: ***Quod producitur per intellectum, nihil est aliud, quàm Verbum mentis,***

mentis, seu vitalis imago rei intellectæ. Nam intelligens efformat actualem speciem, seu imaginem eius rei, quam intelligit: hæc autem actualis species, seu imago est similis intelligenti secundùm eam formam, quâ intelligens est. Cùm enim duæ species, seu imagines spectandæ sint in homine vel Angelo; vna habitualis, quæ est principium intellectionis; prior cum intellectu actiuè concurrit ad intellectionem, posterior producitur per intellectionem. Igitur homo vel Angelus, qui intelligendo producit verbum mentis, seu actualem imaginem rei intellectæ, dicitur producere aliquid simile, quia actualis imago, quam producit, est similis habituali imagini, quæ producit. Hoc verò locum etiam habet in Deo: nam habitualis species, seu imago, quâ Pater intelligit, est essentia diuina; actualis autem species vel imago, quam Pater communicat producto Filio, sic formaliter ad hunc pertinet, vt ab ea Filius nomen trahat Verbi, diuinæque imaginis. Quare Filius debet esse similis Patri secundùm essentiam. Quod non conuenit in Spiritum sanctum: nam quod producitur per voluntatem, hoc vi suæ productionis non est simile producenti. Quod enim producitur per voluntatem nihil aliud est, quàm actualis quædam propensio, seu inclinatio in rem amatam: hæc autem inclinatio non est similis amanti secundùm eam formam, quâ amans est: nam forma secundùm quam quis amat aliquod obiectum, est ipsa bonitas obiecti per intellectum apprehensa, & voluntati proposita. Hæc Becanus, ad tuendam, & explicandam rationem & doctrinam sancti Thomæ.

7. Aduertis modum istum, quem Becanus proponit ad explicandam naturæ, essentiæque diuinæ similitudinem in Verbo per intellectum producto, diuersum esse ab illo modo, quem *num.* 2. & 3. superiùs nos exposuimus; in quo nimirum similitudo ad filiationem requisita consistere dicebatur in eo quòd Filius sit Patri similis in essentiali verbo, siue in ea notitia actuali, quam ipse Pater essentialiter habet diuinæ suæ naturæ, quatenus ea notitia per generationis communicationem est eadem in Filio & Patre, atque ita Pater & Filius in illa similes sunt per identitatem. At verò modus, quem hîc numero præcedenti ex Becano protulimus, aliter similitudinem quam habet Filius, quatenus est verbum, explicat; nempe ita vt ea Filij similitudo respiciat notitiam habitualem, seu speciem velut impressam, quæ est virtualiter in Patris essentia; Filius enim est actualis notitia producta, & Verbum Patris, ac per consequens est similis habituali notitiæ, & speciei impressæ in ipso Patre virtualiter residenti; omnis enim actualis notitia, seu omne verbum mentis habet similitudinem respectu habitualis notitiæ, siue speciei impressæ, ex qua emanat.

8. Præterea Suarez *lib.* 11. *cap.* 5. *num.* 16. considerationem addit, quæ magni momenti est ad stabiliendum illud principium Diui Thomæ, quòd illa sola persona in diuinis dici possit procedere per generationem, & vi suæ productionis esse formaliter similis in natura suo principio, quæ producitur per viam intellectus; ait enim citatus Author, quòd ei personæ, quæ per viam intellectus procedit, formalissimè conuenit similitudo, quia ei communicatur ex vi processionis suæ primarium & formale constitutiuum diuinæ essentiæ, siue diuina essentia vt primò constituta in esse talis naturæ; non autem ita com-

municatur ei personæ, quæ procedit per viam voluntatis. Explicatur: nam licèt in natura diuina infinitæ sint perfectiones, per quas omnes constituitur; non tamen vlla est æquè prima, nec æquè formalis, atque differentia intellectiui in actu secundo & perfectissimo constituti; cæteræ enim in Deo perfectiones & potentiæ præsupponunt potentiam intellectiuam; atque ita dicendum est, naturam ipsam diuinam intellectione actuali formalissimè constitui. Quandoquidem igitur ea persona, quæ per intellectum producitur, accipit vi suæ processionis primariò ac formaliter intellectionem actualem, & propterea appellatur verbum; negari non potest, quin ipsa primariò ac formaliter, seu per se accipiat rationem formalissimam, & eam, quæ in diuinitate elucet maximè.

9. Personam verò, quæ per viam voluntatis producitur, clarum est nequaquam talem rationem primariam, ac formalissimam accipere primariò, sed tantùm secundariò, & consequenter; quandoquidem primariò & per se vi suæ productionis accipit amorem, qui est ratio tantùm secundaria; & intellectionem vt radicem præsupponens. Quia tamen amorem, vtpote identificatum cum intellectione, accipere non potest, quin simul accipiat ipsam intellectionem, idcircò & hanc accipit, sed consequenter tantùm, secundariò, & materialiter. Quamuis ergo tùm Verbum, tùm Spiritus sanctus eamdem à suo principio naturam accipiant, nec Spiritus sanctus participet minùs diuinitatem, quàm Verbum, sub diuersis tamen formalitatibus eam accipiunt. Nam Verbum accipit primariò rationem primariam, & formalissimè constitutiuam diuinitatis, nempe intellectionem; & secundariò amorem cum reliquis attributis: at verò Spiritus sanctus accipit primariò amorem, qui est tantùm ratio secundaria diuinitatis; & secundariò, ac identicè, seu materialiter accipit intellectionem, quæ in diuinitate est ratio primaria. Meritò igitur dici potest, Verbum prodire speciali modo secundùm similitudinem naturæ diuinæ.

10. Confirmatur: nam gradus intellectualis, & actualis intellectio, cùm sit primarium constitutiuum diuinitatis, est eiusdem velut facies, ac vultus. Vnde secunda persona in diuinis, quemadmodum vocatur intelligentia, & verbum; sic etiam dicitur vultus diuinitatis. At similitudo præcipuè, ac specialiter attenditur circa vultum potiùs, quàm circa cæteras partes: vnde quando duo homines perfectam habent in vultu similitudinem, vocamus illos absolutè similes; at verò non ita, si habent similitudinem, quantumvis perfectam, in aliquo alio membro. Atque hactenus ostendimus, rationem, cur sola secunda persona generetur, & sit Filius, eam esse, quam reddit Sanctus Thomas, quòd nempe ex vi processionis suæ sit formaliter similis suo principio, quatenus procedit per viam intellectus.

11. Notare tamen attinet, eam etiam rationem, quam capite superiori, *num.*8. *& sequentibus*, in explicatione secundi modi ex Richardo Victorino attulimus, non videri penitus alienam à præsenti quæstione; & similitudinem fundatam in fœcunditate, vt potest sensu ibidem exposito vocari similitudo naturæ, ita posse iuuare similitudinem eam quæ requiritur ad veritatem generationis. Certum

tum enim eſt, perſonam, quæ à principio fœcundo procedit, maiorem habere ſimilitudinem cum ſuo principio, ſi procedat fœcunda, quàm ſi infœcunda, præſertim cùm eam ſimilitudinem interpretari aliquo modo poſſimus ſimilitudinem naturæ; atque ita patet ſecundam perſonam ſimiliorem eſſe primæ perſonæ quàm Spiritum ſanctum Spiratori. Cùm ergo ad perfectionem filiationis & generationis faciat perfectio ſimilitudinis, iuuabit aduertere, ſecundam perſonam, quam conſtat ſolam eſſe filium, id habere præ Spiritu ſancto, quòd procedat fœcunda à fœcundo, cùm Spiritus ſanctus procedat à fœcundo infœcundus; atque adeò ipſam perſonam ſecundam procedere cum maiore ſimilitudine, quàm Spiritum ſanctum. Nihilominus illa ſimilitudo, quæ tota notionalis eſt, & non ſe tenet ex parte diuinæ naturæ ſumptæ pro entitate tribus communi perſonis, non eſt ea, quæ præcisè, & formaliter in definitione generationis & requiritur, & ſufficit. Poſito enim, quòd ſecunda perſona eſſet per impoſſibile infœcunda, ſi tamen procederet per intellectum, vt procedit, non deſineret eſſe verè Filius. Et quamuis Spiritus ſanctus fingeretur eſſe fœcundus procedendo per viam voluntatis, non conciperetur propterea eſſe filius.

CAPVT XI.

Myſtica circa Filij diuini proceſſionem contemplatio.

1. HVmano inſitum eſt naturaliter ingenio, vt cùm ei quid eximium, admirabileque proponitur, occultas illius aueat ſtudeatque cauſas cognoſcere, atque illas inſatiabili veri ſciendi cupiditate ſcrutetur omni viuerrâ ſagaciùs. Quomodo Sapientis animus, dum iucundo (inquit Philo Iudæus) aſtrorum orbiumque cæleſtium aſpectu epulatur, quaſi temulentus εὐθυμίᾳ, immoderatoque contemplationis potu onuſtus ſummo incenditur deſiderio tantæ Conditorem pulchritudinis, ruptis velut naturæ repagulis, adeundi, atque intuendi. Quid, quod curiosè vel ipſorum fluminum originem, ſi fortè illorum nauigabilium vtilitate, aut bellifluentium amœnitate delectamur, non ſolùm longis diſputationibus, ſed etiam aduerſis ſurſum nauigationibus longinquis inquirimus? Quanta ſollicitudine in explorationem naſcentis Nili pluribus ſæculis veteres incubuere Chorographi, donec tandem in Lunæ montibus quieuere? Non itaque mirum, ſi omnes qui Chriſtianæ Religionis initiati ſacris excellentiam Redemptoris noſtri, eiuſquè poſt carnem aſſumptam in omne genus humanum beneficia cum admiratione didicerunt, ſtudio flagrent intelligendi, quæ fuerit illius in ſua æternitate origo, & ex quonam oriundus ſit intra Trinitatem principio.

2. Et quidem ſi ad aures vellemus admittere quod de ipſius origine petulans hæreticorum impietas protulit, Arium in eo, quem *Thaliam* inſcripſit, libro, & ſimul cum illo rigidos ipſius ſectatores Anomæos & Ariomanitas audiremus affirmantes, Chriſtum eſſe κτίσμα, καὶ ποίημα, creaturam ſcilicet, Deique opus ortum in tempore ex nihilo, & ex non extantibus (quemadmodum ipſi loquebantur)

tur) productum, vt Creatoris foret administer, atque instrumentum in condendo mundo. Verbum autem vocari, & Sapientiam, non quasi quid ad diuinam substantiam pertinens, sed quasi quid à Verbo Sapientiaque Deo essentiali per gratiam in tempore fabricatum omninò ipsi Deo dissimile; atque ita nec æternum esse Dei Filium: quare supremum illud ens, à quo genitus est, Deum quidem, at non Patrem ab æterno fuisse. Qui autem molliores, nec tam rigidi Ario adhæserunt, ideóque Semiariani sunt dicti, Christum quidem ab æterno, similisque alicuius cum Deo substantiæ, & ὁμοιόσιον fatebantur; non tamen ex ipsa diuina substantia ὁμοούσιον, sed ex nihilo ante omnia tempora editum agnoscebant, quasi quemdam inferiorem, & æquiuocè Deum. Nec honorificentiùs, quin & humiliùs de Spiritu sancto censuerunt; eum enim ipsi Ariani, Semiarianique, & inter illos impudentissimè Macedonius, infra Filium collocarunt. Hos meritò Catholica Fides execratur omnes, qui dum rapinam arbitrantur, Christum ac Spiritum sanctum esse æqualem Deo, capitale ipsi rapinæ crimen admittunt, æternæ gloriam nobilitatis illi geminæ personæ diuinæ conantes eripere. Sed illam execratorum hominum impietatem satis conuincit Christi testimonium, qui cùm sit ipsa veritas, Filium se Dei, Deumque professus est; & Spiritus sancti nomine (perinde ac Patris & Filij) in baptismo nos voluit consignari. Quare cùm Christus & suam, *Ioan. c.16.* (vbi ait, *Exiui à Patre*) & Spiritus sancti, *Ioan. cap. 15.* (vbi dixit, *qui à Patre procedit*) ad Deum Patrum referendam esse testetur originem; cúmque Verbi nomen, quod ipsi peculiare impositum est, vim genitalem fœcundi intellectus, ex quo prodierit, & vim simul sibi adiunctam spiritalem fœcundæ voluntatis ad tertiæ processionem personæ designet; consentaneum est, vt anima pia consideret cùm eiusdem Filij, tùm Spiritus sancti, cuius est vtriusque sponsa, originem. Et quidem ne in longius liber hic protrahatur, mysticam nos de Spiritu sancto contemplationem ad calcem libri sequentis differemus: nunc Filij seu geniti Verbi processionem speculari sufficiat.

Exponitur pulchritudo Filij prout ex paterno intellectu procedentis.

3. Nunc igitur nobis quod ad Filium attinet, speculandum se offert, qualis sit diuini fœcunditas intellectus, & ipsius Verbi ante Luciferum ex paterno sinu (veluti sponsi ex thalamo) procedentis decor atque pulchritudo. Oriens est nomen eius. Procedit lumen de lumine. Nascitur per intellectum (hoc est, exit per *portam speciosam, portamque orientalem*) syncera & consubstantialis emanatio paternæ claritatis, candor lucis æternæ, sui speculum parentis, & imago bonitatis illius. Hunc mundi Solem Archetypi aspectabilia mundi nostri sydera mirantur; & is Sol adorat, quem cum illo per insignem contumeliam quidam hæretici confundere voluerunt; Christum censentes istud esse astrum, quod ortu & occasu peragit diem. *Manichæi Solem istum oculis carnis visibilem* (inquit Augustinus tract. 34. in Ioannem) *expositum & publicum non solùm hominibus, sed etiam pecoribus ad videndum, Christum Dominum esse putauerunt.*

Sed

Sed improbemus hunc errorem: non arbitremur Dominum Iesum Christum hunc esse Solem, quem videmus orir i ab Oriente, occidere in Occidente: cuius cursui nox succedit, cuius radij nube obumbrantur, qui certo de loco in locum motione commigrat. Non est Dominus Christus sol factus, sed per quem sol factus est. Est ergo lux quæ fecit hanc lucem. Hanc amemus, hanc intelligere cupiamus, ipsam sentiamus, vt ad ipsam duce ipsa aliquando veniamus, & in illa ita viuamus, vt nunquam omninò moriamur, iuxta prophetiam: Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.

4. Lux hæc lucis, & fons luminis, de lumine emanat essentiali, atque improducto. Verbum relatiuum de Verbo procedit absoluto; Sapientia genita de Sapientia generante; Filius de intellectus paterni pulchritudine; pulcher ex pulchro; dilectus ex dilecto: quid enim diligi dignius, quàm ea pulchritudo, quæ diuinæ decus est intelligentiæ, ac relucet eminenterque in Filio? de quo Dionysius 4. *de Diu. nomin.* non minore sermonis grandiritate, quàm sensus pietate sic scribit: *Supersubstantiale pulcrum, est ipsa pulchritudo, per omnia pulcrum, & supremè pulcrum, semper & vbique, & eodem modo pulcrum, & velut ad se omnia vocans, vnde etiam pulcritudo græcè κάλλος, à vocando (παρὰ τὸ καλεῖν) dicitur, quasi omnia inuitans, vt ipsius pulcritudinem participent; quia ex ipso prouenit vt omnia pro suo modo sint pulcra, omniumque est velut effectiua causa, finisque est omnium; pulcri enim gratiâ omnia fiunt: & exemplar, quia iuxta id definiuntur omnia: & pulchri omnis principalem pulcritudinem excellentissimè in seipso ante omnia præhabens.* Quare meritò ab eodem sublimioris Principe Theologiæ Deus vocatur εἰδοποιὸς, καὶ καλλοποιὸς, αἰτία τῶν καλῶν. Eximiæ huius pulcritudinis radio aliquo perstrictus fuerat Plato, cùm Deum dicebat esse τὸ πρῶτον καλὸν, πάντα καλὰ ποιῶν; illumque vt se pulchrum faceret, implorabat. In suo autem diuina Sponsa cantico longè propiùs intuita sui pulcritudinem ac decorem dilecti, exclamat: *Ecce tu pulcher dilecte mi, & decorus.*

5. Vt porrò quæ sit illa singularis & propria geniti Verbi pulcritudo, intelligatur, attendere nos oportet, cùm in tota natura diuina infinitæ concipiatur perfectiones, tùm verò specialiter intellectui pulcritudinem, non secùs ac voluntati bonitatem adscribi. Quemadmodum autem tota in oculo nostro pulchritudo est pupilla, sic summum in intellectu diuino decus cognitio est actualis, & illa mentis operatio, quam græci Theologi dicunt ἐνέργειαν, Scholæ nostræ actum secundum, seu Verbum essentiale, quo Deus se, omniaque possibilia cognoscit. Quem actum secundum, licèt improductum & essentialem, vocare possumus *Verbum*, quoniam est diuinæ mentis operatio completa. Hoc ergo improductum, essentialeque Verbum omnem attributorum diuinorum perfectionem, quasi absolutissima eius imago ita repræsentat, vt expressione sua eandem illam intentionaliter in seipso totam possideat; atque ita vniuersa in Deo attributorum perfectio velut duplicatur, illaque Deus potitur bis: primò quidem realiter, & deinde intentionaliter; quatenùs scilicet intellectus omnia quæ intuetur obiecta, dicitur ad se trahere, & intus formata recipere. Ex quo fit, vt quemadmodum cælites

omnes per visionem beatificam dicuntur possidere Deum, sic & ipse Deus fiat sibimet, se intuendo, possessor. Illa verò intuitio, quam Deus habet diuinitatis suæ, nihil aliud est, quàm prædictum Verbum essentiale, per quod, quasi per formalem beatitudinem, possidet totam suam diuinitatem, velut beatitudinem obiectiuam.

6. Quæ cùm ita se habeant, apparet primò, quàm pulcrum sit Verbum illud essentiale, cùm sit intentionalis imago perfectissima totius pulcherrimæ diuinitatis: fieri enim nequit, vt imago pulcritudinem eximiam obiecti speciosissimi perfectè exprimens, non sit & ipsa eximiè pulcra. Secundò cùm ex dictis hoc libro, *cap.* 3. constet facultatem generandi residere in prædicto Verbo essentiali velut formam ei superadditam; & Verbum hoc, quantumcunque est, debeat (excepta fœcunditate ipsius) communicari per generationem formaliter; nemo non videt, quantam in ipsa Filij generatione & talis Verbi communicatione pulcritudinem intellectualemque splendorem collucere necesse sit. Atque hìc velut gradatione quadam per varia creatæ pulchritudinis ascendendo fastigia possumus ad summam Diuini Verbi, quà generantis, quà geniti percipiendam animo celsitatem peruenire. Cùm enim tot in hoc mundo videamus genera pulchritudinum, ex quibus mundi ipsius & Κόσμου nomen tractum; quodnam illud quæso foret spectaculum, si Deus (quod cogitatione fingere possumus) ornatum tam admirabilem per hanc omnem rerum vniuersitatem dissipatum, in rem vnam aliquam coniiceret, eumdemque ita collectum, addita pulcritudine mundorum etiam innumerabilium, multiplicaret? Nihilominùs quod Plato de vultu excellentis formæ dixit, cùm puellam quamlibet formosissimam Deo comparatam, non pulcram, sed deformem esse pronunciauit; certum est posse nos id ipsum de omni illa, quæ cumulatissima fingi in immensum queat, creaturarum pulchritudine affirmare; eam nempe si cum increatæ, siue generantis, siue genitæ Sapientiæ dignitate, & cum summo venustatis omnis archetypo conferamus, meram fore deformitatem, quæ plus offensionis, quàm admirationis habeat.

7. Vt meliùs, quàm excellens formosaque sit intelligentiæ diuinæ species, & quomodo in ipsa Filij processione natiuitateque se habeat, percipiatur, scire debet, attendereque mens Christiana, non posse Patrem Æternum vim exercere prolificam, & substantiam suam per generationem communicare, nisi per sui ipsius essentialem intuitionem; & quatenùs omnium rerum possibilium, atque adeò nostri singulorum attentissimam habet cogitationem, cuius cogitationis perfectiones non alia possunt dignè, quàm eadem illâ in se reflexâ cogitatione cognosci. Dubitari autem non potest (cùm omnis sapientiæ fundamentum sit vera sui cognitio) quin Deus, qui non tantùm summè sapiens, sed summa est ipsa sapientia, omnem (vt ita dixerim) aciem ad sui considerationem conuertat, & sit totus cognitio reflexa in hoc omne, quod ipse est aut potest: quæ cognitio in semetipsum rursus reuocetur orbibus & conuersionibus velut reuoluta infinitis. Nam cùm diuina mens sibi præsens sit intimè; cùm etiam oporteat ipsam esse eius

maximè

maximè notitiam obiecti, quod cognitu optimum, ſcituque pulcherrimum habeatur, conſectarium eſt, vt indefeſſa fiat ſui cognitio in ſe perpetuò reuerſa. Quod & Ariſtoteles, quantùm diuinam mentem lumine naturali noſſe potuit, ſic *lib.12. Metaphyſ.* explicat: Αὑτὴν ἄρα νοεῖ, εἴπερ ἐστὶ τὸ κράτιστον, καὶ ἔστιν ἡ νόησις νοήσεως νόησις.

8. Atque cùm nihil diuina illa Patris mente concipi beatius poſſit, neceſſarium eſt, vt diuinitatem ipſam ſuam, idque totum, quod poſſidet exiſtendo, fruendum etiam cognoſcendo poſſideat. Itaque perfectiones in eſſentiæ ſuæ complexu videt immenſas; videt in ſuæ ditione omnipotentiæ interminatos Spirituum ordines, & gradatam infinitarum hierarchiarum excellentiam; videt mundos, quos conſtruere poteſt innumerabiles, ex quorum omnium, licèt nunquam condendorum, iucundiſſimò ſpectaculo fructum capit inexplicabilis felicitatis; nec verò ſolam phyſicarum poſitiuarumque naturarum poſſibilitatem cognoſcit; ſed etiam omnes earum modos, ordines, combinationes, comparationes, negationes, priuationeſque poſſibiles. Quod ſanè omnem ſuperat intelligentiæ infinitatem. *In Dei ſapientia* (inquit Auguſtinus lib. 22. de ciuit. cap.10.) *ſunt immenſi quidam atque infiniti theſauri rerum intelligibilium, in quibus ſunt omnes inuiſibiles atque incommutabiles rationes rerum, etiam viſibilium & mutabilium, quæ per ipſam facta ſunt, aut fieri poſſunt.* Ea porrò paternæ ſapientiæ notitia, rerum intelligibilium theſauros continens, non aliud cenſeri debet quàm id eſſentiale Verbum quod eſt fœcunditatis generatiuæ fundamentum; ex quo Verbo formaliter ac proximè oritur is Filius, qui cætera cùm eſſentialia attributa non niſi conſequenter recipiat, primò ac per ſe apprehendit omnem ipſius eſſentialis pulcritudinem Verbi, dum huic mediatiùs communicato abſque vlla reali diſtinctione coniungitur. Atque ita ex eo Verbo, à quo producitur gigniturque, nomen traxit producti genitique Verbi & candoris ſeu claritatis æternæ: vt vulgò ſolet filiis ex genere, vnde orti ſunt, nomen adſcribi.

9. Indidémque ipſi Dei Filio quædam alia, tanquam eſſentialis Verbi conſectaria nomina adhæſerunt. Hinc enim eſt quod Patris eſſe ſapientia, ſcientia, intelligentiaque dicitur. Inde Veritas, quæ cognitionis & intelligentiæ proprietas eſt, appellatur. Inde aſſignata eidem artis & ideæ vocabula. Denique inde eſt quod Patris dictio, quod locutio, quod ſermo & vox in Scripturis ſacris vocetur. Per illum quaſi per artem, quâ creatrix omnipotentia dirigebatur, conditi ſunt cœli, & terra. Illa cenſetur eſſe Sapientia, quæ cum Patre mundum creante ludens erat, & cuncta componens. Illa vox erat, cuius prolatione ſingulis ſex diebus creaturas Deus dicto audientes & reſpondentes *Adſumus*, accerſebat ex nihilo. Illa fuit in mente diuina inſidens rerum ſpecies & idea pulcherrima, ad cuius ſimilitudinem Creator partes vniuerſi formans, ſuæ potentiæ manum artificem dirigebat. Denique Scriptura teſtatur Verbum illud eſſentiale perfectiſſimam eſſe Dei vitam; imò & per illud omnia in Deo viuere. Vnde Ioannes *cap.1.* affirmat omne quod factum eſt, in ipſo producto genitoque Verbo vitam fuiſſe. Prætereà actus ſecundus intel-

ligentiæ diuinæ, cùm sit velut vltima Dei, supremaque completio, dici meritò potest facies conspectusque diuinitatis. Ex quo fit vt etiam productum ipsum per generationem Verbum, tanquam totius diuinitatis vultus habeatur. Deinde cùm duæ solùm sint in Deo vitales facultates, intellectus & voluntas, constat intellectionem primùm esse quasi florem vitæ diuinæ, præireque omni volitioni. Et vt ea intellectio seu verbum essentiale est primum diuinæ vitæ germen; sic filium diuinum, cui tale verbum formaliter & primò communicatur, existimant Sapientes fuisse ab Isaia *cap.*4. vocatum *germen Domini in magnificentia & gloria*; quemadmodum & *florem*, cap. 11. *qui de radice Iesse* per Mysterium Incarnationis *ascenderit*. Ex quo germine, atque flore se per æternam natiuitatem in sinu Patris explicante triplex nobis nascitur prouenitque fructus.

Primus fructus, qui colligi potest ex Filij processione.

10. Et primus quidem fructus est, vt eximia illa insatiabilisque pulcritudo Solis æterni in exortus sui splendoribus apparentis, nos totos ad se stupore defixos conuertat, ac rapiat; cùm præsertim aliqua videamus, tùm in cœlis, tùm etiam in hoc inferiori terrarum orbe, quorum species nullatenus cum infinito illo Creatoris sui decore comparabilis nos tenet admiratione stupefactos. Certè cùm pulcritudo, quam sub oculis passim habemus, & falsa ferè sit, & fallax; ideóque nobis suspecta esse debeat atque sollicita, tutius à nobis eius aspectus deuitatur; & quando coràm occurrit, tanquam certum periculum prætcritur, quàm curiosè perquiratur, aut aliquo excipiatur applausu. Cœlum, quando velut rosis liliisque sparsum apparet, nullus est Philosophorum, qui admiratione summa non excipiat: nullus in plebe, infimaque multitudine, qui pictas & ornatas rutilo colore nubes non item existimet esse suspiciendas hominum generi velut sedem aliquam, vehiculumque diuinitatis. Cùm tamen certum sit miscellaneam illam nubium in ætherea regione picturam nihil in se solidi, & ne verum quidem vllum colorem magis continere, quàm in versicoloribus columbæ plumis videamus. Cui superuacaneo futilis pulcritudinis fuco, & ambitioso naturæ solam ad pompam laborantis lusui consimilis est omnis ille, qui in creaturis efflorescit venustatis externæ decor. Qui tamen eam vim & pondus habet in animos mortalium, vt ex eo suspensi esse videantur. Eâ vultus & oris formositate muliebri, quæ in solo cutis nitore, & coloris bonitate consistit, quàm multos cernimus ita captos, vt nullam quietis partem capere possint, sed insano miseri amore contabescant?

11. Quis itaque non risu, seu potiùs miseratione prosequatur mortalium cæcitatem, atque stultitiam in diiudicanda rerum pulcritudine; cùm ad eam spectabilem, quæ fucata, & adulterina, vel etiam noxia sit, ardentissimo affectu adhærescunt; illâ neglectâ, quæ æterna sit, & immutabilis. Quàm enim inconsultus censeri debeat eorum labor, qui post speciosam solarum creaturarum formositatem anhelant, Dei sapientia nos admonet in illo, qui de ipsa est libro, *cap.*13. cùm asserit aliquod primum pulcrum existere, à quo omnis hæc venusta

venusta splendidaque mundi species promanarit. *Quæ specie qui delectantur,* inquit, *sciant, quantò his dominator eorum speciosior est. Speciei enim dominator hæc omnia constituit.* Si solem ab eius Creatore seiungebant Eudoxius & Anaxagoras, in errorem eos sua inducebat Philosophia; cùm ille quidem iactaret non recusare se, quominùs à vita recederet, si propiùs ad solis commodè contemplandam pulcritudinem sibi accedere licuisset: iste autem dictitaret, illius astri spectandi causâ natum se & in terrarum solo degere. Certè manifestum est res has omnes etiam perfectissimas, si eas à creatore sciunxeris, esse per se non modò nullius solidæ pulcritudinis, sed omnis veræ entitatis expertes.

Secundus fructus.

12. Alter fructus, quem considerando processionem Diuini Verbi colligere possumus, erit sapidissimus ei menti, quæ pia contemplatione gustabit, quantæ sit suauitatis, quòd secunda Trinitatis persona oriatur ex ea Patris fœcunditate, cuius fundamentum nos aliquo modo respiciat, & quæ sustentetur actuali ea cognitione, ac scientia simplicis intelligentiæ, quam diuinus intellectus, priusquam generaret, supponitur habuisse circa nostræ possibilitatem existentiæ; ita vt per se ac formaliter illius processionis diuinæ conditio id requireret; nec Pater posset æternum exequi generationis officium, nisi de nobis & cogitans, & loquens. Quandoquidem enim illum oportebat Filio omne tunc dicere, narrareque quod sciret, non potuit in illo æternitatis articulo de nobis cum ipso non instituere colloquium, & eum ita de rebus nostris omnibus edocere, vt primò ac per se eumdem numero, quem circa nos habebat, notionis actum illi tanquam essentialem inderet. Quare vi suæ generationis essentiale Filio est, vt actualem de nobis cogitationem accipiat, nunquam deponendam. O gaudium! ô gloriam! ô sortem superbam! non potuisse celebrari processionem Verbi geniti, nisi Patre mentionem mei faciente! & me toti illi mysterio obiectiuè præsentem esse debuisse, Filio in ipso suæ generationis instanti eam de me cogitationem, quæ ipsi essentialis sit, accipiente!

13. Quæ sensum tanti gaudij gloriæque percipis, anima mea, ex eo quòd genitum ab æterno Verbum in ipso suæ natiuitatis articulo cogitationem tui nunquam intermittendam essentialemque susceperit, & quòd in oculis te semper gerat; considerare itidem debes, quantum eidem Verbo gaudium, quantam gloriam afferre te vicissim oporteat, eius perfectiones assiduissimè contemplãdo; cùm nata & procreata eò solùm fueris, vt de Diuinô Verbo quamdiu ipsum de te sine intermissione cogitabit, nunquam, vt poteris, tu cogitare desistas. Non desistes certè, si teipsam intuearis & noris intimè. In tua enim essentia vi creationis insculptam inuenies eius speciem imaginemque Verbi, cuius numen rationalem naturam, & vt efficiens, & simul vt idealis causa produxit. Nec illa imago obliterari, mutarìve vllatenùs potest, nisi rationalis ipsa natura destruatur. Quemadmodum (si prophana similitudine tantum mysterium explicare licet) narratur quidam olim statuarius in opus, quòd elaborabat, suum ita nomen per

vanam

vanam ostentationem inclusisse atque inseruisse, vt hoc reuelli non posset, nisi totum illud opus, quod elucubratus erat, diffingeretur, atque dissolueretur. Sed insuper nobis attendendum est, non satisfacturam esse Deo nostram de ipso cogitationem, nisi & locutionem, quæ laudes eius celebret, adiungamus. Quemadmodum Pater diuinus generauit, non per solam de nobis singulis cogitationem, sed & simul per locutionem, quâ Filium edoceret quicquid de nobis nouerat esse possibile.

Tertius fructus.

14. Is fructus, quem tertio loco ex æternæ generationis contemplatione percipere possumus, eò sapidior est, quòd eum ex notionalis Sapientiæ (quæ sapidissima scientia est) fœcunditate colligamus. Nam cùm Patris absoluta sapientia perfectionem virtutis genitalis, velut quamdam superadditam habeat formam, quâ sapientiam (qui Filius est) relatiuam generat; ex illius vtriusque absolutæ relatiuæque sapientiæ consideratione accendi par est in nobis humanæ studium sapientiæ, quâ sanctitas Euangelicaque perfectio continetur. Postquàm enim primus humani generis parens, quam innatam habuerat sapientiam, perdidit, & accepta tùm corporis, tùm animi detrimenta cum omni posteritate adæquauit, nihil fuit in mundo tam valde, quàm nihil sapere, vulgare. Quem enim à paruis mortales exercere solent modum in crepundiis nugandi, illum grandes natu transferunt ad negotia; quæ ideò Augustinus aptè dixit aliud nihil esse, quàm maiorum nugas. Quàm enim multos videas qui in omni vita ignorent, quorsùm tendant, securi quò pes ferat, neque curantes quò tandem, quidquid agant, exiturum sit, dum magnas, vt vocant, administrationes, & ardua, mutato nugarum nomine, negotia suscipiunt. Cùm igitur ex quo Adamus Sapientiæ naufragus, naturam à se propagatam omnibus spoliauit animi opibus, adeò peruagata sit inter homines insania, nihil tanti ad beatam vitam est momenti, quàm solidæ sapientiæ veritatem internoscere. Siquidem ita comparatum est, vt sæpè ex inani similitudinis vmbra maius nomen ficta quàm vera sapientiæ species obtineat; sicut adulterinas factitiasque gemmas non rarò videre est maiori fulgore, quàm veras collucere; ita vt inuentâ iam, adeptáque sapientia opus ei esse videatur, qui veram ipsam sine errationis periculo quærere, adipiscique desiderat. Ille quidem iam sapiens esse cœperat, qui sic de ipsa, cuius ambiebat inire coniugium, sapientia scribebat cap. 8. *Hanc amaui, & exquisiui à iuuentute mea, & quæsiui sponsam eam mihi assumere, & amator factus sum formæ illius.* Qui & ipsius aliquam partem sapientiæ esse pronunciauerat, vel eam concupiscere, eiusque ambire coniugium, cum diceret cap. 6. *Initium*, inquit, *illius verissima est disciplinæ concupiscentia.*

15. In qua honestissima concupiscentia illi profectò erunt qui sapientiæ decorem, nobilitatem, & opulentiam noscent. Nec verò quicumque proci erunt illius, multum in ipsius nuptiis ambiendis tempus insument; nullum enim pudicum sui amatorem illa fastidit. Quin potiùs voluntates captat omnium; obuia passim etiam eorum in conspectum se offert,

offert, qui se maximè fugiunt. Ante illorum fores, qui ei ad suas domos aditus intercludunt, *prædicat, & in plateis dat vocem suam*, vt est in libro Prouerb. *cap.* 1. Apertos apud Gregorium Nazianzenum aditus facilesque nacta (vt Rufinus & Anselmus narrant) in cubicularem vsque lectum eius aliquando penetrauit, dormientisque iuuenis animum speciosa sui visione pulsauit, adiunctam habens virginem alteram haud multùm sibi absimilem. Excellens oris in vtraque dignitas; par in hac & in illa decor, & suauissima quædam aura diuinitatis: tum verò ambæ per visum non blandis modò delinire sermonibus, sed amplecti etiam velle amatoria velut familiaritate, quæ vltra pudoris virginei modum ferè videretur. Cùm is in illa periculi vmbra cohorresceret: Omitte (inquit illarum altera) timorem, pudice iuuenis; non eæ sumus quæ mentis auferamus, corporisque castimoniam; earum ne erubesce complexum, quas nunquam reformidares complecti, nisi iam complexus esses. Sapientia nomen est alteri, alteri pudicitia: neutra potest ab altera distrahi. In nostram si necessitudinem recipi nequaquam renuis, comites vbique tibi, & rebus erimus in omnibus duces. Ex quo tanti Doctoris viso intelligimus, quanto hominum, quorum egregia præsertim sit indoles, amore capi soleat diuina Sapientia.

16. Eiusdem rei exemplum etiam illustre suppetit in Laurentio Iustiniano, qui talem suæ felicitatis historiam ipse monumentis consignauit. Cùm nimirum aliquando magnas hinc & inde in vita molestias caperet, animoque curis exeso, vndevigesimum annum agens solitarius cogitaret, quo posset modo & loco quietum animi statum adipisci; tunc Sapientiam ait se videndam ipsi præbuisse, atque post humanissimæ salutationis officium: Quis, inquit, iste mœror? Bono sis animo, & tristitiam, quæ te ita exest, conficitque, relaxa, si me audis, & mitiga. Sed interest vbi leuamentum ægritudinis quæras: non potest animus, cùm sit ex diuinitate velut decerptus, in rebus creatis, quasi altioris suæ conscius originis, quiescere; nec ad veram animi iucunditatem vnquam experiere humanam vestram satis posse sapientiam. Quidquid enim medicamenti ex mundanæ Philosophiæ velut narthecio promitur, id omne iners est. Ego quidem diuina sum illa æternaque Sapientia, ex qua originem, dum primò conderere, traxisti; & quæ post commune generis humani peccatum, tui redimendi gratiâ non dubitaui carnem induere, & sanguinem, vitamque profundere. Et quidem nec recuso, quin tibi nuptura sim, dummodò rem tuo assensu comprobes. Me si semel in matrimonio habueris, ab omnibus molestiis illicò solutus, dotalem vitæ felicitatem accipies. Vbi talia protulisset Sapientia diuina, beneuolè atque peramanter amplexa est ac dissuauiata Laurentium tam æquis postulatis annuentem.

17. Germanam genuinamque sapientiam, quæ supernaturalis sit, nequaquam ille agnoscebat Philosophus, sed solam tantæ pulcritudinis insequebatur vmbram, qui tanto se illius desiderio profitebatur incendi, vt ipsam eo, quem Phædrum inscripsit, libro in hæc verba efflagitaret à Deo: *Da mihi Deus, vt sim pulcher in iis, quæ sunt intrinsecùs.* Atque ad illud inferioris meréque natu-

ralis seu philosophicæ sapientiæ genus meritò referri potest illud Heracliti dictum apud eundem Platonem: *Homo sapientissimus, si cum Dei sapientia conferatur, simia est ob deformitatem.* Illius humanæ sapientiæ admiratos item non paucos alios Philosophos proditum est, dum eius vmbram instar canis Æsopicæ sectarentur longinquis exiliis potiùs quàm peregrinationibus, ἱστορίας χάριν susceptis. Quos nimirum legimus in Ægyptum, Æthiopiam & vltimos etiam Indos penetrasse; vnde nihil domum præter barbariem reportare potuerunt. Longè latéque se peregrinatum iactabat Apollonius Tyaneus βάκχον τῦ νήφειν, hoc est amore temulentum sobrietatis atque sapientiæ.

18. Supernaturalis est hæc, de qua disputamus sapientia; nec à bonitate sanctitateque secerni eius pulcritudo potest τ' αὐτὸν ἐστι τ' ἀγαθῷ τὸ καλόν, inquit Dionysius *cap.4. de diu. nom.* Itaque veram sapientiam iuncto ex duobus nomine καλοκαγαθίαν aptè quis dixerit. Quæ porrò tam excelsæ sapientiæ natura sit, & origo, sciscitatur Iobus cap.28. *Sapientia*, inquit ille, *vbi inuenitur? & quis est locus intelligentiæ?* Ad quod interrogatum sibi ipse respondet: *Nescit homo pretium eius, neque inuenitur in terra suauiter viuentium.* Euolauit scilicet è mortalium conspectu sapientia post conceptum ab Adamo scelus, nec in veterum porticibus lyceisque reperta est Philosophorum; sed nec semper in nostrorum exedris Theologorum. Licèt enim ei Theologiæ, quæ inter Catholicos, vt par est, explanatur, magnum intelligentiæ decus adscribi debeat, quatenùs originem ex fidei trahit effatis, & eatenùs sequatur vias errare in iudicando non patientes; innumerabilia tamen habet aliunde incerta, tum ex Philosophia, tum ex variis aliis scientiis deriuata, tum ex humano rationis sensu deprompta; vnde euenit nòn raró, vt cùm rerum, de quibus Deus testimonium dixit, causas & consecutiones naturali sagacitate (quod proprium Theologorum est) inquirimus, in ipso ratiocinandi itinere deerremus, & vias sequamur à veritate deuias. Atque ita fit, vt quantò quis in excogitandis concludendisque rationibus subtilior est Theologus, & quò plura foris sibi doctrinarum comparat instrumenta, eò sibi præsentius periculum conflet diuinas veritates per humana confirmandi mendacia.

19. Vnde conficitur, eam, quam in Scholis profitemur, Theologiam talem esse, vt ad perfectiorem, quàm ea sit, oporteat aspirare sapientiam. Quamuis illam ipsam Scholasticorum Theologiam tanti esse constet, quanti profectò est; eamque illius, quæ diuina omninò sit, administram esse sapientiæ; eamdemque dici posse velut aheneum quemdam Ecclesiæ murum. Ea illa est sexaginta fortium cohors, qui lectulum Salomonis ambiunt ex fortissimis Israël. Eæ sunt Celethi & Pheleti legiones, in quibus positum erat præcipuum Dauidici momentum exercitus. Atque inde fit, vt omnium hæreticorum odia in vnos ferè Scholasticos Theologos exarserint. Quemadmodum videmus hæreticas nostri temporis factiones, dùm virus id parabant, quod tanta acerbitate contra hierarchicam Ecclesiæ authoritatem vomuerunt, eâ viâ, rationeque processisse, vt in huiusmodi Theologos, quantam potuerunt, conatæ sint inuidiam cõmouere.

20. Cùm

20. Cùm igitur ne quidem in eo Theologicorum studiorum genere, quod inter mortales sublimissimum videtur, perfecta summaque sapientia resideat, perspicuum est alibi quàm in terris quærendam esse. *Solus Deus* vt ait Baruch, *intelligit viam eius, & ipse nouit locum illius. Qui scit vniuersa, nouit eam. Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersùs eum. Hic ad inuenit omnem viam disciplinæ.* Atque hanc perfectissimæ sapientiæ præstantiam in Deo proprium locum habere non soli Prophetæ sancti, sed & ipsi Philosophi, dictante solo lumine naturæ, cognouerunt. Aristoteles enim 1. *Metaphys. c.2.* scribit, diuinam admodum esse sapientiam; eamque à Deo possideri, & ab illo, qui sit cum Deo amicitia & familiaritate coniunctus: Ἡ γὰρ θειοτάτη καὶ τιμιωτάτη ἣν μάλιστα ὁ θεὸς ἔχει· καὶ εἴ τις τῶν θείων εἴη. Cuius veritatis lumen, ipso Aristotele teste, Simonides priùs aspexerat. Longè autem diuiniori lumine id ipsum illi omnes norunt, qui christianâ doctrinâ illustrantur; eisque in promptu illud est, in diuinitate summæ sapientiæ extare eminereque mysterium ab omni creata intelligentia sensuque disiunctissimum. Nempe, in Trinitate primam quidem personam Patrem esse luminum, genitricemque sapientiam; personam verò alteram lumen esse de lumine, atque sapientiam genitam; tertiam denique personam Spiritum esse sapientiæ & intellectus:

21. Quare maximus fructus, quem Christiani ex sua Trinitatis fide, tantique mysterij consideratione colligere possint, est, vt in sacrario diuinitatis intimo, quà generantem, quà genitam Sapientiam, quà ipsum sapientiæ Spiritum ita venerentur, vt se in conspectu Trinitatis per Religiosam contemplationem sistentes, ab ipsa velut irradiari, & quadam aspergi mereantur participatione sapientiæ. Quæ (siue eam esse sapidam scientiam dixerimus, siue præcelsam per primas causas cognitionem) ἀντίστροφος sit increatæ Sapientiæ, eique ἀναλόγως respondens, hoc est, vt quemadmodum Dei sapientia non modò intellectum suo lumine per generationem Filij, sed etiam voluntatem aliquatenùs suo sapore, seu grato suauique gustu per Spiritus sancti productionem afficit: & præterea sicut Deus omnia in seipso quasi in prima & altissima causa cognoscit, adeò vt non desint Theologi, qui eum nihil aliter nosse velint, quàm per suæ intuitionem essentiæ: sic piæ mentes per eam, quam obtinuerint diuinæ participationem sapientiæ, non solùm illius lumine ad intellectus eruditionem, sed & sapore ad voluntatis morumque sanctitatem afficiantur. Et præterea non ad proximas, infimasque, sed ad altissimas attendendo rerum causas, suorum dirigant consiliorum actionumque rationes. Quale sapientiæ genus Aristoteles *cap.1. moral. ad Nicom.* vocat scientiam architectonicam, ἐπιστήμην κυριωτάτην καὶ μάλιστα ἀρχιτεκτονικήν. Propterea quòd vt illi, qui lapides lignáve cædunt, si rogentur quò suus ille spectet labor, & cur sic agant, proximas tantùm & inferiores, quales nempe ars fabrilis præscribit, possunt afferre causas: at architectus rationes explicabit vlteriores, longéque altiores, & ad totius ædificij descriptionem structuramque latè pertinentes. Eam verò ἐπιστήμην ἀρχιτεκτονικὴν dicit ille Philosophus esse politicam gubernandi

ſcientiam τοιαύτη ἡ πολιτικὴ φαίνε). At longè melius nos dixerimus archctectonicam eam ſummamque prudentiam eſſe chriſtianam ſapientiam, quæ docet ædificare auro, argento, pretioſiſque lapidibus turrim euangelicam à fundamento humilitatis altiſſimo vſque ad conſpectum Dei.

22. Cuius expertem ſapientiæ infinitum ſtultorum numerum aduertimus ſuis laboribus in ædificando imitari hirundines (à quibus domos fabricandi peritiam primùm homines accepiſſe teſtatur Vitruuius) dùm ſuper fundamento Chriſtianæ Fidei ligna (quod ait Apoſtolus) fœnum, ſtipulam, feſtucas, & argillam aquâ maceratam, ſeu cœnum (vana ſcilicet ſtudia, nulliuſque pretij opera) ſuperædificant: vel, quod peius eſt, plurimos cernimus imitari Babylonicorum Gigantum ſtultitiam, qui bitumineis, fœtidiſque cæmentis & lateribus, coctilique terræ putredine (hoc eſt impietate ſacrilega) conati ſunt minantem cœlo turrim exſtruere. At nos ex contrario ſublimitatem euangelicæ turris euehere par eſt, longè ſuperantem nubes, & ea quæ nobis conſpicua ſunt ſydera, atque pertingentem vſque ad illud cœlum cœli, in quo Deus habitat, & quod ipſe Deus eſt, ſanctáque Trinitas. *Habitas in teipſo*, inquit Auguſtinus in ſoliloquiis, *hoc eſt cœlum tuum Domine, cœlum cœlans, ſuperintelligibile, & ſuperſubſtantiale lumen, de de quo dicitur cœlum cœli: cui terra eſt omne cœlum, quia ſupermirabiliter exaltatum eſt ſupra cœlum; ad quod etiam terra eſt cœlum empyreum. Hoc eſt enim cœlum cœli Domino, quia nulli notum niſi Domino; quem neque Seraphim perfectè cognoſcunt.* Ad illud vſque cœlum ſupereſſentiale, ſcilicet Trinitatem, neceſſe eſt mentes noſtras euehat ea diuinæ participatio ſapientiæ, quam Dionyſius in eius libri, qui de myſtica Theologia eſt, exordio ab ipſa poſtulat Trinitate his iiſdem verbis, quibus & nos cum illo vti congruit: Dirige nos, ô ſupereſſentialis, & ſupra quàm diuina, & ſupra quàm bona Trinitas Theoſophiæ Chriſtianæ Præſes, ad myſticorum oraculorum faſtigium longè omnem cognitionem mentiſque lucem ſuperans: Τριὰς ὑπερούσιε, καὶ ὑπεράγαθε τῆς χριστιανῶν ἔφορε θεοσοφίας, ἴθυνον ἡμᾶς ἐπὶ τὴν τῶν μυστικῶν λογίων ὑπεράγνωστον, καὶ ὑπερφαῆ κορυφήν.

LIBER

LIBER V.

De diuinis relationibus, ſubſiſtentiis, atque notionibus.

CVM in præcedenti libro de proceſſionibus ſiue originibus diuinis, tam in actu primo, quàm in actu ſecundo, conſideratis diſputauerimus; in promptu iam ſe offert vt de relationibus (quæ nimirum vel ipſæ ratione quadam proceſſiones ſunt, vel in his fundantur) diſſeramus. Quare primò quidem earum exiſtentiam, deinde numerum, ac demùm naturam inquiremus; ſed & prætereà videndum erit, an cum relationibus, quæ diuinas perſonas conſtituunt, ſubſiſtentiæ confundantur; & vtrum abſoluta quædam ſubſiſtentia quæ non ſit ἰδιότης ὑποστατικὴ, ſed relationes antecedat, & perſonis communicetur omnibus, agnoſcenda ſit in Deo. Tandem nonnihil de notionibus addendum. Atque vt proximum clauſimus librum contemplando myſticè proceſſionem Verbi; ſic præſentem piâ Spiritus ſancti procedentis contemplatione claudemus.

CAPVT PRIMVM.

An dentur, & cuiuſmodi ſint relationes diuinæ.

1. NOn attinet hìc diſputare de relationibus prædicamentalibus, quas, vt ait Suarez *in Metaphyſica diſp.* 49. *ſect.*2. nonnulli Thomiſtæ diſtinguunt realiter ab earum fundamentis, contra ſui Præceptoris doctrinam, nullaque probabilitate. Ex illa enim ſententia ſequeretur debere vniuerſa, quæ in mundo ſunt, ſi alicubi vel vna produceretur albedo, mutari ſuſceptâ nouâ ſeu ſimilitudinis, ſeu diſſimilitudinis entitate. Sequeretur item præter alias abſurditates, debere ex ea, quæ eſſet inter lac v. g. niuemque, ſimilitudine infinitas naſci in eodem ſubiecto, aggerarique ſtruices ſimilitudinum diſtin-

ctarum item realiter. Quandoqudem, cùm nix & lac similitudinem haberent fundatam in albedine, secundam insuper similitudinem haberent in illa priori similitudine fundatam, atque tertiam in secunda itidem fundatam, sicque in infinitum. Non enim magis similitudinem habent duo extrema, quòd alba sint, quàm quòd entitatulam similitudinis ambo habeant. Nec obest quod similia hoc loco vocemus non tantùm ea, quæ eandem qualitatem; sed ea, quæ eandem quamlibet entitatem habent. Tantùm verò abest, vt illiusmodi entitates seu entitatulas relationum à suis fundamentis distinctarum admittendas existimem, vt relationes omnes prædicamentales (quas Ariaga, pluresque alij volunt esse tantùm denominationes extrinsecas) arbitrer aliud esse nihil à parte rei, & ante actualem extremorum comparationem, quæ per intellectum fiat, nisi fundamentalem comparationem seu referibilitatem; hoc est, res ipsas absolutas (putà hinc lac & inde niuem) quæ fundamentum habeant intrinsecum (nempe albedinem) vt intellectus noster ipsas actu referat inter se, vnamque ad alteram ordinet. Dixi fundamentum intrinsecum; quia si fundamentum sit extra rem quæ refertur, tunc relatio non est realis, sed rationis, quemadmodum apparet in obiecto viso, scibili, &c. Hæc enim referuntur ad oculum, intellectum, &c. per solam relationem rationis; cùm nihil in se habeant, cur actu referantur; sed totum fundamentum (putà visio, scientia, &c.) sit in iis potentiis, ad quas referuntur. Aduertere hîc potes, relationes ipsas, quæ intrinsecum habent fundamentum, etsi comparabilitates sint verè reales, ac plusquam rationis; tamen quando actu comparantur ac referuntur, non habere ex illa comparatione, seu relatione actuali, quæ in solo est formaliter intellectu, nisi denominationem extrinsecam.

2. Inter personas diuinas reperiri non tantùm transcendentales, quales mox dicemus, sed etiam prædicamentales relationes non pauci asserunt Theologi, in quibus est Ariaga *disputatione* 48. *numero* 5. & 6. Vbi notionem actionis prædicamentalis ad suum libitum in eo ponit, quòd non consistat in vno solo extremo, sed partialiter etiam ab altero desumatur; siue separabilis sit (vt accidens) ab vtroque extremo; siue non. Inde enim infert, dari in diuinis relationes prædicamentales similitudinis & dissimilitudinis inter Patrem, & Filium. Similitudinis quidem in eo quòd vterque id habeat, vt constituatur per relationem originis in talis esse personæ; dissimilitudinis verò in eo quòd vna earum relationum sit actiua, altera passiua. Mihi tamen id minùs placet. Nam cùm eæ personæ respiciant se mutuò transcendentalibus, formalibusque relationibus ante omne opus mentis, nulla videtur esse habenda ratio illius comparabilitatis, seu possibilis relationis & comparationis faciendæ per solum intellectum nostrum, neque existentis formaliter à parte rei in ipsis personis. Adde quod illa comparabilitas, seu aptitudo vt extrema referantur per intellectus nostri actum, non possit dici, nequidem fundamentaliter, relatio quæ sit prædicamentalis. De ratione enim relationis prædicamentalis est, vt sit accidens quod possit adesse & abesse. At prædicta comparabilitas coniuncta est inseparabiliter

rabiliter

rabiliter cum intrinseca ratione diuinarum personarum, & transcendentalium relationum, quæ ipsas personas constituunt.

3. Dicendum itaque est, non alias considerari debere in diuinis relationes, nisi transcendentales; eas nimirum, per quas non modò fundamentaliter, sed verè formaliter, & actu personæ se mutuò respiciunt. Nec verò diuina generatio eodem modo se habet, quo generatio, quæ est inter creaturas, in quibus pater, postquam actualiter genuit, & non influit ampliùs quicquam in filium, seruat denominationem patris sumptam ex generatione præterita, nec perseuerante; quæ denominatio, si propriè velimus, rigidéque loqui, non potest esse nisi extrinseca. At in diuinis paternitas est denominatio planè intrinseca, perseuerante scilicet actuali semper generatione. Quare non videtur audiendus Cuniga, qui *disput.3. dub.2.* ait relationes diuinas ex aliqua sui parte esse prædicamentales, quatenus vltra respectum transcendentalem actualis generationís, in Deo, æquè ac in creaturis est respectus alius posterior, nempe paternitas & filiatio. Dico enim, respectum huiusmodi posteriorem nullatenus hîc esse considerandum, vtpote planè superfluum, tota ratione paternitatis & filiationis sufficienter consistente in actuali generatione & natiuitate, quæ semper præsens est, atque perseuerat. Non verò præsentis disputationis interest, vtrum Deus præter notionales relationes habeat quasdam alias transcendentales, quibus ipsas etiam respiciat creaturas, quatenus earum est intellectio, amor & potentia productiua. Id enim in vtramque partem alibi disputatur, Deumque non vt trinum, sed vt vnum spectat.

4. Porrò in Trinitate relationes dari personales indubitatum esse debet, idque docuit, & explicuit Diuus Thomas per totam quæst. 28. imò *quæst.8. de potentia*, dixit esse de fide. Quod probari potest ex Scriptura personis diuinis ea nomina tribuente, quæ relationes significent, cùm eas nominat Patrem, Filium. Eas autem voces nihil nisi relatiuum & σχετικόν τι sonare constat. Vnde Concilium Toletanum vndecimum in confessione Fidei: *Hæc Trinitas*, inquit, *quæ vnus est Deus, quæ neque recedit à numero, neque capitur numero; in relatione enim personarum cernitur numerus.* Patris, Filiique nomina relationibus constare intelligitur ex Florentino, quod ait, *omnia quæ Patris sunt, ipsum Patrem vnigenito Filio suo gignendo dedisse, præter esse patrem.* In cuius Concilij sessione 18. Ioannes Theologus dixit: *Essentia personis communicatur, at proprietates nullo modo communicant: atque hoc ex vi relationis oritur.* Accedunt & sancti Patres: *Credamus* (ait Augustinus *lib.9. de Trinitate, c.1.*) *Patrem, Filium, & Spiritum sanctum vnum esse Deum, & Trinitatem adinuicem relatarum personarum.* Libro autem septimo hæc habet, quibus ea distinguit, quæ absoluta, & quæ relatiua in Deo sunt. *Non eò verbum, quò sapientia; quia verbum non ad se dicitur, sed tantùm relatiuè ad eum cuius verbum est, sicut filius ad patrem: Sapientia verò eo quo essentia; & ideò quia vna essentia, vna sapientia: quoniam vero & verbum sapientia est; sed non eo verbum, quo sapientia. Verbum enim relatiuè, sapientiâ verò essentialiter intelligitur*, &c. Idem docet Ambrosius

ſius *libro de fide ad Gratianum, cap.* 1. Hieronymus *in expoſitione Symboli ad Damaſum*, Boëtius *libro de Trinitate, ſub finem*; vbi ait loquens de Deo: *Subſtantia præbet vnitatem, relatio multiplicat Trinitatem.* Addendum & Fulgentij teſtimonium ex libro de Trinitate, quia eſt valde expreſſum: *Pater non ſibi eſt*, inquit, *ſed Filio; Filius non ſibi eſt, ſed Patri; Spiritus alicuius eſt aſpirantis. Ergo ad Patrem, Filiumque refertur. Iſta itaque relatiua Trinitatem faciunt.* Non minùs in eamdem ſententiam disertè Anſelmus in libro de proceſſione Spiritus ſancti, cùm ait rem in Trinitate ſic oportere contemperari, *vt nec pluralitas, quæ ſequitur relationem, tranſeat ad ea, in quibus ſonat ſimplicitas vnitatis; quatenus nec vnitas amittitur, vbi non obuiat aliqua relationis oppoſitio: nec relatio perdat quod ſuum eſt, niſi vbi obſiſtit vnitas inſeparabilis.*

5. Idem & Patres Græci tradiderunt, quos antequam producamus, aduertere iuuat allucinationem quandam Zachariæ Mitylenæi, negantis poſſe in Deo locum habere relationem, vtpote ſolis corporatis rebus conuenientem. Indéque argumentum ſumit, quò non extiterit mundus ab æterno; quia ſequeretur Deum habuiſſe æternam relationem ad mundum. Supponit enim hic Author, neceſſarium eſſe, vt omnia quæ ſimultanea ſunt, relationem habeant ad inuicem: τὸ γὰρ ἅμα, πρός τι· τὰ δὲ πρός τι, τῇ σωματικῇ συνέζευκται φύσει· ὁ δὲ Θεὸς ἀσώματόν τι χρῆμα· οὐκ ἄρα ἅμα Θεὸς, ἅμα κόσμος. Hæc κομψοτέρου, & politi alioquin Scriptoris abſurdiſſima eſt, nec vllius digna vel patrocinio, vel refutatione ſententia. Illi qui Græcos inter Patres de Trinitate diſputarunt, relationem (quam σχέσιν vocant) aſſerunt inter diuinas reperiri perſonas; illamque fundamentum eſſe realis inter eas diſtinctionis. Et in prima quidem perſona id quod ipſam & conſtituit, & diſtinguit appellant πατρότητα, quam nos paternitatem; in altera verò υἱότητα, quam nos filiationem; in tertia denique προβολὴν καὶ ἐκπόρευσιν, quod idem eſt ac apud nos proceſſio; quæ ſunt relatiuæ proprietates, ſiue, vt illi dicunt, σχετικαὶ ἰδιότητες. Eaſque Baſilius nominat, *ſeparatas cuiuſque perſonæ notas*, ἀφωρισμένους περὶ ἕκαστον χαρακτῆρας. *Secundùm quas relatiuas proprietates*, inquit Nazianzenus oratione 29. *oportet vt Patrem & Filium & Spiritum ſanctum diſtinguamus, quemadmodum eſſentiâ confundimus* χωρίζοντες ἰδιότητας ἑνοῦντες τὴν θεότητα. Vt Græcos alios omittamus, disertè Nyſſenus affirmat, perſonarum diuinarum nominibus ſignificari aliquid relatiuum. *Nam cùm Patrem nominari audimus* (inquit) *nomen iſtud non in ſe, & abſolutè intelligitur, ſed relationem ad Filium declarat. Nec enim ſeparatim Pater comprehendi animo poteſt, nec niſi Filius in ipſa Patris appellatione iungatur. Quare dum Patrem dici audimus, eadem voce fidem etiam in Filium edocemur.* ὅταν ἀκούωμεν πατέρα, τὸ ὄνομα τοῦτο οὐκ ἀφ᾽ ἑαυτοῦ νοεῖται· ἀλλὰ τὴν πρὸς τὸν υἱὸν σχέσιν ἀποσημαίνει.

6. Denique dari relationes originis in Deo, præter authoritates, cùm Scripturæ, tùm Patrum hactenus allatas, probare poteſt conſideratio nominis ὁμοούσιος; quod illis applicari non poteſt, inter quos non eſt relatio originis. Nam duos fratres nemo dixerit ὁμοουσίους, cùm inter illos ratio non ſit αἰτίου καὶ αἰτιατοῦ, hoc eſt principij & principiati,

piati, vt habet Basilius epistola 300. οὐ γὰρ τὰ ἀδελφὰ ὁμοούσια ἀλλήλοις λέγεται: ἀλλ' ὅταν τὸ αἴτιον, καὶ τὸ ἐκ τοῦ αἰτίου τὴν ὕπαρξιν ἔχον, τῆς αὐτῆς ὑπάρχῃ φύσεως, ὁμοούσια λέγεται. Et Cyrillus Alexandrinus in homilia contra Sabellianos, & Arium: οὐ γὰρ ἀδελφὰ λέγομεν ὁμοούσια· ἀλλὰ πατέρα καὶ υἱὸν· τὸ δὲ τῆς οὐσίας ταυτὸν, ἐπειδὴ ἐκ τοῦ πατρὸς ὁ υἱός. Idem Cyrillus *dialogo* 1. *de Trinitate*, Filium esse ait ὁμοούσιον Patri, quia ab ipso substantialiter processit: ὁμοούσιος εἴπερ ἐστὶν ὁ υἱὸς τῷ πατρὶ, ἐξ αὐτοῦ οὐσιωδῶς ἐστιν. Aduertendum hîc est, quòd quamvis Pater, & Filius, quatenus eandem habent substantiam, vnum sint, nec opponantur, neque eatenus Filius à Patre producatur; tamen consubstantialitatis propria, restrictaque in Trinitate notio connotat, ac requirit adiunctam esse productionem filiationis communicationi naturæ; atque τὸ ὁμοούσιον directè significat communicationem substantiæ non aliam, quàm eam quæ fiat à principio communicante per productionem subsistentiæ, seu filiationis. Quare falsum est absolutè, Patrem, & Filium, quia consubstantiales sunt, non esse nisi vnum. Nam in vnitate sola non potest dici consubstantialitas; nemo enim sibi ipsi consubstantialis est. In nomine itaque consubstantialitatis duplex includitur notio; & identitatis substantiæ communicatæ, & diuersitatis subsistentiæ productæ. Consubstantialitas enim sonat simultaneitatem substantiæ; simultaneitas autem non est sine pluralitate. Ex dictis constat; in quo gradu certum sit, in Deo relationes esse; & quàm iure dici à quibusdam potuerit, fidei potiùs id esse, quàm opinionis. Vnde meritò reprehenditur Scotus, cùm voluit *dist.* 26. *quæst.* 1. personas constitui, & distingui non relationibus, sed proprietatibus absolutis. Constabit enim inferiùs, relationes & constituere, & distinguere personas. Vnde manifestum est, illas habere reale esse.

7. At cùm in qualibet relatione duo cogitatione distinguamus, nimirum esse *in*; quatenus est quædam velut forma; & esse *ad*, quatenus refert subiectum suum ad aliquem terminum; Caietanus, & Canariensis asseruerunt, nullam relationem esse quid reale secundùm rationem *ad*, sed dumtaxat secundùm rationem *in*. Vnde fit, relationes diuinas non esse reales secundùm id omne quod includunt, & quatenus tendunt ad terminum; videntur enim eatenus quasi exire à suo subiecto, nec posse extra illud seruare suam entitatiuam realitatem, sed tantùm per mentem nostram, quæ illas cogitatione velut deducat ad terminum. Nihilominus asserendum est, non posse præscindi rationem essendi *ad*, à ratione essendi *in*. Ergo si ratio essendi *in*, conceditur esse aliquid reale, negari non potest, quin ratio essendi *ad*, realitatem participet. Confirmatur. Nam concipi nequit ratio *ad*, nisi existens alicuius subiecti tendentis per illam ad terminum. Non enim concipi potest tendentia vt abstrahens ab ea re quam faciat tendere. Concipitur ergo vt aliquam rem afficiens, & in ea tanquam in subiecto existens, eamque velut deferens ac deducens ad terminum. Quare audita ratione *ad*, non potest non apprehendi ratio *in*, tanquam intrinsecum significatum illius ipsius vocis. Nec dici potest, id quod ita concipitur, non esse verè à parte rei; aut relationem transcendentalem, putà genera-

 tionem

tionem, quæ est in Patre velut in subiecto, non ita ordinari ad Filium, cuius est realiter generatio; sicut visio, quæ subiectatur in oculo, ordinatur ad parietem, cuius est realiter visio: ita vt ratio essendi *ad*, immersa sit in totam seu generationis, seu visionis entitatem, & ad omnem eius modum. Prætereà considerandum est specialiter in relationibus diuinis non tantùm rationem essendi *in*, quæ in illis nihil est aliud, quàm esse subsistens; sed etiam rationem essendi *ad*, includi intrinsecè in veritate & realitate mysterij Trinitatis. Ea enim est quæ distinguit, multiplicatque personas, & eas facit opponi. At certum est ad istud mysterium nihil intrinsecè pertinere, quod non sit reale.

CAPVT II.

Quot sint diuinæ relationes.

1. Dicendum est relationes in Trinitate esse omninò quatuor. Quod sic ostenditur. Nam primò de his tribus, paternitate, filiatione, & spiratione passiua nullum dubium esse potest, quin existant; cùm enim tres personæ per illas oppositionem, & distinctionem inter se habeant, necessarium est quamlibet personam habere in se vnam relationum prædictarum, quâ alias personas respiciat, & ab iis per oppositionem distinguatur. Prætereà ostendemus infrà illis tribus relationibus tres personas constitui, Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Secundò assero tribus illis relationibus quartam addendam esse, spirationem actiuam (siue hoc nomine significetur vis spirandi in actu primo, sicut nos in hoc tractatu sæpe sumimus; siue significetur spirandi actus secundus, productioque Spiritus sancti:) etenim quamvis de hac quarta relatione non videatur tanta esse, ac de præcedentibus, certitudo; quia non distinguit, neque constituit quartam personam; & illam aliqui censuerunt, vel non veram ac realem relationem esse, vel cum paternitate, filiationeque ita confundendam esse, vt non sit quarto loco numeranda; deducitur tamen ex principiis fidei peculiarem esse relationem realem, quâ Pater, & Filius Spiritum sanctum tanquam terminum à se productum respiciunt, & quæ relatio non potest esse nec paternitas, nec filiatio. Hæcque est communis Theologorum sententia contra Gregorium *in* 1. *dist.* 26. Quæ sententia

2. Probatur. Nam licèt non omnes putent esse necessarium, vt quotiescumque interuenit vera origo, seu productio, principium productiuum referatur per veram, & realem relationem ad terminum productum; & ideò ex multorum doctrina, qui actionem ponunt in termino, nequaquam detur relatio causæ ad terminum, sed solùm termini ad causam; quemadmodum vulgò negatur, dum creatura ad Creatorem refertur, esse in ipso Creatore aliam relationem quæ sit plusquam rationis ad creaturam. Atque eodem modo sibi persuadere quis posset, vnam solam sufficere inter Spiratorem, & Spiritum sanctum relationem realem, nempe spirationem passiuam, per quam Spiritus sanctus respiciat Spiratorem; ita vt in ipso Spiratore non alia sit relatio, quàm rationis. Nihilominus primò inficior inter creaturas causalitatem, seu actionem vllam transeuntem ponendam esse in termino. Prætereà dico.

dico, etſi fieri poſſet, vt producto aliquo termino realiter diſtincto, qui ſit inferioris cuiuſdam ordinis, & naturæ, ſolus ipſe terminus referretur ad principium, ita vt viciſſim principium relationem ad terminum non haberet; quomodo concipi poteſt creatura ſic referri ad Creatorem, vt hic ad illam realiter non referatur. Tamen quando productum, & producens ſunt eiuſdem ordinis & naturæ, aſſerendum eſt reperiri ſemper mutuam inter vtramque relationem. Ergo cùm Spirator, & Spiritus ſanctus eiuſdem ſint ordinis & naturæ, fieri non poteſt, quin tam benè Spirator ad Spiritum, quàm Spiritus ad Spiratorem referatur. Cùm enim Pater, & Filius ſe inuicem reſpiciant, & ipſe Spiritus ad Patrem etiam Filiumque referatur; non poteſt Spiritus relinqui ſine reſpectu Patris & Filij ad ipſum, perinde ac ſi eſſet extraneus, nec dignus qui, dum realiter Spiratorem ipſe reſpiceret, à Spiratore viciſſim realiter reſpiceretur. Adde quod ad perfectam etiam connexionem illarum perſonarum ſpectat hic mutuus reſpectus. Addendum etiam eſt, quòd certum ſit, facultatem ſpiratiuam (quicquid foret de ſpiratione ſeu actione facultatis ipſius ſpiratiuæ) eſſe in ſolo Spiratore, eamque eſſe relatiuam tranſcendentaliter. Quod faciliùs intelligeretur, ſi verum eſſet, quod aliqui volunt, ipſam vim ſpirandi ſic neceſſitari naturaliter ad operandum, vt per ſeipſam ſit producens abſque actione formaliter diſtincta. Et quamvis daretur actio ſpirandi poſita in ſolo eius termino (hoc eſt in Spiritu ſancto) tamen adhuc foret in vi ipſa & principio ſpirandi relatio, cùm ad actionem ſpirandi, tum ad Spiritum ſanctum. Nec obeſt quod ſpiratio actualis, ſeu productio Spiritus ſancti cenſeri debeat actio immanens; ſic enim eſt immanens, vt habeat terminum à Spiratore diſtinctum realiter.

3. Denique res clara eſt in noſtra doctrina, ſecundùm quam principium formale, ſeu potentia immediata productionum diuinarum non eſt eſſent i diuina, id eſt intellectus, & voluntas; ſed eſt in patre, & in Spiratore aliquid, quod non ſit commune perſonis omnibus. Illud autem non poteſt aliud eſſe, quàm relatio. Nam præter relationem alia omnia ſunt communia perſonis omnibus. Atque huic affine eſt, quòd potentiæ & origines actiuæ conſtituant relationes perſonarum producentium; vt benè argumentatur Durandus *in 1. diſt. 13. quæſt. 2.* Ex hac autem doctrina ſic argumentor. Potentiæ perſonarum, & origines actiuæ ſunt aliquid reale & pluſquàm rationis: ſed potentiæ illæ & origines ſunt relatio Patris & relatio Spiratoris: ergo ambæ relationes Patris ad Filium, & Spiratoris ad Spiritum ſunt aliquid reale, & pluſquàm rationis.

4. Obiici primò poteſt in contrarium, aliquos Patres aſſerere Spiritus ſancti relationem ad Patrem & Filium non eſſe reciprocam; quia licèt ipſe ſit Patris & Filij, non tamen eius conuerſim eſt Pater & Filius. Sic Gregorius Nyſſenus *homilia 3. in Orationem Dominicam*, ait inter Filium & Spiritum ſanctum non eſſe ἀντίστροφον τὴν σχετικὴν ἀκολουθίαν, hoc eſt, non valere relationis, quæ vice verſa, reciprocèque fiat, conſequentiam. Et Concilium Toletanum in confeſſione fidei, cùm dicit Patrem referri ad Filium, facit ſemper conuerſionem, addens Filium viciſſim

cissim referri ad Patrem; cùm autem dicit Spiritum sanctum ad Patrem, Filiumque referri, nunquam similem conuersionem facit rationis mutuæ ad Spiritum sanctum. Vnde & Concilium Lateranense *in cap. Damnamus*, omnem numerum realem, præter ternarium, excludit: non ergo agnoscit quartam relationem. Et sanè si hanc vel Patres, vel Concilia agnouissent, significassent ipsam aliquando, & ab aliis tribus personarum constitutiuis distinxissent, quod numquam fecerunt. Respondeo verum esse, quod Pater & Filius, prout sub illis præcisè nominibus Patris & Filij sumuntur, referuntur ad se inuicem reciprocè, non autem ad Spiritum sanctum. Nam vt Pater est verè Filij Pater, ita Filius est Patris Filius. At verò Pater non est Pater Spiritus sancti, nec Filius est Spiritus sancti Filius, quamquam Spiritus sanctus sit Patris & Filij Spiritus sanctus. Iure igitur dici potest, relationem, quæ est inter Spiritum sanctum & Patrem & Filium, reciprocam non esse, nec in ea conuersionem fieri posse. Nihilominus si Patrem & Filium non sub iis præcisè nominibus, sed sub nomine Spiratoris, inter antiquos minùs vsitato, vsurpemus, erit haud dubiè relatio reciproca. Nam vt Spiritus sanctus est spiratoris Spiritus, sic Spirator est Spiritus sancti Spirator. Quare Nazianzenus *oratione* 37. dum explicat cur Spiritus sanctus non sit Filius, agnoscit inter Filium & Spiritum sanctum τὴν πρὸς ἄλληλα σχέσιν. Concilium porrò Lateranense excludit solùm numerum eum qui extra ternarium sit realis, seu cum distinctione reali: quæ exclusio non pertinet ad spirationem actiuam, vtpote realiter identificatam cum essentia, paternitate, atque filiatione.

5. Obiicitur 2. Si spiratio actiua comparatur ad paternitatem, filiationem, & spirationem passiuam velut quædam quarta relatio: ergo ad easdem debebit comparari velut quarta res, atque adeò velut distincta realiter. Et ita in Trinitate erit realis quaternitas; quod est contra fidem. Probatur prima consequentia. Nam quælibet relatio realis est verè aliqua res: ergo eo modo, quo erunt quatuor reales relationes, fatendum est esse quatuor res; multiplicato enim inferiori, necessarium est multiplicari superius, præsertim transcendentale. Propter vim huius obiectionis Durandus *in* 1. *dist*. 13. *quæst*. 2. fultus rationibus inferiùs afferendis *num*. 9. censuit spirationem actiuam distingui realiter à tribus aliis relationibus, atque ita esse quatuor realitates relatiuas in Trinitate. Malè. Nam sic ponit in Deo quaternitatem loco Trinitatis. Deinde si vera esset eius sententia, foret compositio inter spirationem actiuam, & paternitatem, filiationemque. Quod si non esset compositio, sequeretur spirationem per seipsam, & vt seiunctam à paternitate & filiatione, atque identificatam cum essentia facere quartam personam, ex qua Spiritus sanctus procederet; sicque non esset à Patre Filioque. De hac Durandi sententia fusiùs agetur capite sequenti, *n*. 26.

6. Ex contrario Gregorius *in* 1. *dist*. 17. *quæst*. 1. & Gabriel *dist*. 26. *quæst*. 1. tenuerunt vi eiusdem prædictæ obiectionis, spirationem actiuam non esse relationem distinctam à paternitate & filiatione; atque ita negarunt esse in diuinis plusquam tres relationes: non quasi ipsa spiratio

tio actiua non ſit relatio realis; ſed quia licèt ſint tres relationes incommunicabiles, & vna communicabilis, hæc non eſt ab aliis diſtincta in re. Quomodo ex tribus, nec ampliùs, exſurgunt duo binarij relationum oppoſitarum, & realiter diſtinctarum. Combinantur enim ex vna parte ſpiratio actiua & ſpiratio paſſiua, quaſi duæ realiter diſtinctæ; ex alia verò paternitas & filiatio, quaſi duæ item realiter diſtinctæ. Sed prima relatio primi binarij non facit numerum comparata cum ſecundo binario. Quo ex philoſophandi modo dicendum eſt, vnam relationem diuinam propter ſuam eminentiam, quâ non ſpecificatur à termino, poſſe referri ad plures terminos quantumvis inter ſe diſtinctos, & formaliter diuiſos. Sic paternitas, quæ reſpicit Filium, poteſt ſimul, quatenus eſt ſpiratio, reſpicere Spiritum ſanctum; quod item poteſt filiatio, quæ reſpicit Patrem. Eam ſententiam Suares putat non eſſe improbabilem.

7. Longè tamen melius eſt, ſi cum eodem Suare, Diuo Thoma, Scoto, & aliis communiter Theologis aſſeramus eſſe in Deo quatuor reales, diſtinctaſque relationes; nec inde ſequi quod inferebat obiectio. Non enim valet conſequentia: Sunt quatuor reales relationes diſtinctæ, quarum quælibet eſt aliqua res: ergo ſunt quatuor res diſtinctæ. Notandumque eſt, in relationibus eſſe peculiarem rationem, cur eæ poſſint ſub proprio nomine relationum multiplicari potiùs quàm ſub nomine rerum. Nam quando non interuenit diſtinctio vera, & realis inter entitates ipſas relationum, non concipimus, nec dicimus eſſe in ipſis relationibus multas, diſtinctaſque res; quia hoc nomen *Res*, entitatem propriè & formaliter ſecundùm ſe ſignificat. Vnde & eius ſolius diſtinctionem ſequitur. Tamen nulla interueniente tali diſtinctione entitatum poſſumus, ac ſolemus concipere & dicere, eſſe multas relationes, ſi interueniat diſtinctio terminorum; qui quaſi diſtincti ac diſparati, nec ſubordinati reſpiciantur. Cùm enim totum eſſe relationis ſit eſſe ad terminum, non eſt mirum, ſi multiplicationem termini relationis numerus ſequatur. Vnde cùm dicimus eſſe plures relationes, perinde eſt, ac ſi diceremus, reſpicere plures terminos. Sic nominantur ſimpliciter plures ideæ, plures in Patre productiones ad intra, plures in Deo creationes ad extra. Stet ergo, paternitatem & ſpirationem, ſiue filiationem & ſpirationem duas meritò dici poſſe relationes, ſed non duas res, verùm vnam ſolùm rem relatiuam, quæ duplicem reſpectum ad terminos realiter diſtinctos complectatur ſimpliciſſimè; atque in Trinitate quatuor numerandas eſſe relationes, nec tamen propterea quaternitatem rerum introduci. Cùm igitur non ſint in Deo quatuor (vt Durandus volebat) realiter diſtinctæ relationes, apparet paternitatem & filiationem eſſe vnam rem, non tantùm abſolutam, quæ eſt eſſentia; ſed etiam vnam rem relatiuam, quæ eſt ſpiratio actiua.

8. Ad id quod in probatione addebatur, multiplicato inferiori debere multiplicari ſuperius, atque adeò ſi ſunt plures relationes reales, debere eſſe plures res; dico, quando multiplicatio, ſeu numeratio in inferiori & ſuperiori non fit ſecundùm idem, nec eodem modo, tunc fieri poſſe vt multiplicetur inferius, & non multiplicetur ſuperius, quemadmodum in

præsenti accidit. Nam in inferiori, nempe in relatione, fit multiplicatio solùm ratione terminorum; at verò in superiori, nempe in rei conceptu transcendentali non potest fieri multiplicatio (ita vt asseratur esse plures res) quin fiat secundùm esse, aut proprias entitates.

9. Vrgebis fundamento, rationeque Durandi. Si spiratio actiua est eadem res cum paternitate & filiatione: ergo paternitas, & filiatio non minùs identificantur in ipsa spiratione actiua, quàm identificentur in essentia: ergo quemadmodum dicere possumus: Paternitas & filiatio sunt vna essentia; ita dicere poterimus: Paternitas & filiatio sunt vna spiratio, siue vna relatio ad Spiritum sanctum. Id autem non videtur admittendum. Nam sic dicere possemus: Duæ relationes sunt vna relatio. Respondeo. Nullum est inconueniens, quòd duæ, quæ sunt sibi oppositæ, mutuæque inter Patrem & Filium relationes, sint non quidem formaliter, sed materialiter & identicè vna tertia ad Spiritum sanctum relatio. Nec minùs fieri potest, vt relatio Spirationis sit communicabilis, & cum duabus identificabilis relationibus, seu proprietatibus duarum personarum, quàm essentia absoluta. Notandum verò propositiones illas negandas esse, quibus videtur tolli distinctio formalis relationum; seu in quibus relationes significarentur identificari intra ipsum genus & rationem relationis. Quales sunt istæ in sensu simplici; Paternitas & filiatio est spiratio; Generatio est spiratio; Potentia generandi est potentia spirandi. Contra hanc Durandi sententiam vide item proximum caput tertium, *num. 26. & sequentibus.*

10. Denique contra numerum quaternarium relationum obiici etiam potest, quod videatur plures admittendas esse in Trinitate relationes, quàm prædictas quatuor. Nam primò manendo in consideratione relationum, quæ in actione seu origine fundantur; quare dici non posset, paternitatem, & filiationem distinctás realiter, habere quamlibet sibi annexum respectum ad Spiritum sanctum, ita vt relatio Spiratoris sit duplex realiter distincta? quo modo numerabuntur quinque reales. Deinde videtur esse in Patre non tantùm relatio Patris ad Filium, sed etiam relatio dicentis ad Verbum; & reciprocè in Filio non solùm relatio Filij ad Patrem, sed etiam Verbi dicti ad dicentem. Est & in Filio ad Patrem relatio imaginis. Secundò, transeundo ad alia relationum genera, quæ non fundantur in actione seu origine, sunt inter personas diuinas relationes identitatis, similitudinis, æqualitatis, diuersitatis, seu distinctionis. Respondeo ad primum. In diuinis ex doctrina orthodoxa omnia sunt vnũ, quæ non sibi opponuntur. Ergo cùm respectus, quo Pater refertur ad Spiritum sanctum, non opponatur respectui, quo item Filius refertur ad Spiritum sanctum (nec enim illi, qui duo finguntur respectus, paternus & filialis, ad se mutuò tendunt, vt constat, cùm toti tendant ad Spiritum;) dici debet non esse nisi vnum simplicem respectum Spiritus sancti in Patre & Filio. Deinde relatio Spiratoris aliud nihil est, quàm tùm potentia spiratiua, tùm actualis spiratio: atqui Florentinum definit Patrem & Filium spirare vt vnicum principium, & vnica spiratione: denique ex eodem Florentino Pater dedit Filio omnia,

quæ

quæ vltra paternitatem habet: sed vltra paternitatem habet spirationem actiuam: ergo dedit hanc Filio, qui per consequens habet eandem, quam Pater habet, & non aliam, cùm aliam non acceperit. Quod attinet ad relationem Verbi, dicemus suo loco illam esse eandem cum relatione Filij, & in generatione præcisè consistere, licèt diuersis conceptibus, & vocibus à nobis exprimatur, propter diuersos respectus rationis, & conuenientiæ ad res creatas. Quod ad imaginem, dico eam duo importare, similitudinem, & originem. Quatenus importat similitudinem, non est relatio realis, vt intelligetur ex iis, quæ mox subiungo: quatenus dicit originem; non distinguitur à filiatione.

11. Ad secundum respondeo, nullas esse in Deo relationes reales ad intra, si discedas ab iis, quæ fundantur in origine, hoc est, quæ creatis comparatæ correspondent relationibus fundatis in actione, & passione. Quare non sunt reales in Deo relationes identitatis, similitudinis, æqualitatis; non enim eæ aliud sunt, quàm relatio identitatis in essentia, seu consubstantialitatis, quam constat esse tantùm rationis, cùm in extremis non interueniat sufficiens distinctio respectu fundamenti, hoc est, essentiæ. Relatio autem diuersitatis, & distinctionis inter personas, vel eadem est cum relatione oppositionis, atque ita identificatur cum relatione originis; vel solùm dicit identitatis negationem; & eatenus non potest esse relatio plusquam rationis.

CAPVT III.

Explicatur natura relationum diuinarum.

1. DVbitari potest primò, vtrum relationes diuinæ secundùm proprias suas rationes præcisè aliud nihil habeant, quàm referri, seu quàm quod terminum respiciant; an verò prætereà quamdam perfectionem, rationemque existendi habeant, quæ subsit respectui, & quæ intrinsecè referatur *vt quod*, non autem solùm *vt quo*. Aliqui enim putant, illas aliud nihil habere, quàm præcisum ipsum referri intransitiuè, seu tendere ad terminum: quare nullam ex se perfectionem, aut entitatem referre. Sed clarum est, quod eodem modo, quo iam suprà diximus, rationem essendi *ad*, in relationibus, quæ sunt in subiecto, non posse præscindi à ratione essendi *in*; ita impossibile est, vt in relationibus diuinis ipsa ratio essendi *ad*, concipiatur in se velut realiter subsistens, absque eo quod vllam habeat aliam rationem, cui immergatur, aut cui tanquam subiecto innitatur, & quam denominet, faciatque verè relatiuam. Et sanè quemadmodum nemo dicat, posse dari visionem ita in se reflexam, vt nullam aliam rationem habeat, quàm visionem sui; hoc est, vt nullius sit alius obiecti visio in priori quàm ad seipsam reflectatur; siue vt non habeat entitatem, seu realitatem quæ non tantùm *vt quo*, sed etiam *vt quod*, referatur transcendentaliter: simili modo nemo intelligere possit id relatiuum, quod in Filio, aut Spiritu

ritu sancto producitur, nihil aliud esse, quàm merum produci; sic vt nulla alia sit realitas, quæ producatur præter productionem ipsam passiuam, siue relationem fundatam in productione passiua. Atque idem est cum proportione de Patre, & Spiratore. Impossibile enim est, vt Pater & Spirator non habeat aliam essendi rationem propriam, & incommunicabilem, quàm vel præcisum exercitium producendi, vel præcisam relationem talis exercitij.

2. Dicendum igitur, relationes, seu proprietates personales, provt distinctas ab essentia diuina, habere præter merum referri, rationem quandam entis, quæ referatur ipsa, & sit transcendentaliter relatiua. Ea verò ratio relatiua, in Patre quidem, & in Spiratore est potentia productiua, seu fœcunditas, aut principium fœcundum, ex quo oritur actus secundus, seu actualis productio: vel etiam ipsius entitas generationis relata *vt quod* transcendentaliter, & *vt quo* per semetipsam. In Filio autem, quà producto, & in Spiritu sancto est entitas quædam ipsis propria, quæ sit terminus processionis, & in qua, provt actualiter terminante processionem, duæ personæ procedentes subsistant; quemadmodum & Pater subsistit in sua fœcunditate provt actualiter generante. Quod autem cùm fœcunditas in Patre & Spiratore, tùm processionis terminus in Spiritu sancto & Filio pertineant ad rationem intrinsecam diuinarum relationum, patet: nam alioquin deberet esse quid commune omnibus personis; omnia enim in Trinitate communia sunt præter relationes. Vnde ipse Suarez, licèt velit diuinam essentiam, & non relationes esse formale principium, ac immediatam potentiam, ex qua productiones personarum emanant; cogitur tamen fateri relationes aliquas debere concipi vt existentes priùs ratione, quàm actiones generandi & spirandi; ita vt se teneant ex parte actus primi, & potentiæ productiuæ, tanquam conditiones. Sed meliùs illi, qui relationes ipsas volunt provt in actu primo esse plusquam conditiones, & asserunt esse potentiam ipsam productiuam, siue partialem, vt Valentia, & Cuniga; siue, vt nos, totalem, & adæquatam. Quamvis cum potentia productiua totali ad relationem etiam deinde pertineat ipsa in actu secundo productio, & originatio, seu prædictæ potentiæ exercitium: hoc enim totum est transcendentaliter ad aliud.

3. Ex dictis vides relationes diuinas non esse, vt multi opinantur, aliquid tantùm consequens originationem personarum, cùm actiuam, tùm passiuam; nec debere dici prædicamentales (vt Cuniga & nonnulli alij volunt) sed verè transcendentales. Clarum enim est, potentiam & actum secundum potentiæ transcendentaliter referri ad terminum productum, quemadmodum etiam tùm ipsa productio passiua, tum productus terminus, (cùm hic ex sua ratione intrinseca & velut essentialiter petat produci, nec possit existere nisi per productionem) refertur transcendentaliter ad suum principium productiuum. Hoc enim totum, nempe terminus productus, & simul huius passiua productio, est ad aliud non minùs quàm creatura transcendentaliter respicit Creatorem, vtpote essentialiter dependens. Relationes ita explicatæ, vt earum natura plenè intelligatur, comparari iam à nobis debent cum suis

suis terminis, & cum essentia atque inter se inuicem.

Quos diuinæ relationes terminos respiciant.

4. Dubitatur igitur secundò, quosnam terminos habeant relationes illæ, quas superiori capite probauimus esse omninò quatuor? Respondeo. Illos habent terminos, qui sint relatiui, seu qui sint relationes eis oppositæ; hoc est, paternitas respicit filiationem; filiatio paternitatem; spiratio actiua spirationem passiuam, & passiua actiuam. Probatur responsum. Nam est de ratione relationis realis, vt habeat terminum realiter à se distinctum, cùm nihil ad seipsum realiter referri possit. Atque hinc fit, vt licèt controuersia sit de relationibus creatis (præsertim prædicamentalibus) an terminentur formaliter, & præcisè ad absolutum, an verò ad correlatiuum, quatenus tale, siue ad relationem oppositam; atque multorum sit opinio, Sophroniscum patrem, verbi causâ, non referri ad filiationem, quæ est in Socrate, sed ad ipsum Socratem absolutè sumptum, seu ad eam humanam entitatem, quæ subiacet filiationi: nihilominus dicendum simpliciter est, relationes quæ sunt intra Deum, non posse habere terminum absolutum, sed terminari præcisè ad respectiuum, & ad sibi correlatum, quia tale. Nam omne, quod in Deo absolutum est, identificatur cum omnibus quatuor relationibus. Cùm igitur à relatione qualibet diuina nihil distinguatur realiter, nisi relatio illi opposita; hinc fit, vt terminus cuiusque diuinæ relationis (quem est certum ab ea distingui) sit ipsa relatio opposita. Nec vllâ in hoc esse potest difficultas, nisi quoad eum terminum, siue quoad eam relationem, quæ formaliter & immediatè respicitur à spiratione passiua.

5. Suarez enim (vt refert Cuniga *disp.3. dub.20.*) vult illum terminum non esse spirationem actiuam, seu relationem, quâ Pater, & Filius respiciunt Spiritum sanctum formaliter, & immediatè; sed potiùs esse paternitatem, & filiationem; per quas scilicet ille existimat voluntatem determinari, vt spiratiua sit, & fœcunda. Cùm enim relatio personæ productæ debeat respicere formaliter principium suum productiuum, siue eam proprietatem, quæ confert ad constitutionem principij productiui; hinc fit, vt quemadmodum filiatio respicit paternitatem, quatenùs per eam intellectus determinantur vt sit fœcundus; ita spiratio passiua respiciat paternitatem simul & filiationem, quatenus per eas voluntas determinatur ad spirandum. Confirmatur. Nam quemadmodum Spiratio actiua respicit in Spiritu sancto terminum verè productum, qui est ipsa relatio spirati; sic oportet, vt spiratio passiua respiciat in Spiratore rationem principij productiui, quod non est ipsa relatio Spiratoris, sed eam antecedit. Hæc est sententia Suaris, qui supponit potentiam spiratiuam non consistere in relatione spiratoris, sed in voluntate formaliter; & in paternitate ac filiatione tanquam in conditionibus determinantibus ipsam voluntatem ad spirandum in priori, quàm existat Spiratoris relatio. Verùm nos superiori libro docuimus, potentiam spirandi non esse vllo modo voluntatem, sed consistere formaliter in relatione Spira-

toris. Quare si verum est, spirationis passiuæ tendentiam ad principium suum productiuum terminari, verum erit illam terminari ad Spiratoris relationem. Et sic non magis respicit spiratio actiua spirationem passiuam, quàm passiua actiuam; sed ambæ sunt mutuus terminus sui ipsarum non minùs, quàm paternitas & filiatio. Facit etiam contra Suaris doctrinam, quòd terminus spirationis passiuæ, seu principium illius productiuum debeat esse vnus, & non duplex: ergo non potest esse paternitas, & filiatio; cùm hæc non sint vnum quid, sed duo realiter distincta. Atque cùm non pertineant ad vnam eandemque personam, sequeretur in opinione Suaris, quòd nec Pater haberet integrum principium spirandi, vel integrum terminum qui respicitur à Spiritu, nec item Filius.

An aliquam ab essentia distinctionem habeant relationes diuinæ.

6. Dubitatur tertiò, an, & quomodo relationes distinguantur ab essentia diuina? Respondeo non habere quidem formalem, seu actualem vllam distinctionem ex natura rei, & ante opus mentis; habere tamen virtualem realem, quæ fundamentum sit, vt ratio inter eas præcisiuè distinguat; & quidem ita vt nec relationes in conceptu essentiæ, nec essentia in conceptu relationum includatur. Prima pars contra Scotum, Durandum, & aliquos Nominales probata sufficienter à nobis est libro huius tractatus tertio, *cap.*6. nec opus est quicquam hîc addere. Consulantur tantùm quæ ibi disputata sunt. Secunda respõsi pars cõtra aliquos itẽm Nominales eodem libro tertio stabilita est *cap.*7. & 8. Superest vt huius nostri responsi duæ partes vltimæ confirmentur, & explicemus, quomodo conceptus relationum se habeat ad conceptum essentiæ; & an vnus abstrahat ab altero.

7. Et quidem primò non defuerunt, qui relationes asseruerint includi in conceptu & formalitate diuinæ essentiæ, propterea quòd alioqui non videatur posse intelligi summa identitas realis inter ipsas relationes, & essentiam. Quomodo enim aliqua possunt esse in re omninò idem, nisi sint essentialiter idem; atque adeò vnum sit de conceptu & definitione alterius? Confirmatur. Nam paternitas includitur in essentia Patris: ergo includitur in essentia Dei. Et sanè nullus dicat hanc propositionem, *Deus est Pater*, esse per accidens: ergo est per se; atque ita prædicatum includitur in conceptu subiecti. Sed hæ rationes non valent; nec enim quæcumque habent identitatem realem cum aliquo, includuntur in eius conceptu, & definitione, vt patet in rationali, quod realiter est idem cum animali. Ad confirmationem, concedo paternitatem esse de quidditate Patris, hoc est, pertinere formaliter ad illum conceptum, quem importat nomen *Patris*. Nam Pater, vt talis, dicit paternitatem formalissimè. Non sequitur tamen ex eo, quod paternitas sit inclusa in conceptu Patris vt Patris, eam esse inclusam in conceptu Dei præcisè sumpti, seu vt habentis diuinitatem. Nec enim valet: Pater est Deus: ergo paternitas est de conceptu Dei quà talis. Valeret quidem hæc consequentia: Ergo paternitas est de conceptu eius qui est Deus. Quemadmodum nemo admittat hunc syllogis

syllogismum. Homo est animal: rationalitas est de conceptu hominis quà talis: ergo rationalitas est de conceptu animalis quà talis.

8. Non approbo quod ait Scotus *dist.* 23. *&* 26. propositionem hanc, *Pater est persona diuina*, pertinere ad secundum modum dicendi per se, non autem ad primum. Sanè constat prædicatum esse subiecto essentiale, quandoquidem communis & superior ratio personæ diuinæ de tali persona diuina prædicatur vt tali. Quod autem pertinet ad hanc aliam propositionem, *Deus est Pater*, dico eam esse quasi inferioris cuiusdam de superiori suo. Quamvis enim Deus sit quid singulare, est tamen quid commune & virtualiter vniuersale ad Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Non ergo magis est per se prædicta propositio, quàm ista, *Animal est homo*; in qua constat non includi prædicatum in conceptu subiecti. Instabis. Hæc propositio, *Deus est Trinitas*, non est alicuius velut inferioris de superiori; nam *Deus* non est quid vniuersalius, seu communius Trinitate; hæc enim adæquatur illi. Respondeo. Illa prædicatio non est in primo modo per se, sed ad summum in secundo; nec continet prædicatum, quod includatur in essentia & conceptu subiecti.

9. Meliùs ergo erit, si cum omnibus ferè Theologis asseramus, relationes nullo modo includi in conceptu, & formalitate essentiæ diuinæ; idque euidentes rationes ostendunt. Nam quicquid est de essentia Dei, seu quidquid includitur in conceptu essentiæ Dei, est commune tribus personis: atqui nulla relatio est communis tribus personis. Ita omnes Patres, & disertè Boëtius in libro de Trinitate. Confirmatur ex eodem Boëtio. Nam si relationes includerentur in conceptu essentiæ, essentia haberet intra se pluralitatem, & distinctionem. Relationes enim hanc important: *Persona diuisa sunt*, ait Boëtius, *essentia autem indiuisa: ergo necesse est vocabulum ex personis originem ducens, ad substantiam non pertinere: huiusmodi autem nomen est trinitatis, & quodlibet aliud relationem significans: ergo trinitas, vel relatio, non est de substantia, id est de essentia Dei.* Hæc ille. Prætereà Pater priùs origine quàm generet Filium, est completè & essentialiter Deus: ergo cùm per generationem filiatio producitur, non producitur aliquid, quod sit de essentia, & conceptu Dei.

10. Maior est difficultas, an essentia includatur in quidditatiuo conceptu, & formalitate relationum? Affirmat post Canariensem Suarez *lib.4.cap.1.* & post hunc Ruis, Granadus, &c. Prima ratio Suaris est: essentia diuina non minùs est de quidditate paternitatis, quàm sit de quidditate Patris (idemque argumentum fieri potest in aliis personis, & earum relationibus:) atqui certum est, essentiam diuinam esse de quidditate Patris: ergo, &c. Probatur maior, in qua est difficultas. Nam in diuinis abstractum, & concretum ita comparantur, vt in vno nihil essentialiter, & quidditatiuè includatur, quod non similiter includatur in altero; quandoquidem concretum in Deo nihil est aliud, quàm ipsa forma subsistens propter summam Dei actualitatem, & simplicitatem. Ac per consequens in præsenti Pater nihil est aliud, quàm paternitas subsistens: est autem subsistens ipsa præ-

*disp.*158. & Suarem *lib.*7. *cap.*1. & 3. qui temeritatis damnant Gregorium Ariminensem, quòd personas negarit constitui essentiâ & proprietate tanquam duabus virtualibus partibus; sed eas voluerit esse seipsis simplicissimè absque constitutione. Debemus ergo fateri, diuinam quamlibet personam resolui nostro modo concipiendi in essentiam, & relationem, tanquam in duo reciprocè distincta. Si enim reciprocè non distinguerentur, sed essentia includeretur in relatione, non fieret vera resolutio, nec per consequens vera compositio, & constitutio personæ. Totum enim, quod persona importat, importaret & relatio: nec dici magis posset, personam constare ex essentia & relatione, quàm ipsam relationem. Quis autem relationem constare dicat ex relatione & essentia, tanquam ex duobus? Certè non potest relatio (si includit totum, quod persona) dici componere personam, vel ad hanc vt pars eius comparari. Nulla siquidem pars includit compartem suam, nec toti sua adæquatè identificatur; alioquin illa, quæ includitur in alia, bis ad constitutionem totius vocaretur, vt in præsenti negotio videre est. Nam essentia diuina semel ad constitutionem personæ vocatur, quatenus intrinsecè includi supponitur in relatione; & iterum, quatenus cum relatione dicitur componere, & ad eam comparari vt compars. In quo apparet quædam nugatio, & videtur inde inferri, paternitatem v. g. componere personam Patris vt formam totius, dando illi tam esse Patris, vt proprietas eius est; quàm esse Dei, vt includit essentiam. Vnde non aliter constituet, quàm per sese subsistendo in sua entitate, quemadmodum Gregorius Ariminensis docuit.

15. Validum etiam est pro nostra assertione argumentum ex eo, quòd persona producens producat totam relationem personæ productæ, non productâ essentiâ illius: ergo relatio producta sic se habet reapse respectu essentiæ, ac si eam excluderet actu. Excludit igitur eam virtualiter in re, ac formaliter per mentem nostram. Deinde sic etiam argumentor. Si quidditas relationis includit totam essentiam: ergo verum erit, quòd paternitas, seu filiatio includat intellectum, voluntatem, &c. Quare locutiones hæ veræ erunt; Filiatio intelligit, est Sapientia; Filius eodem est Sapientia, quo Filius; Pater intelligit paternitate, amat paternitate, &c. Denique si quælibet relatio includit in suo conceptu quidditatiuo diuinitatem: ergo includit omnia prædicata, quæ ipsi diuinitati sunt essentialia. Atqui iuxta ipsum Suarem *lib.*3. *cap.*8. *numero* 4. essentiale diuinitatis prædicatum est, quo dicitur communicabilis tribus personis. Ergo quemadmodum in conceptu paternitatis, & filiationis includitur diuinitas, sic & communicabilitas ipsius diuinitatis, ac per consequens communicabilis erit paternitas seu filiatio. Nam ex eo quod relatio includat in suo formalissimo & quidditatiuo conceptu diuinitatem, admitti debet hæc propositio; *Paternitas est quidditatiuè diuinitas.* Cui propositioni si subdatur; *Atqui diuinitas est communicabilis*: concludetur; Ergo & paternitas est quidditatiuè communicabilis.

16. Argumenta contrariæ sententiæ allata *num.*10. non sunt difficilia. Ad primum nego, quicquid est de quiddi

quidditatè concreti esse de quidditate abstracti, etiam in diuinis. Nam concretum semper continet aliquid supra abstractum, & ex pluribus est per rationem compositum. Ad secundum relatio non est nisi identicè diuinitas, nec dicitur quidditatiuè, & in sensu formali Deus; sed tantùm materialiter, & inadæquatè. Porrò quod est tantùm inadæquatè Deus, non est tam perfectum, quàm perfectum concipi aliquid potest. Nam perfectius est id, quod est Deus adæquatè. Ita intellectus diuinus non habet perfectionem voluntatis. Mirum ergo non est, si relatio non includat in suo conceptu perfectionem essentiæ. Ad tertium essentia non denominat paternitatem Deum, nisi in sensu identico: quare non eam denominat vt vera, & propria ipsius paternitatis essentia; denominatio igitur Dei, quam dat, non potest esse paternitati essentialis, & quidditatiua. Ad quartum. Relatio est increatum & independens; at verò quicquid est ens increatum, non est tale per essentiam diuinam, nisi identicè. Aliud enim est entitas increata, & aliud essentia diuina.

Quam habeant distinctionem à se inuicem quatuor diuinæ relationes? præsertim verò paternitas, necnon filiatio à spiratione passiua?

17. Dubitatur quartò, quomodo relationes illæ, quas superiori capite probauimus esse quatuor, distinguantur ab inuicem? Respondeo. Certum est paternitatem & filiationem distingui realiter à se inuicem, quemadmodum Spirationem actiuam à spiratione passiua. Spiratio autem actiua facit distingui realiter à spiratione passiua paternitatem, & filiationem, vtpote ab his non distincta plusquam virtualiter. Responsum hoc est de fide quoad primam partem, quatenus adstruit distinctionem realem inter paternitatem, filiationem & spirationem passiuam. Habetur enim ex capite *Firmiter*, & ex Concilio Toletano XII. aliisque Conciliis. Sanè cùm hæ relationes distinguant personas realiter distinctas, necesse est inter se realiter ipsas distingui. Hæc veritas fusè à nobis probata est tribus primis libri tertij capitibus; quemadmodum etiam libro secundo stabilita fuit contra Iudæos, & varios hæreticos personarum diuinarum pluralitas. Omnesque in illis tertij libri capitibus difficultates proposuimus, ac soluimus, quæ in hac reali distinctione specialiter nascuntur ex eo quòd eius extrema realem habeant in vna, simplicique natura diuina identitatem. Nec est opus nos quicquam hîc aliud addere.

18. Quantùm attinet ad secundam partem responsi circa spirationem actiuam cum spiratione passiua comparatam, eadem est certitudo distinctionis realis, si Spiratio actiua sumatur quatenus est in spiratore, eumque verè refert ac opponit Spiritui sancto. Ex doctrina enim orthodoxa relationes diuinæ, quatenus sibi opponuntur, distinctionem habent realem; & Spirator vt Spiritum respiciens atque producens, non potest ab eo non distingui realiter. Sed hîc nota reperiri, qui spirationem actiuam, provt est actualis productio, seu actio spirationis, velint se tenere ex parte sui termini, philosophantes eodem modo de hac actione, quo de creatis actionibus, quas scilicet ponunt non in

cissim referri ad Patrem; cùm autem dicit Spiritum sanctum ad Patrem, Filiumque referri, nunquam similem conuersionem facit rationis mutuæ ad Spiritum sanctum. Vnde & Concilium Lateranense *in cap. Damnamus*, omnem numerum realem, præter ternarium, excludit: non ergo agnoscit quartam relationem. Et sanè si hanc vel Patres, vel Concilia agnouissent, significassent ipsam aliquando, & ab aliis tribus personarum constitutiuis distinxissent, quod numquam fecerunt. Respondeo verum esse, quod Pater & Filius, provt sub illis præcisè nominibus Patris & Filij sumuntur, referuntur ad se inuicem reciprocè, non autem ad Spiritum sanctum. Nam vt Pater est verè Filij Pater, ita Filius est Patris Filius. At verò Pater non est Pater Spiritus sancti, nec Filius est Spiritus sancti Filius, quamquam Spiritus sanctus sit Patris & Filij Spiritus sanctus. Iure igitur dici potest, relationem, quæ est inter Spiritum sanctum & Patrem & Filium, reciprocam non esse, nec in ea conuersionem fieri posse. Nihilominus si Patrem & Filium non sub iis præcisè nominibus, sed sub nomine Spiratoris, inter antiquos minùs vsitato, vsurpemus, erit haud dubiè relatio reciproca. Nam vt Spiritus sanctus est spiratoris Spiritus, sic Spirator est Spiritus sancti Spirator. Quare Nazianzenus *oratione 37.* dum explicat cur Spiritus sanctus non sit Filius, agnoscit inter Filium & Spiritum sanctum τὴν πρὸς ἄλληλα σχέσιν. Concilium porrò Lateranense excludit solùm numerum eum qui extra ternarium sit realis, seu cum distinctione reali: quæ exclusio non pertinet ad spirationem actiuam, vtpote realiter identificatam cum essentia, paternitate, atque filiatione.

5. Obiicitur 2. Si spiratio actiua comparatur ad paternitatem, filiationem, & spirationem passiuam velut quædam quarta relatio: ergo ad easdem debebit comparari velut quarta res, atque adeò velut distincta realiter. Et ita in Trinitate erit realis quaternitas; quod est contra fidem. Probatur prima consequentia. Nam quælibet relatio realis est verè aliqua res: ergo eo modo, quo erunt quatuor reales relationes, fatendum est esse quatuor res; multiplicato enim inferiori, necessarium est multiplicari superius, præsertim transcendentale. Propter vim huius obiectionis Durandus *in 1. dist. 13. quæst. 2.* fultus rationibus inferiùs afferendis *num. 9.* censuit spirationem actiuam distingui realiter à tribus aliis relationibus, atque ita esse quatuor realitates relatiuas in Trinitate. Malè. Nam sic ponit in Deo quaternitatem loco Trinitatis. Deinde si vera esset eius sententia, foret compositio inter spirationem actiuam, & paternitatem, filiationemque. Quod si non esset compositio, sequeretur spirationem per seipsam, & vt seiunctam à paternitate & filiatione, atque identificatam cum essentia facere quartam personam, ex qua Spiritus sanctus procederet; sicque non esset à Patre Filioque. De hac Durandi sententia fusiùs agetur capite sequenti, *n. 26.*

6. Ex contrario Gregorius *in 1. dist. 17. quæst. 1.* & Gabriel *dist. 26. quæst. 1.* tenuerunt vi eiusdem prædictæ obiectionis, spirationem actiuam non esse relationem distinctam à paternitate & filiatione; atque ita negarunt esse in diuinis plusquam tres relationes: non quasi ipsa spiratio

tio actiua non sit relatio realis; sed quia licèt sint tres relationes incommunicabiles, & vna communicabilis, hæc non est ab aliis distincta in re. Quomodo ex tribus, nec ampliùs, exsurgunt duo binarij relationum oppositarum, & realiter distinctarum. Combinantur enim ex vna parte spiratio actiua & spiratio passiua, quasi duæ realiter distinctæ; ex alia verò paternitas & filiatio, quasi duæ item realiter distinctæ. Sed prima relatio primi binarij non facit numerum comparata cum secundo binario. Quo ex philosophandi modo dicendum est, vnam relationem diuinam propter suam eminentiam, quâ non specificatur à termino, posse referri ad plures terminos quantumvis inter se distinctos, & formaliter diuisos. Sic paternitas, quæ respicit Filium, potest simul, quatenus est spiratio respicere Spiritum sanctum; quod item potest filiatio, quæ respicit Patrem. Eam sententiam Suares putat non esse improbabilem.

7. Longè tamen melius est, si cum eodem Suare, Diuo Thoma, Scoto, & aliis communiter Theologis asseramus esse in Deo quatuor reales, distinctasque relationes; nec inde sequi quod inferebat obiectio. Non enim valet consequentia: Sunt quatuor reales relationes distinctæ, quarum quælibet est aliqua res: ergo sunt quatuor res distinctæ. Notandumque est, in relationibus esse peculiarem rationem, cur eæ possint sub proprio nomine relationum multiplicari potiùs quàm sub nomine rerum. Nam quando non interuenit distinctio vera, & realis inter entitates ipsas relationum, non concipimus, nec dicimus esse in ipsis relationibus multas, distinctasque res; quia hoc nomen *Res*, entitatem propriè & formaliter secundùm se significat. Vnde & eius solius distinctionem sequitur. Tamen nulla interueniente tali distinctione entitatum possumus, ac solemus concipere & dicere, esse multas relationes, si interueniat distinctio terminorum; qui quasi distincti ac disparati, nec subordinati respiciantur. Cùm enim totum esse relationis sit esse ad terminum, non est mirum, si multiplicationem termini relationis numerus sequatur. Vnde cùm dicimus esse plures relationes, perinde est, ac si diceremus, respicere plures terminos. Sic nominantur simpliciter plures ideæ, plures in Patre productiones ad intra, plures in Deo creationes ad extra. Stet ergo, paternitatem & spirationem, siue filiationem & spirationem duas meritò dici posse relationes, sed non duas res, verùm vnam solùm rem relatiuam, quæ duplicem respectum ad terminos realiter distinctos complectatur simplicissimè; atque in Trinitate quatuor numerandas esse relationes, nec tamen propterea quaternitatem rerum introduci. Cùm igitur non sint in Deo quatuor (vt Durandus volebat) realiter distinctæ relationes, apparet paternitatem & filiationem esse vnam rem, non tantùm absolutam, quæ est essentia; sed etiam vnam rem relatiuam, quæ est spiratio actiua.

8. Ad id quod in probatione addebatur, multiplicato inferiori debere multiplicari superius, atque adeò si sunt plures relationes reales, debere esse plures res; dico, quando multiplicatio, seu numeratio in inferiori & superiori non fit secundùm idem, nec eodem modo, tunc fieri posse vt multiplicetur inferius, & non multiplicetur superius, quemadmodum in

præsenti accidit. Nam in inferiori, nempe in relatione, fit multiplicatio solùm ratione terminorum; at verò in superiori, nempe in rei conceptu transcendentali non potest fieri multiplicatio (ita vt asseratur esse plures res) quin fiat secundùm esse, aut proprias entitates.

9. Vrgebis fundamento, ratione que Durandi. Si spiratio actiua est eadem res cum paternitate & filiatione: ergo paternitas, & filiatio non minùs identificantur in ipsa spiratione actiua, quàm identificentur in essentia: ergo quemadmodum dicere possumus: Paternitas & filiatio sunt vna essentia; ita dicere poterimus: Paternitas & filiatio sunt vna spiratio, siue vna relatio ad Spiritum sanctum. Id autem non videtur admittendum. Nam sic dicere possemus: Duæ relationes sunt vna relatio. Respondeo. Nullum est inconueniens, quòd duæ, quæ sunt sibi oppositæ, mutuæque inter Patrem & Filium relationes, sint non quidem formaliter, sed materialiter & identicè vna tertia ad Spiritum sanctum relatio. Nec minùs fieri potest, vt relatio Spirationis sit communicabilis, & cum duabus identificabilis relationibus, seu proprietatibus duarum personarum, quàm essentia absoluta. Notandum verò propositiones illas negandas esse, quibus videtur tolli distinctio formalis relationum; seu in quibus relationes significarentur identificari intra ipsum genus & rationem relationis. Quales sunt istæ in sensu simplici; Paternitas & filiatio est spiratio; Generatio est spiratio; Potentia generandi est potentia spirandi. Contra hanc Durandi sententiam vide item proximum caput tertium, *num. 26. & sequentibus.*

10. Denique contra numerum quaternarium relationum obiici etiam potest, quod videatur plures admittendas esse in Trinitate relationes, quàm prædictas quatuor. Nam primò manendo in consideratione relationum, quæ in actione seu origine fundantur; quare dici non posset, paternitatem, & filiationem distinctas realiter, habere quamlibet sibi annexum respectum ad Spiritum sanctum, ita vt relatio Spiratoris sit duplex realiter distincta? quo modo numerabuntur quinque reales. Deinde videtur esse in Patre non tantùm relatio Patris ad Filium, sed etiam relatio dicentis ad Verbum; & reciprocè in Filio non solùm relatio Filij ad Patrem, sed etiam Verbi dicti ad dicentem. Est & in Filio ad Patrem relatio imaginis. Secundò, transeundo ad alia relationum genera, quæ non fundantur in actione seu origine, sunt inter personas diuinas relationes identitatis, similitudinis, æqualitatis, diuersitatis, seu distinctionis. Respondeo ad primum. In diuinis ex doctrina orthodoxa omnia sunt vnũ, quæ non sibi opponuntur. Ergo cùm respectus, quo Pater refertur ad Spiritum sanctum, non opponatur respectui, quo item Filius refertur ad Spiritum sanctum (nec enim illi, qui duo finguntur respectus, paternus & filialis, ad se mutuò tendunt, vt constat, cùm toti tendant ad Spiritum;) dici debet non esse nisi vnum simplicem respectum Spiritus sancti in Patre & Filio. Deinde relatio Spiratoris aliud nihil est, quàm tùm potentia spiratiua, tùm actualis spiratio: atqui Florentinum definit Patrem & Filium spirare vt vnicum principium, & vnica spiratione; denique ex eodem Florentino Pater dedit Filio omnia, quæ

quæ vltra paternitatem habet: sed vltra paternitatem habet spirationem actiuam: ergo dedit hanc Filio, qui per consequens habet eandem, quam Pater habet, & non aliam, cùm aliam non acceperit. Quod attinet ad relationem Verbi, dicemus suo loco illam esse eandem cum relatione Filij, & in generatione præcisè consistere, licèt diuersis conceptibus, & vocibus à nobis exprimatur, propter diuersos respectus rationis, & conuenientiæ ad res creatas. Quod ad imaginem, dico eam duo importare, similitudinem, & originem. Quatenus importat similitudinem, non est relatio realis, vt intelligetur ex iis, quæ mox subiungo: quatenus dicit originem; non distinguitur à filiatione.

11. Ad secundum respondeo, nullas esse in Deo relationes reales ad intra, si discedas ab iis, quæ fundantur in origine, hoc est, quæ creatis comparatæ correspondent relationibus fundatis in actione, & passione. Quare non sunt reales in Deo relationes identitatis, similitudinis, æqualitatis; non enim eæ aliud sunt, quàm relatio identitatis in essentia, seu consubstantialitatis, quam constat esse tantùm rationis, cùm in extremis non interueniat sufficiens distinctio respectu fundamenti, hoc est, essentiæ. Relatio autem diuersitatis, & distinctionis inter personas, vel eadem est cum relatione oppositionis, atque ita identificatur cum relatione originis; vel solùm dicit identitatis negationem; & eatenus non potest esse relatio plusquam rationis.

CAPVT III.

Explicatur natura relationum diuinarum.

1. DVbitari potest primò, vtrum relationes diuinæ secundùm proprias suas rationes præcisè aliud nihil habeant, quàm referri, seu quàm quod terminum respiciant; an verò præterea quamdam perfectionem, rationemque existendi habeant, quæ subsit respectui, & quæ intrinsecè referatur *vt quod*, non autem solùm *vt quo*. Aliqui enim putant, illas aliud nihil habere, quàm præcisum ipsum referri intransitiuè, seu tendere ad terminum: quare nullam ex se perfectionem, aut entitatem referre. Sed clarum est, quod eodem modo, quo iam suprà diximus, rationem essendi *ad*, in relationibus, quæ sunt in subiecto, non posse præscindi à ratione essendi *in*; ita impossibile est, vt in relationibus diuinis ipsa ratio essendi *ad*, concipiatur in se velut realiter subsistens, absque eo quod vllam habeat aliam rationem, cui immergatur, aut cui tanquam subiecto innitatur, & quam denominet, faciatque verè relatiuam. Et sanè quemadmodum nemo dicat, posse dari visionem ita in se reflexam, vt nullam aliam rationem habeat, quàm visionem sui; hoc est, vt nullius sit alius obiecti visio in priori quàm ad seipsam reflectatur; siue vt non habeat entitatem, seu realitatem quæ non tantùm *vt quo*, sed etiam *vt quod*, referatur transcendentaliter: simili modo nemo intelligere possit id relatiuum, quod in Filio, aut Spiritu

ritu sancto producitur, nihil aliud esse, quàm merum produci; sic vt nulla alia sit realitas, quæ producatur præter productionem ipsam passiuam, siue relationem fundatam in productione passiua. Atque idem est cum proportione de Patre, & Spiratore. Impossibile enim est, vt Pater & Spirator non habeat aliam essendi rationem propriam, & incommunicabilem, quàm vel præcisum exercitium producendi, vel præcisam relationem talis exercitij.

2. Dicendum igitur, relationes, seu proprietates personales, provt distinctas ab essentia diuina, habere præter merum referri, rationem quandam entis, quæ referatur ipsa, & sit transcendentaliter relatiua. Ea verò ratio relatiua, in Patre quidem, & in Spiratore est potentia productiua, seu fœcunditas, aut principium fœcundum, ex quo oritur actus secundus, seu actualis productio: vel etiam ipsius entitas generationis relata *vt quod* transcendentaliter, & *vt quo* per semetipsam. In Filio autem, quà producto, & in Spiritu sancto est entitas quædam ipsis propria, quæ sit terminus processionis, & in qua, provt actualiter terminante processionem, duæ personæ procedentes subsistant; quemadmodum & Pater subsistit in sua fœcunditate provt actualiter generante. Quod autem cùm fœcunditas in Patre & Spiratore, tùm processionis terminus in Spiritu sancto & Filio pertineant ad rationem intrinsecam diuinarum relationum, patet: nam alioquin deberet esse quid commune omnibus personis; omnia enim in Trinitate communia sunt præter relationes. Vnde ipse Suarez, licèt velit diuinam essentiam, & non relationes esse formale principium, ac immediatam potentiam, ex qua productiones personarum emanant; cogitur tamen fateri relationes aliquas debere concipi vt existentes priùs ratione, quàm actiones generandi & spirandi; ita vt se teneant ex parte actus primi, & potentiæ productiuæ, tanquam conditiones. Sed meliùs illi, qui relationes ipsas volunt provt in actu primo esse plusquam conditiones, & asserunt esse potentiam ipsam productiuam, siue partialem, vt Valentia, & Cuniga; siue, vt nos, totalem, & adæquatam. Quamvis cum potentia productiua totali ad relationem etiam deinde pertineat ipsa in actu secundo productio, & originatio, seu prædictæ potentiæ exercitium: hoc enim totum est transcendentaliter ad aliud.

3. Ex dictis vides relationes diuinas non esse, vt multi opinantur, aliquid tantùm consequens originationem personarum, cùm actiuam, tùm passiuam; nec debere dici prædicamentales (vt Cuniga & nonnulli alij volunt) sed verè transcendentales. Clarum enim est, potentiam & actum secundum potentiæ transcendentaliter referri ad terminum productum, quemadmodum etiam tùm ipsa productio passiua, tum productus terminus, (cùm hic ex sua ratione intrinseca & velut essentialiter petat produci, nec possit existere nisi per productionem) refertur transcendentaliter ad suum principium productiuum. Hoc enim totum, nempe terminus productus, & simul huius passiua productio, est ad aliud non minùs quàm creatura transcendentaliter respicit Creatorem, vtpote essentialiter dependens. Relationes ita explicatæ, vt earum natura plenè intelligatur, comparari iam à nobis debent cum

suis

suis terminis, & cum essentia atque inter se inuicem.

Quos diuinæ relationes terminos respiciant.

4. Dubitatur igitur secundò, quosnam terminos habeant relationes illæ, quas superiori capite probauimus esse omninò quatuor? Respondeo. Illos habent terminos, qui sint relatiui, seu qui sint relationes eis opposita; hoc est, paternitas respicit filiationem; filiatio paternitatem; spiratio actiua spirationem passiuam, & passiua actiuam. Probatur responsum. Nam est de ratione relationis realis, vt habeat terminum realiter à se distinctum, cùm nihil ad seipsum realiter referri possit. Atque hinc fit, vt licèt controuersia sit de relationibus creatis (præsertim prædicamentalibus) an terminentur formaliter, & præcisè ad absolutum, an verò ad correlatiuum, quatenus tale, siue ad relationem oppositam; atque multorum sit opinio, Sophroniscum patrem, verbi causâ, non referri ad filiationem, quæ est in Socrate, sed ad ipsum Socratem absolutè sumptum, seu ad eam humanam entitatem, quæ subiacet filiationi: nihilominus dicendum simpliciter est, relationes quæ sunt intra Deum, non posse habere terminum absolutum, sed terminari præcisè ad respectiuum, & ad sibi correlatum, quia tale. Nam omne, quod in Deo absolutum est, identificatur cum omnibus quatuor relationibus. Cùm igitur à relatione qualibet diuina nihil distinguatur realiter, nisi relatio illi opposita; hinc fit, vt terminus cuiusque diuinæ relationis (quem est certum ab ea distingui) sit ipsa relatio opposita. Nec vlla in hoc esse potest difficultas, nisi quoad eum terminum, siue quoad eam relationem, quæ formaliter & immediatè respicitur à spiratione passiua.

5. Suarez enim (vt refert Cuniga *disp.*3. *dub.*20.) vult illum terminum non esse spirationem actiuam, seu relationem, quâ Pater, & Filius respiciunt Spiritum sanctum formaliter, & immediatè; sed potiùs esse paternitatem, & filiationem; per quas scilicet ille existimat voluntatem determinari, vt spiratiua sit, & fœcunda. Cùm enim relatio personæ productæ debeat respicere formaliter principium suum productiuum, siue eam proprietatem, quæ confert ad constitutionem principij productiui; hinc fit, vt quemadmodum filiatio respicit paternitatem, quatenùs per eam intellectus determinantur vt sit fœcundus; ita spiratio passiua respiciat paternitatem simul & filiationem, quatenus per eas voluntas determinatur ad spirandum. Confirmatur. Nam quemadmodum Spiratio actiua respicit in Spiritu sancto terminum verè productum, qui est ipsa relatio spirati; sic oportet, vt spiratio passiua respiciat in Spiratore rationem principij productiui, quod non est ipsa relatio Spiratoris, sed eam antecedit. Hæc est sententia Suaris, qui supponit potentiam spiratiuam non consistere in relatione spiratoris, sed in voluntate formaliter, & in paternitate ac filiatione tanquam in conditionibus determinantibus ipsam voluntatem ad spirandum in priori, quàm existat Spiratoris relatio. Verùm nos superiori libro docuimus, potentiam spirandi non esse vllo modo voluntatem, sed consistere formaliter in relatione Spira-

toris. Quare si verum est, spirationis passiuæ tendentiam ad principium suum productiuum terminari, verum erit illam terminari ad Spiratoris relationem. Et sic non magis respicit spiratio actiua spirationem passiuam, quàm passiua actiuam; sed ambæ sunt mutuus terminus sui ipsarum non minùs, quàm paternitas & filiatio. Facit etiam contra Suaris doctrinam, quòd terminus spirationis passiuæ, seu principium illius productiuum debeat esse vnus, & non duplex: ergo non potest esse paternitas, & filiatio; cùm hæc non sint vnum quid, sed duo realiter distincta. Atque cùm non pertineant ad vnam eandemque personam, sequeretur in opinione Suaris, quòd nec Pater haberet integrum principium spirandi, vel integrum terminum qui respicitur à Spiritu, nec item Filius.

An aliquam ab essentia distinctionem habeant relationes diuinæ.

6. Dubitatur tertiò, an, & quomodo relationes distinguantur ab essentia diuina? Respondeo non habere quidem formalem, seu actualem vllam distinctionem ex natura rei, & ante opus mentis; habere tamen virtualem realem, quæ fundamentum sit, vt ratio inter eas præcisiuè distinguat; & quidem ita vt nec relationes in conceptu essentiæ, nec essentia in conceptu relationum includatur. Prima pars contra Scotum, Durandum, & aliquos Nominales probata sufficienter à nobis est libro huius tractatus tertio, *cap.* 6. nec opus est quicquam hîc addere. Consulantur tantùm quæ ibi disputata sunt. Secunda respõsi pars contra aliquos item Nominales eodem libro tertio stabilita est *cap.* 7. & 8. Superest vt huius nostri responsi duæ partes vltimæ confirmentur, & explicemus, quomodo conceptus relationum se habeat ad conceptum essentiæ; & an vnus abstrahat ab altero.

7. Et quidem primò non defuerunt, qui relationes asseruerint includi in conceptu & formalitate diuinæ essentiæ, propterea quòd alioqui non videatur posse intelligi summa identitas realis inter ipsas relationes, & essentiam. Quomodo enim aliqua possunt esse in re omninò idem, nisi sint essentialiter idem; atque adeò vnum sit de conceptu & definitione alterius? Confirmatur. Nam paternitas includitur in essentia Patris: ergo includitur in essentia Dei. Et sanè nullus dicat hanc propositionem, *Deus est Pater*, esse per accidens: ergo est per se; atque ita prædicatum includitur in conceptu subiecti. Sed hæ rationes non valent; nec enim quæcumque habent identitatem realem cum aliquo, includuntur in eius conceptu, & definitione, vt patet in rationali, quod realiter est idem cum animali. Ad confirmationem, concedo paternitatem esse de quidditate Patris, hoc est, pertinere formaliter ad illum conceptum, quem importat nomen *Patris*. Nam Pater, vt talis, dicit paternitatem formalissimè. Non sequitur tamen ex eo, quod paternitas sit inclusa in conceptu Patris vt Patris, eam esse inclusam in conceptu Dei præcisè sumpti, seu vt habentis diuinitatem. Nec enim valet: Pater est Deus: ergo paternitas est de conceptu Dei quà talis. Valeret quidem hæc consequentia: Ergo paternitas est de conceptu eius qui est Deus. Quemadmodum nemo admittat hunc syllogis

ſyllogiſmum. Homo eſt animal: rationalitas eſt de conceptu hominis quà talis: ergo rationalitas eſt de conceptu animalis quà talis.

8. Non approbo quod ait Scotus *diſt.* 23. *&* 26. propoſitionem hanc, *Pater eſt perſona diuina*, pertinere ad ſecundum modum dicendi per ſe, non autem ad primum. Sanè conſtat prædicatum eſſe ſubiecto eſſentiale, quandoquidem communis & ſuperior ratio perſonæ diuinæ de tali perſona diuina prædicatur vt tali. Quod autem pertinet ad hanc aliam propoſitionem, *Deus eſt Pater*, dico eam eſſe quaſi inferioris cuiuſdam de ſuperiori ſuo. Quamvis enim Deus ſit quid ſingulare, eſt tamen quid commune & virtualiter vniuerſale ad Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum. Non ergo magis eſt per ſe prædicta propoſitio, quàm iſta, *Animal eſt homo*; in qua conſtat non includi prædicatum in conceptu ſubiecti. Inſtabis. Hæc propoſitio, *Deus eſt Trinitas*, non eſt alicuius velut inferioris de ſuperiori; nam *Deus* non eſt quid vniuerſalius, ſeu communius Trinitate; hæc enim adæquatur illi. Reſpondeo. Illa prædicatio non eſt in primo modo per ſe, ſed ad ſummum in ſecundo; nec continet prædicatum, quod includatur in eſſentia & conceptu ſubiecti.

9. Meliùs ergo erit, ſi cum omnibus ferè Theologis aſſeramus, relationes nullo modo includi in conceptu, & formalitate eſſentiæ diuinæ; idque euidentes rationes oſtendunt. Nam quicquid eſt de eſſentia Dei, ſeu quidquid includitur in conceptu eſſentiæ Dei, eſt commune tribus perſonis: atqui nulla relatio eſt communis tribus perſonis. Ita omnes Patres, & diſertè Boëtius in libro de Trinitate. Confirmatur ex eodem Boëtio. Nam ſi relationes includerentur in conceptu eſſentiæ, eſſentia haberet intra ſe pluralitatem, & diſtinctionem. Relationes enim hanc important: *Perſonæ diuiſæ ſunt*, ait Boëtius, *eſſentia autem indiuiſa: ergo neceſſe eſt vocabulum ex perſonis originem ducens, ad ſubſtantiam non pertinere: huiuſmodi autem nomen eſt trinitatis, & quodlibet aliud relationem ſignificans: ergo trinitas, vel relatio, non eſt de ſubſtantia, id eſt de eſſentia Dei.* Hæc ille. Præterea Pater priùs origine quàm generet Filium, eſt completè & eſſentialiter Deus: ergo cùm per generationem filiatio producitur, non producitur aliquid, quod ſit de eſſentia, & conceptu Dei.

10. Maior eſt difficultas, an eſſentia includatur in quidditatiuo conceptu, & formalitate relationum? Affirmat poſt Canarienſem Suarez *lib.* 4. *cap.* 1. & poſt hunc Ruis, Granadus, &c. Prima ratio Suaris eſt: eſſentia diuina non minùs eſt de quidditate paternitatis, quàm ſit de quidditate Patris (idemque argumentum fieri poteſt in aliis perſonis, & earum relationibus:) atqui certum eſt, eſſentiam diuinam eſſe de quidditate Patris: ergo, &c. Probatur maior, in qua eſt difficultas. Nam in diuinis abſtractum, & concretum ita comparantur, vt in vno nihil eſſentialiter, & quidditatiuè includatur, quod non ſimiliter includatur in altero; quandoquidem concretum in Deo nihil eſt aliud, quàm ipſa forma ſubſiſtens propter ſummam Dei actualitatem, & ſimplicitatem. Ac per conſequens in præſenti Pater nihil eſt aliud, quàm paternitas ſubſiſtens; eſt autem ſubſiſtens ipſa præ-

cisè per se, & ex propria ratione relatiua: ergo includit in propria ratione, quatenùs relatio talis, omne quod Pater; atque adeò essentiam diuinam. Altera Suaris ratio est, quia relatio diuina quælibet, verbi gratiâ paternitas, non tantùm identicè, sed etiam essentialiter, & quidditatiuè est Deus: atqui quod est quidditatiuè Deus, includit in sua quidditate deitatem: ergo, &c. Maiorem probat, quia quicquid est Deus, est tam perfectum, ac esse concipique potest: sed maioris est perfectionis includere essentialiter, & quidditatiuè deitatem, quàm solùm identicè, aut quocumque alio modo: ergo quicquid est verè Deus, est quidditatiuè Deus. Formari potest & hæc tertia ratio ex eodem authore, quia deitas ei quod denominat, tribuit denominationem essentialem, & quidditatiuam, cùm sit essentia, & Dei quidditas: sed paternitatem denominat deitas; hæc enim est & dicitur Deus: ergo eam denominat essentialiter, & quidditatiuè. Quartò, relatio diuina includit in sua quidditate rationem entis increati: ergo essentiam diuinam; hæc enim est formalitas constituens ens increatum. Antecedens patet. Nam relatio diuina est quidditatiuè ens: ergo vel creatum, vel increatum: sed non creatum: ergo increatum.

11. Ex eo autem, quod prædictis argumentis se sufficienter probasse putet Suarez essentiam diuinam includi in relationibus secundùm rem ipsam, seu quatenus sunt virtualis quædam res distincta, incommunicabilitatem importans supra essentiam, ait facile esse ostendere, quod essentia etiam includatur in iisdem relationibus secundùm nostrum conceptum. Aduertit verò inclusionem hanc posse duobus modis intelligi. Primò, vt distinctè, ac formaliter essentia conceptui relationis obiiciatur. Secundò, vt obiiciatur solùm confusè. Aitque non esse hîc sermonem de priori modo; nec enim dubium est, quin possit à nobis cogitari distinctè & expresè paternitas, non cogitando distinctè essentiam; quod etiam in conceptu inferioris respectu superioris sæpè contingit; quia nimirum ipsum inferius non exactè penetratur, nec comprehensiuè cognoscitur per talem conceptum. Posteriori autem modo essentiam defendit includi in diuinâ relatione, prout à nobis concepta; non secus ac ens includitur in conceptu rerum omnium. Quamvis enim, verbi gratiâ, qui concipit differentiam, per quam leo præcisè differt ab homine, non concipiat expresè, & distinctè ens; tamen si interrogetur, vtrum illa differentia, etiam sumpta prout eam concipit, sit ens, non poterit negare. Ita qui concipit paternitatem, licèt distinctè non concipiat essentiam diuinam; si tamen interrogetur, num paternitas illa, etiam prout ab ipso concipitur, sit essentia diuina, affirmabit. Quod necessarium est, supposita superiori probatione inclusionis essentiæ in paternitate ante opus mentis, & secundùm rem ipsam. Sic enim se habet paternitas, vt inferius aliquod ad essentialiter superius, eo modo, quo substantia ad ens.

12. Aliqui Recentiores conformiter prædictæ Suaris opinioni existimarunt, relationes diuinas nihil aliud esse per mentem, nisi modos quosdam & personas; nihil aliud, nisi essentiam prout ita se habentem. Quare in personis non esse duo, sed dumtaxat vnum, quod in pluribus

personis

personis alio & alio modo se habet absque vlla vera compositione, etiam rationis. Probari potest, quia cùm relationes in Patre, & Spiratore, vt aliàs docuimus, sint principium formale productiuum Filij, & Spiritus sancti, & diuinitatem communicent; non possent hanc, nisi eam intrinsecè continerent, communicare. Sed hæc ratio non valet. Nam relationes productiuæ non aliter communicant diuinitatem, quàm quatenus producunt terminum formalem, qui sit identicè, & materialiter ipsa diuinitas. Ad quod sufficit, vt relationes ipsæ productiuæ sint item identicè materialiterque diuinitas. Porrò cùm dicuntur à quibusdam authoribus relationes & personæ in diuinis esse modi, cautè intelligendum id est. Impiumque foret, si modos hîc in eodem sensu, quo in rebus creatis, sumeremus; nec maiorem agnoscere- mus distinctionem inter Patrem, & Filium, quàm inter duos modos eiusdem rei creatæ; verbi gratiâ inter duas præsentias Petri positi in duobus locis, seu inter Petrum præsentem Burdigalæ, & eumdem Petrum præsentem Romæ.

13. Asserendum est essentiam non includi in conceptu quidditatiuo relationum; atque adeò falsam esse in sensu quidditatiuo hanc propositionem, *Paternitas est diuinitas*; non minùs ac istam, *Diuinitas est paternitas*. Ita Vasquezius *disput.121. cap.2.* Molina *quæst.28. art.2. disp.6. artic.3.* Ariaga *disp. 48. sectione 3. subsectione 2.* Cuniga *disp.3. dub.16.17.& 18.* qui ait hanc esse sententiam multorum Recentiorum, præsertim ex nostra Societate. Non placent aliquæ rationes, quibus vtitur Vasquezius, supponens, eos omnes conceptus, qui inter se distinguntur, debere abstrahere ab inuicem reciprocè; nec admittens conceptum talem entis, vt non contineat differentias substantiæ, & accidentis; & tamen maneat in his contentus, ac immersus intimè secundùm omnes rationes. Atque inde concludit, fieri non posse pariter, vt essentiæ conceptus excludat relationes; & tamen relationum conceptus includat essentiam. Sed quod supponit, verum non est. Nam constat, tum ex vero conceptu entis, tum ex cōceptu rerum quarumcūque comparatarum cum suis modis, posse rationem aliquam excludere à se aliquid, à quo tamen ipsa excludi non possit. Non item placent rationes quas affert Ariaga, vt cùm ait eadem argumenta, quæ probant essentiam non includere relationes, probare nec has illam includere, &c. Peccat hic Author in suis rationibus, quòd non attendere videatur, essentiam esse virtualiter triplicem in tribus personis, nullam autem relationem id habere. Aliter igitur nostra probari debet assertio, hoc est, repugnare specialiter, vt relationes comparentur ad essentiam velut huius quidam modi. Quare illas non minùs ab hac, quàm hanc ab illis abstrahere.

14. Primò igitur ita docuit Sanctus Thomas *quæst.8. de potentia, artic. 2. ad 6.* dicens, quod sicut hæc propositio, *Essentia est paternitas*, non est per se; ita neque hæc, *Paternitas est essentia.* Quod Suarez respondet *lib.4. cap. 8. num. 2.* non est ad mentem Sancti Doctoris. Probatur item ex Concilio Florent. quod sessione 19. & sæpè alibi ait, diuinas personas constare ex essentia & relatione. Idemque dicunt communiter Sancti Patres, vt videre est apud Vasquezium

*disp.*158. & Suarem *lib.*7. *cap.*1. & 3. qui temeritatis damnant Gregorium Ariminensem, quòd personas negarit constitui essentiâ & proprietate tanquam duabus virtualibus partibus; sed eas voluerit esse seipsis simplicissimè absque constitutione. Debemus ergo fateri, diuinam quamlibet personam resolui nostro modo concipiendi in essentiam, & relationem, tanquam in duo reciprocè distincta. Si enim reciprocè non distinguerentur, sed essentia includeretur in relatione, non fieret vera resolutio, nec per consequens vera compositio, & constitutio personæ. Totum enim, quod persona importat, importaret & relatio: nec dici magis posset, personam constare ex essentia & relatione, quàm ipsam relationem. Quis autem relationem constare dicat ex relatione & essentia, tanquam ex duobus? Certè non potest relatio (si includit totum, quod persona) dici componere personam, vel ad hanc vt pars eius comparari. Nulla siquidem pars includit compartem suam, nec toti sua adæquatè identificatur; alioquin illa, quæ includitur in alia, bis ad constitutionem totius vocaretur, vt in præsenti negotio videre est. Nam essentia diuina semel ad constitutionem personæ vocatur, quatenus intrinsecè includi supponitur in relatione; & iterum, quatenus cum relatione dicitur componere, & ad eam comparari vt compars. In quo apparet quædam nugatio, & videtur inde inferri, paternitatem v. g. componere personam Patris vt formam totius, dando illi tam esse Patris, vt proprietas eius est; quàm esse Dei, vt includit essentiam. Vnde non aliter constituet, quàm per sese subsistendo in sua entitate, quemadmodum Gregorius Ariminensis docuit.

15. Validum etiam est pro nostra assertione argumentum ex eo, quòd persona producens producat totam relationem personæ productæ, non productâ essentiâ illius: ergo relatio producta sic se habet reapse respectu essentiæ, ac si eam excluderet actu. Excludit igitur eam virtualiter in re, ac formaliter per mentem nostram. Deinde sic etiam argumentor. Si quidditas relationis includit totam essentiam: ergo verum erit, quòd paternitas, seu filiatio includat intellectum, voluntatem, &c. Quare locutiones hæ veræ erunt; Filiatio intelligit, est Sapientia; Filius eodem est Sapientia, quo Filius; Pater intelligit paternitate, amat paternitate, &c. Denique si quælibet relatio includit in suo conceptu quidditatiuo diuinitatem: ergo includit omnia prædicata, quæ ipsi diuinitati sunt essentialia. Atqui iuxta ipsum Suarem *lib.*3. *cap.*8. *numero* 4. essentiale diuinitatis prædicatum est, quo dicitur communicabilis tribus personis. Ergo quemadmodum in conceptu paternitatis, & filiationis includitur diuinitas, sic & communicabilitas ipsius diuinitatis, ac per consequens communicabilis erit paternitas seu filiatio. Nam ex eo quod relatio includat in suo formalissimo & quidditatiuo conceptu diuinitatem, admitti debet hæc propositio; *Paternitas est quidditatiuè diuinitas.* Cui propositioni si subdatur; *Atqui diuinitas est communicabilis*: concludetur; Ergo & paternitas est quidditatiuè communicabilis.

16. Argumenta contrariæ sententiæ allata *num.*10. non sunt difficilia. Ad primum nego, quicquid est de quiddi

quidditatè concreti esse de quidditate abstracti, etiam in diuinis. Nam concretum semper continet aliquid supra abstractum, & ex pluribus est per rationem compositum. Ad secundum relatio non est nisi identicè diuinitas, nec dicitur quidditatiuè, & in sensu formali Deus; sed tantùm materialiter, & inadæquatè. Porrò quod est tantùm inadæquatè Deus, non est tam perfectum, quàm perfectum concipi aliquid potest. Nam perfectius est id, quod est Deus adæquatè. Ita intellectus diuinus non habet perfectionem voluntatis. Mirum ergo non est, si relatio non includat in suo conceptu perfectionem essentiæ. Ad tertium essentia non denominat paternitatem Deum, nisi in sensu identico: quare non eam deno minat vt vera, & propria ipsius paternitatis essentia; denominatio igitur Dei, quam dat, non potest esse paternitati essentialis, & quidditatiua. Ad quartum. Relatio est increatum & independens; at verò quicquid est ens increatum, non est tale per essentiam diuinam, nisi identicè. Aliud enim est entitas increata, & aliud essentia diuina.

Quam habeant distinctionem à se inuicem quatuor diuinæ relationes? præsertim verò paternitas, necnon filiatio à spiratione passiua?

17. Dubitatur quartò, quomodo relationes illæ, quas superiori capite probauimus esse quatuor, distinguantur ab inuicem? Respondeo. Certum est paternitatem & filiationem distingui realiter à se inuicem, quemadmodum Spirationem actiuam à spiratione passiua. Spiratio autem actiua facit distingui realiter à spiratione passiua paternitatem, & filiationem, vtpote ab his non distincta plusquam virtualiter. Responsum hoc est de fide quoad primam partem, quatenus adstruit distinctionem realem inter paternitatem, filiationem & spirationem passiuam. Habetur enim ex capite *Firmiter*, & ex Concilio Toletano XII. aliisque Conciliis. Sanè cùm hæ relationes distinguant personas realiter distinctas, necesse est inter se realiter ipsas distingui. Hæc veritas fusè à nobis probata est tribus primis libri tertij capitibus; quemadmodum etiam libro secundo stabilita fuit contra Iudæos, & varios hæreticos personarum diuinarum pluralitas. Omnesque in illis tertij libri capitibus difficultates proposuimus, ac soluimus, quæ in hac reali distinctione specialiter nascuntur ex eo quòd eius extrema realem habeant in vna, simplicique natura diuina identitatem. Nec est opus nos quicquam hîc aliud addere.

18. Quantùm attinet ad secundam partem responsi circa spirationem actiuam cum spiratione passiua comparatam, eadem est certitudo distinctionis realis, si Spiratio actiua sumatur quatenus est in spiratore, eumque verè refert ac opponit Spiritui sancto. Ex doctrina enim orthodoxa relationes diuinæ, quatenus sibi opponuntur, distinctionem habent realem; & Spirator vt Spiritum respiciens atque producens, non potest ab eo non distingui realiter. Sed hîc nota reperiri, qui spirationem actiuam, provt est actualis productio, seu actio spirationis, velint se tenere ex parte sui termini, philosophantes eodem modo de hac actione, quo de creatis actionibus, quas scilicet ponunt non in

in agente, sed in patiente; nihilque aliud esse putant, quàm produci termini. Iuxta hunc modum philosophandi, asserendum consequenter est, actionem spirandi non esse veram Spiratoris ad Spiritum sanctum relationem, imò non distingui realiter à spiratione passiuâ, qua Spiritus sanctus ad ipsum Spiratorem refertur. Sed hic modus philosophandi, quamvis non contineat errorem in fide, non consentit nostris principiis, cùm nos ponamus omnem actionem in agente, vtpote eius exercitium. Et in hac materia discedit à communi sensu Theologorum & Sanctorum Patrum, qui spirationem actiuam in Patre Filioque, non autem in Spiritu sancto concipiunt. Nam personas producentes à productis distingui asserunt per origines, quasi per relationes. Quod est dicere origines omnes (siue actiuas, siue passiuas) oppositas, quales sunt spiratio actiua, & spiratio passiua, æquè ac relationes oppositas distingui realiter, & in diuersis esse personis. Quare tantùm abest, vt diuinæ duæ relationes oppositæ in vnam numero relationem confundi possint realiter, vt nulla sit in diuinis relatio, quæ comparata cum aliis oppositis non habeat realem distinctionem plusquam numericam. Vnde apparet dari in duabus primis personis tria constitutiua, quibus quartum accedat Spiritus sancti constitutiuum, nempe spiratio passiua. Neque est inconueniens, quicquid aliqui dicant (vt Canariensis, Tannerus, &c.) admitti talem in Deo quaternitatem, cùm non ponantur quatuor distincta realiter.

Porrò spiratio actiua ita distinguitur à Spiritu sancto realiter, vt sit etiam ratio, cur ab eodem paternitas & filiatio distinguatur. Non enim audiendi sunt Henricus *quodlib. 5. quæst. 9.* & Scotus *in 1. dist. 12. quæst. 2.* affirmantes paternitatem, & filiationem ex propriis & intrinsecis rationibus tales esse, vt quamvis ad se inuicem solas tendant, ac Spiritum sanctum nullo modo originent, nec ei opponantur; ab hoc tamen differant per seipsas, & vt abstrahentes à consortio spirationis actiuæ. Probant. Nam paternitas ex sua intrinseca ratione realiter est generatiua, & generans; & filiatio ex sua intrinseca item ratione dicit generationem passiuam, seu natiuitatem; spiratio autem passiua nihil tale realiter dicit, vel importat. Ergo, &c. Confirmatur. Nam spiratio actiua est aliquid aduenIens paternitati, & filiationi, vt præsuppositis: paternitas autem, & filiatio in illo ipso priori, quo præsupponuntur, habent distinctionem à spiratione passiua: ergo non accipiunt distinctionem illam à spiratione actiua, non enim accipiunt ab eo, quod nondum est. Probant item ex Anselmo *lib. de processione Spiritus sancti*, vbi hæc inter alia habet. *Quia Filius existit de Deo nascendo, Spiritus sanctus procedendo, ipsa diuersitate natiuitatis & processionis referuntur ad inuicem, vt alij ab inuicem.* Quibus verbis significat filiationem & spirationem passiuam non distingui propter relationem originis, sed potiùs referri inter se relatione distinctionis propter diuersas origines, quas Filius & Spiritus sanctus habent independenter ab hoc, quod vnus ab alio procedat.

20. Sed hæ rationes non sunt validæ. Nam si spiratio passiua nihil tale importat, quale paternitas & filiatio, id ex eo prouenit quod paternitati

nitati & filiationi aliquo modo per spirationem actiuam opponatur, alioquin omnia important quæ paternitas & filiatio. Ad confirmationem dico. Licèt paternitas & filiatio priores ratione sint spiratione actiua; tamen in illo priori ordinem habent ad illam, vt cum ipsa identificandæ; atque ex illo ordine, & exigentia prouenit necessariò distinctio à spiratione passiua. Non enim spiratio passiua potest exigere identificari cum spiratione actiua. Vnde vides, quòd licèt paternitas, & filiatio præsupponantur spirationi actiuæ, ab hac tamen aliquo modo hauriunt distinctionem, & oppositionem cum spiratione passiua. Hauriunt, inquam, non formaliter & quasi à forma, nec quasi à causa existente, sed quasi à ratione quadam, quam respiciunt, & à qua sumunt eam velut specificationem. Quod attinet ad Anselmum, is postquam dixit Filium, & Spiritum differre ipsa diuersitate natiuitatis, & processionis, asserit (præsertim *cap.* 3.) illam diuersitatem inde oriri, quòd Spiritus sanctus procedat à Filio.

21. Quare tenenda est doctrina S. Thomæ, qui *q.* 36. *art.* 2. cum aliis communiter Theologis asserit, in diuinis omnia esse vnum, vbi non obuiat relationis oppositio fundata in origine. Ait enim Nyssenus *in oratione de non dicendis tribus Diis*, *sub finem*, personas non distingui, nisi quia vna procedit ab alia. Quod sæpè significatur ab Augustino, vt videre est præcipuè *lib.* 5. *de Trinitate*; & à Concilio Florentino variis locis. Vnde tenent vulgò Doctores, quod si Filius non produceret Spiritum sanctum, & non referretur ad illum per spirationem actiuam, relatio filiationis quæ respicit Patrem, non sufficeret ad ipsum distinguendum à Spiritu sancto. Manet igitur verum paternitatem, & filiationem contrahere à spiratione actiua, quatenùs cùm hac identificantur, totam distinctionem quam habent cum spiratione passiua. Et sanè ex eo quòd paternitas, & filiatio spirationi actiuæ identificentur, efficitur vt constituant personas capaces producendi Spiritum; & ideò distinguuntur à processione, quæ constituit Spiritum vt procedentem ab illis. Quemadmodum enim quod capax est producendi Spiritum, debet ab hoc distingui, cùm nihil sit capax producendi seipsum: ita id quod constituit formaliter capax producēdi Spiritum, distingui debet ab eo quod cōstituit formaliter Spiritum ipsum vt productum.

22. Contra hoc tamen statim obiicitur, quod essentia diuina non minùs identificatur cum spiratione actiua, nec minùs ad eam tendit, aut eam requirit, vt cum ea constituat productiuum Spiritus sancti, quàm paternitas & filiatio. Ergo si paternitas, & filiatio propter hanc identificationem, & constitutionem contrahit oppositionem ad Spiritum sanctum, eandem etiam contrahere debebit essentia; quod tamen non facit, vt cōnstat. Ad hāc obiectionem vulgò respōdetur, non eodem modo identificari essentiam cum spiratione actiua, quo paternitatem & filiationem. Essentia enim identificatur vt aliquid quod est velut subiectum omnium relationum, & non potest opponi vlli personæ; cùm omnes personæ sint coessentiales. At verò nec paternitas, nec filiatio sunt quid commune omnibus personis. Cùm ergo identificentur spirationi actiuæ, non vt quid commune, sed vt quid personale, hinc fit, vt nihil obstet, quominus ex tali identifica-

ficatione contrahant eandem oppositionem ad Spiritum sanctum, & eandem ab eo distinctionem, quam habet ipsa spiratio actiua. Si instes: ergo cùm spiratio actiua non sit quid commune omnibus personis (non enim potest communicari Spiritui sancto) debebit & ipsa contrahere oppositionem eam ad Patrem, quam reperit in filiatione, cum qua identificatur. Quæ enim est maior ratio, vt cùm filiatio & spiratio actiua identificantur inter se, illa potiùs contrahat ab hac oppositionem ad Spiritum sanctum, quàm hæc ab illa contrahat oppositionem ad Patrem? Si illam, inquam, proponas instantiam, dicetur tibi, spirationem ipsam actiuam, vt non sit communis tribus personis omnibus, esse tamen communem duabus; quare cùm debeat identificari cum paternitate, & reperiri in Patre, non posse ob identitatem cum filiatione contrahere oppositionem & incompatibilitatem cum paternitate; sicut essentia diuina non potest contrahere incompatibilitatem cum spiratione passiua.

23. Verumtamen per ea responsa, & per id totum quod hactenus dictum est, non videtur euacuari omninò difficultas, & obiectio facta *numero* 21. Manet enim semper verum, identificari posse & essentiam diuinam cum spiratione actiua, & spirationem ipsam actiuam cum filiatione, absque eo quod vel essentia contrahat oppositionis relationem ad Spiritum sanctum, vel spiratio actiua ad Patrem. Quare non apparet identificationem, quam paternitas, seu filiatio habet cum spiratione actiua, posse sufficientem esse rationem (nisi aliud addatur) vt paternitas & filiatio ab illa spiratione contrahant oppositionis relationem ad Spiritum sanctum. Dicere autem, non posse opponi Spiritui sancto diuinam essentiam, licèt identificatam cum spiratione actiua, propterea quod nequit distingui à Spiritu sancto, & in eo debet reperiri, atque cum ipsa passiua spiratione confundi; est manifesta petitio principij. Id enim est ipsum, quod quæritur; cur essentia nequeat distingui à Spiritu sancto, cùm sit identificata spirationi actiuæ habenti oppositionem cum Spiritu sancto.

24. Igitur vt illius rei germana, plenaque ratio reddatur, dicendum existimo, paternitatem non respicere Filium quocumque modo, sed vt communicatiuam formaliter non tantùm essentiæ diuinæ, sed etiam spirationis actiuæ: & ex aduerso filiationem respicere Patrem, prout ab eo recipit communicatam non tantùm essentiam, sed etiam spirationem actiuam. Hoc autem est paternitatem, & filiationem opponi sufficienter Spiritui sancto, & nullo modo idoneam esse, vt cum illo identificetur. Etenim si paternitas & filiatio identificaretur Spiritui sancto, posset ipse Spiritus & per paternitatem communicare, & per filiationem recipere vim communicandi spirationem actiuam, qua Spiritus sanctus ipse producitur. Atqui constat quàm sit absurdum dicere, quòd Spiritus sanctus possit aut communicare alteri, aut in seipso recipere talem spirationem actiuam, quâ ipse producitur; cùm illam nec habeat, vt communicet; nec habere possit, vt recipiat. Sic enim producere posset seipsum, essetque antequam esset.

25. Vt hæc difficultas perfectiùs intelligatur ac pleniùs explicetur, considerandum est illorum Authorum, qui censent generationis, & processionis

cessionis principium esse intellectionem & amorem essentialem, quosdam reperiri, qui velint ipsam intellectionem, & amorem ad hoc vt operentur indigere tanquam conditione; illam quidem sola paternitate; hunc verò & paternitate & filiatione. Ita Suares, qui ait intellectionem quidem ad producendum Filium compleri per paternitatis relationem, seu generationem actiuam. Quia non est quicquam præsuppositum, quod adiungi possit tanquam conditio intellectioni fœcundæ, nisi paternitas. Quantùm autem attinet ad amorem, non putat hunc impleri spiratione actiua; quia non vult hanc se tenere ex parte principij, sed ipsam esse tantùm actionem productiuam Spiritus sancti: quare amorem ait compleri per paternitatem ipsam & filiationem, vtpote præsuppositas. Hac doctrinâ suppositâ aduerto facile esse illis qui eam sectantur, reddere rationem, cur paternitas, itemque filiatio spirationi passiuæ opponantur, distinguanturque à Spiritu sancto; quandoquidem, cùm asserant eas se tenere ex parte principij spiratiui, illudque complere; possunt, si velint, in illis agnoscere sufficientem habitudinem & oppositionem ad spirationem passiuam. Quod & illi potiori iure possunt, qui ipsas paternitatem & filiationem dicunt ita complere principium spiratiuum, vt sint eius pars, & habeant verè vim spirandi, producendique Spiritum sanctum. Nihilominus illa philosophandi ratio non videtur admittenda; tum quia ostendimus alibi nec volitionem, nec paternitatem cum filiatione pertinere vllo modo ad principium spirandi; quod in sola relatione spirationis actiuæ consistit. Tum quia ex illa philosophandi ratione sequeretur, non esse idem principium spiratiuum completum in Patre, & Filio; nam solùm paternitas posset complere vim spirandi in Patre, quandoquidem Pater, antequam filiatio concipiatur existere, habet completam vim spirandi. Deinde autem accedens cum paternitate filiatio vim illam in Filio compleret. Atque ita non oriretur Spiritus ex Patre & Filio, tanquam ex vno simplici principio vniformiter completo. Videtur itaque non esse melior ratio explicandi, quomodo paternitas & filiatio relatiuè Spiritui sancto opponantur, quàm ea quæ numero præcedenti à nobis exposita est.

An & quomodo à spiratione actiua, seu vi spirandi paternitas, necnon filiatio distinguatur.

26. Sequitur vt probemus id quod vltimis verbis responsi, *num.* 17. à nobis dati continetur; nempe spirationem actiuam, seu vim producendi Spiritum sanctum non distingui, nisi virtualiter realiter à paternitate, & filiatione. Durandus enim *dist.* 13. *quæst.* 2. tenet contrarium, ibique agnoscit distinctionem realem; & quidem maiorem, quàm agnoscat inter ipsam spirationem actiuam, & essentiam; inter quas tamen agnoscit distinctionem ex natura rei, qualis est inter modum, & rem. Notat verò duplex esse genus distinctionis realis inter diuinas relationes. Prius genus est distinctio secundùm suppositum, seu inducens distinctionem suppositorum; nempe quæ fundatur in oppositione, siue directa, siue indirecta: atque id genus distinctionis est inter paternitatem & filiationem comparatas inter se; quemadmodum

inter ſpirationem actiuam, & ſpirationem paſſiuam; quia illæ omnes directè opponuntur. Eſt item inter paternitatem, & filiationem ex vna parte,& ſpirationem paſſiuam ex alia; quia nempe paternitas, & filiatio habent oppoſitionem cum ſpiratione paſſiua indirectè & comitatiuè. Alterum eſt genus diſtinctionis realis, quod non facit differre ſecundùm ſuppoſitum; hoc eſt non diſtinguit ſuppoſita. Atque huiuſmodi diſtinctionem ait intercedere inter ſpirationem actiuam, & paternitatem ſeu filiationem. Cùm autem dicitur à Patribus, ex oppoſitione ſola oriri diſtinctionem, id intelligit prædictus Author de diſtinctione primi generis, & quæ ſit ſecundùm ſuppoſitum. Durandi ſententiæ fauent Scotus, & Gabriel, diſtinguentes ſpirationem actiuam à paternitate & filiatione formaliter ex natura rei.

27. Ratio cur diſtinctionem huiuſmodi realem agnoſcat Durandus in ſpiratione actiua comparata cum paternitate, & filiatione, eſt primò. Quia non poteſt vna realiter relatio tẽdere ad duos diuerſos terminos. Vnde infert: ergo paternitas & ſpiratio actiua ſunt duæ relationes realiter diſtinctæ; habent enim diuerſos terminos. Idemque dicendũ eſt de filiatione & ſpiratione ipſa actiua. Imò eſt maior vis argumenti, ſi filiationem, quàm ſi paternitatem cum ſpiratione actiua comparemus. Nam paternitas, & ſpiratio actiua reſpiciunt duos terminos, qui ambo ſint producti. At cùm filiatio non reſpiciat terminum productum, ſed producentem, ſpiratio actiua reſpicit è contra, non producentem terminum, ſed productum. Eſt autem impoſſibile; vt relatio, quæ ſit tantùm vna res ſimplex, reſpiciat duos terminos generis diuerſi. Ratio ſecunda pro Durando eſt. Sicut ſe habet paternitas ad filiationem; ſic ſe habet ſpiratio actiua ad ſpirationem paſſiuam. Ergo permutata proportione, ſicut ſe habet ſpiratio paſſiua ad filiationem, ita ſe habet ſpiratio actiua ad paternitatem. Sed ſpiratio paſſiua & filiatio differunt. Ergo, &c. Tertia ratio. Vnum relatiuum non poteſt identificari cum pluribus realitatibus relatiuis. Ergo ſpiratio actiua, quæ eſt vnum relatiuum, non poteſt identificari cum paternitate & filiatione, quæ ſunt duæ realitates relatiuæ. Probatur antecedens. Nam non eſt maior ratio, cur vnum relatiuum identificari poſſit cum pluribus relatiuis; quàm cur vnum abſolutum cum pluribus abſolutis. Atqui vnum abſolutum non poteſt identificari cum pluribus abſolutis, vt conſtat. Ergo, &c. Quarta ratio. Niſi ſpiratio actiua diſtingueretur realiter à paternitate, poſſet dici; Spiratio eſt paternitas: item; Pater ad Spiritum refertur paternitate, ad Filium ſpiratione. Quod falſum eſt. Nam alioqui Filius eſſet Spiritus, vtpote productus per ſpirationem; & Spiritus eſſet Filius, vtpote productus per paternitatem. Quintò denique. Si ſpiratio actiua, & paternitas eſt actu idem, non erunt duæ relationes, ſed vna: atque ita in diuinis non erunt quatuor reales relationes.

28. Sed dicendum eſt, opinionem Durandi eſſe pluſquam falſam. Primò enim certum eſſe debet, ea in diuinis non diſtingui realiter, quæ non habent oppoſitionem originis. Vt enim quæ habent oppoſitionem huiuſmodi, non poſſunt non diſtingui, quantumuis perfecta ſint; ita quæ non illam habent, diſtingui non poſſunt,

possunt, si sunt infinitè perfecta. Nam quando abstrahimus ab oppositione, non possumus distinctionem in alio fundare, quàm in extremorum limitatione. Atqui per se constat, spirationem actiuam non habere oppositionem originis cum paternitate, & filiatione. Non est igitur in illis quicquam quod eas discludat à se inuicem, nisi propria & disparata ipsarum entitas, quæ scilicet limitata sit. Confirmatur. Nam non est alia ratio, cur essentia cum personalitatibus identificetur, quàm quia, cùm infinita sit, non opponitur earum vlli. Confirmatur iterum. Etenim est impossibile, vt plura distincta realiter in diuinis sint in eodem supposito. Ergo cùm spiratio actiua & paternitas sint in eodem supposito, non possunt esse distinctæ. Antecedens probatur. Nam quæ sunt in Deo inter se distincta, subsistunt in seipsis singula; quandoquidem sunt substantiæ completæ, & ab omni imperfectione abstrahentes. Atque hinc oritur potentissimum argumentum. Nam ex dictis apparet Durandum ponere in Deo quatuor personas. Nec satisfacit quod ille respondet, spirationem actiuam non constituere distinctam personam, quia est communicabilis. Peto enim quomodo spiratio actiua communicabilis sit? Vel enim per immediatam entitatem, & sic non differt realiter à paternitate; vel per vnionem, & sic non tollitur inconueniens prædictum. Nam componetur ex duobus suppositis vnum totale suppositum: & sic erunt verè plusquam tria supposita in Deo, destrueturque prætereà simplicitas. Notandumque in capite *Damnamus*, non tantùm quaternitatem personarum damnari, quam & ipse Durandus damnat; sed prætereà illam eandem quam fatetur se tueri, cùm spirationem actiuam à tribus aliis distinguit. Etenim Concilium loquitur absolutè, & satis clarè ostendit, se quaternitatem non personarum tantùm, sed quarumcumque rerum improbare; cùm nominatim eam reiiciat, quæ exsurgeret ex distinctione reali essentiæ; quam constat non esse quid personale.

29. Rationes verò Durandi sunt inualidæ. Ad primam respondeo, nos posse loqui de relationibus, vel formaliter secundùm rationem specificam tendentiæ; vel eas considerando secundùm earum entitatem, & realitatem, quo modo illas hîc consideramus, quando de earum distinctione reali disputamus. Dicendum igitur, quando termini sunt distincti, oportere necessariò multiplicari tendentias, & relationes priori modo, seu formaliter sumptas; quia sic specificantur à terminis. Non est autem opus eas plusquam virtualiter multiplicari posteriori modo sumptas, nisi ita respiciant diuersos terminos, vt sibi sint oppositæ; quo modo filiatio & paternitas realiter & plusquam virtualiter distinguuntur. Et contrà distingui realiter non debent paternitas & spiratio actiua; quia sic diuersos respiciunt terminos, vt oppositionem nullam contrahant. Nec obest, quòd termini, qui respiciuntur, sint toto genere diuersi, vtpote Spiritus sanctus productus, & Pater non productus, qui ab eadem entitate relatiua respiciuntur in Filio. Sic in creatis eadem entitas materiæ primæ est relatio ad Deum, vt creatura; & ad formas, vt potentia. Ad rationem secundam, nego permutari posse illam proportionem. Nam fit transitus à

proportionibus rerum oppositarum ad proportionem spirationis actiuæ, & paternitatis, quæ non sunt oppositæ inter se. Nullius ergo momenti est argumentum illud sumptum ex similitudine extrinseca & impertinente proportionum disparatarum, vt consideranti patebit.

30. Ad tertiam, nego primum antecedens, nec eius probatio est solida. Et dico rationem, cur vnum absolutum non identificari possit in Deo cum duobus absolutis realiter distinctis, hanc esse; quia non reperiuntur in Deo duo absoluta realiter distincta. Nam absoluta nullam possunt habere oppositionem, quæ est fundamentum distinctionis. At verò cùm reperiantur in Deo relatiua plura distincta realiter propter oppositionem, mirum non est si possint identificari cum absoluto, vtpote essentiâ; & cum relatiuo non habente oppositionem, vtputà spiratione actiua. Ad quartam negatur sequela, si sumatur, vt debet, in sensu formali. Nos enim, cùm dicimus spirationem identificari cum paternitate, & filiatione, loquimur de identificatione quoad solam entitatem, & realitatem. Quare spiratio & paternitas ita sunt realiter idem, vt distinguantur virtualiter. Non est autem inconueniens, vt Pater ad Filium referatur ea relatione, quæ entitatiuè sit idem cum spiratione; nec vt Filius producatur per eam actionem, quæ entitatiuè sit spiratio; aut Spiritus producatur per eam actionem quæ entitatiuè sit filiatio: nec inde fit vt Filius sit Spiritus sanctus, aut contrà. Nam vt Filius esset Spiritus, deberet produci per spirationem formaliter vt talem: & vt Spiritus esset Filius, deberet procedere per filiationem item formaliter sumptam. Ad quintam respondendum est ex dictis *cap.2. num.7.*

31. Non obstantibus iis, quæ hactenus contra opinionem Durandi attulimus, dicendum est (vt habetur sub finem responsi nostri, *num.17.*) spirationem actiuam distingui virtualiter realiter à paternitate, & filiatione; eo scilicet modo, quo essentia diuina à tribus personalitatibus distinguitur. Patet. Nam ratione spirationis actiuæ, & paternitatis, seu filiationis conueniunt Patri, & Filio à parte rei contradictoria. Exempli gratiâ, ratione spirationis actiuæ conuenit Patri, vt respiciat Spiritum, & non Filium; ratione paternitatis conuenit eidem respicere Filium, & non Spiritum sanctum. Atque eodem modo Filius respicit Spiritum, non Patrem per spirationem; per filiationem verò non Spiritum, sed Patrem. Item spiratio actiua non prædicatur, sed potiùs negatur de paternitate, seu filiatione; spiratio enim non est paternitas vel filiatio; neque paternitas vel filiatio est spiratio. Prætereà de illis prædicantur opposita; nam paternitas & filiatio sunt incommunicabiles; spiratio autem est communicabilis.

CAPVT IV.

Supponenda præmittuntur aliqua de ratione subsistentiæ, atque personæ.

1. ADuertendum est ante omnia, pro eodem ferè accipi subsistentiam, & hypostasin. Quæ nomina significationem aliquando habent,

bent, velut in concreto, pro iis rebus, quæ naturâ constant per seipsam existente, & affectâ modo quodam ipsam terminante, claudente, & aliquatenus substentante. Atque in illo sensu quidam antiqui Patres, & quædam Concilia dixerunt, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum tres esse subsistentias, tres hypostases, quemadmodum & tria supposita. Secundò tamen prædicta nomina sumuntur pro abstracto, id est, pro ratione formali, quâ subsistens constituitur in esse subsistentis, & quæ præcisè supra naturam substantialem additur. Porrò quando ratio illa formalis naturæ irrationali additur, id quod inde exsurgit totum, vocatur simpliciter *suppositum.* Quando autem additur naturæ rationali, seu intellectuali, id quod ex ea compositione existit, vocatur *persona.* Et ex Boëtio definitur, *Substantia indiuidua naturæ rationalis.* Vbi vox (*indiuidua*) sumitur pro *incommunicabili.* Si quis autem velit definitionem, quæ conueniat omni supposito, etiam irrationali; dicat, *Suppositum esse substantiam indiuiduam cuiusque naturæ, siue rationalis, siue irrationalis.*

2. Non attinet immorari nos hoc loco in exponenda generali subsistentiæ, suppositique ratione, & veteri recensenda contentione circa distinguendam, aut confundendam personæ, hypostaseosque significationem, Patres inter Græcos à triplicis personæ, & Patres inter Latinos à triplicis hypostaseos nomine abhorrentes exhortâ. Quæ tandem contentio, vt testatur Nazianzenus, ab Athanasio sedata est, docente eandem esse personæ in Latina lingua, & hypostaseos in Græca significationem; & perinde tres dici posse in Deo hypostases, ac personas. Quo modo valuit Meletij Antiocheni Episcopi, & aliorum ferè Græcorum authoritas supra Paulini (Antiocheni pariter Episcopi) sententiam, cui cum Hieronymo Latini Occidentales initio adærebant. Atque sic receptum est deniquè, vt pro eodem persona, & hypostasis promiscuè sumerentur. Exactam de illa inter Latinos Græcosque contentione, & de toto vniuersim subsistentiæ genere tractationem nos hîc eò libentiùs omittimus, quòd in libro quarto de Incarnatione, *cap.* 1. fusiùs & accuratiùs quæ sit formaliter subsistentiæ, quæ personæ ratio indagauerimus. Quem locum si quis consulat, inueniet subsistentiam seu personalitatem in creaturis nequaquam esse modalem quandam entitatulam realiter à substantiali natura distinctam; sed in sola substantiæ totalitate consistere, per quam totalitatem res seorsim, & sui velut iuris, ac nominis consideretur; non ad aliud pertinens, sed tanquam omninò sua. Quomodo ex Conciliis, ac Patribus, & nominatim ex Cyrillo explicatur optimè humanitatem in Incarnatione, postquam cœpit ad Verbum Diuinum pertinere, & facta est velut aliquid illius, non potuisse personam esse ab ipso Verbo distinctam. Quod Paschasius Diaconus *librô* 2. *de Spiritu sancto*, *cap.* 4. bellissimè sic exponit. *Dei quidem & hominis*, inquit, *duplex substantia est; sed tamen vna persona. Quamobrem? Quia dum formam serui accipiens famulo Deus iungitur, minoris humilitas intra reuerentiam maioris absconditur, & superioris lumine exinanita consumitur. Quia persona personam consumere potest, substantia substantiam consumere non potest; siquidem persona res iuris est;*

substantia

substantia res natura. Vbi notandum est, cùm dicitur personam esse rem iuris, id intelligi debere de sola creata persona, vtpote consistente in eo totalitatis modo; qui, cùm nullam entitatem supra substantiam, seu naturam adiiciat, solùm id ipsi naturæ dat vt per seipsam separatim, ac seorsim existat, sui quasi iuris; atque vt suo nomine agat, habeat, patiatur, &c. ita vt eius actiones, &c. verè sint eius, & non alterius, sub cuius iure ipsa sit per aliquam physicam vnionem. Porrò licèt à Iurisconsultis, & prophanis authoribus nomen personæ vulgò vsurpetur ad significandas accidentales quasdam conditiones, seu qualitates, & functiones, quomodo personam Regis aut aliam quamcumque personam honoratam dicimus; existimandum tamen non est hanc personæ vocem accidentale tantùm aliquid sonare; significat enim aliquid verè substantiale, vt indicatur expressè à Boëtio, cùm personam definiuit, *Rationalis naturæ indiuiduam substantiam.*

4. Quam definitionem Laurentius Valla improbat dum supra literatorem grammaticum sapiens contendit personam non esse substantiam, sed substantiæ qualitatem: nec dubitat, exerens se vltra crepidam sutor, argumentum ex Theologia ἀπειρόπως assumere, quasi in Deo substantiam triplicem dicere nos opotteret, si persona substantiale aliquid foret. Sed ex iis quæ mox numero sequente dicemus, intelligetur (quod ex Ciceronianis epistolis eruere Valla non potuit) quàm sit aliter de increatis personis, ac de creatis philosophandum; & quomodo possit Deo accommodari Boëtiana definitio personæ. Porrò quod ad etymon notationemque personæ attinet, idem Boëtius asserit (vt ante illum Gellius *lib. 5 c. 7.*) eam vocem à theatris sumpsisse originem, in quibus introduci solebant ficti hominum vultus, seu laruæ, quas antiqui à personando (productâ secundâ syllabâ) dixère personas; quoniam laruarum concauitate amplificatur, & velut boantum editur sonus; à quibus itidem laruis personas Græci πρόσωπα nominarunt; quia scilicet eæ πρὸς τὰς ὦπας τίθενται.

5. Vt de personis speciatim diuinis capite sequenti disputari queat, & viam nobis ad id præstruamus, supponendum est non eandem, sed longè diuersam esse subsistendi rationem in diuinitate, & in naturis creatis. Hæ siquidem postquam supponuntur essentialibus suis perfectionibus instructæ, possunt in illis sistere, & manere incommunicabiles seorsim ab alio, quod eas fulciat, ac sustentet. Atque hoc ipso, quòd separatim & solitariè intra seipsas existant, concipi possunt subsistere. At Deus naturam talem habet, vt nequeat solis contenta essentialibus in semet incommunicata permanere, sed propter suam infinitatem debeat necessariò terminari, sustentarique relatiuâ subsistentiâ, quæ vltra essentiam sit res quædam substantialis, physicè quidem improducta in Patre, & quæ à diuinitate immediatè per metaphysicam oriatur velut emanationem, dicaturque paternitas, ipsi quidem naturæ identificata realiter, & entitatiuè, sed per rationem virtualiterque distincta. Deinde verò eadem natura diuina, ob supereminentem infinitatem, intra vnicum non potest se continere suppositum. Quare ad alias duas processione physica productas hypo

hypostases se extendit. Vnde adorandum ὑπερθὲν mysterium Trinitatis existit; in quo realis numerus in vnitatem contrahitur, ac velut ἀνακεφαλαιοῦται, vt loquitur Nazianzenus, & vnitas inuiolata in realem numerum se porrigit. Sicque incomprehensibili paradoxo, nulla inter numeri multiplicationem discretam, vnitatisque simplicitatem distinctio entitatiua intercedit.

6. Quod tam sublime sacramentum (cùm omnem creatæ intelligentiæ vim notionemque superet) ab aliquibus ita concipitur, quantum ad personæ nomen spectat, vt dicendum existiment, Patrem, Filium & Spiritum sanctum distinctos realiter à se inuicem, vnicam esse personam, licèt eorum quisque particulariter sumptus dici debeat vera persona; ad eum nempe modum, quo asserimus Patrem esse Deum, Filium Deum, Spiritum sanctum Deum, & tres illos simul vnicum esse Deum. Hac in re mirum est Augustinum ita sensisse *lib.7. de Trinitate, c.6.* & personam existimasse *ad se dici, non autem ad alterum*, hoc est, esse quid absolutum, non relatiuum. Idque his verbis explicat: *Quia si persona relatiuè dicitur, eodem modo dicendum erit tres personas, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, quemadmodum dicuntur aliqui tres amici, aut tres propinqui, aut tres vicini, qui sunt ad inuicem (hoc est relati:) quapropter quilibet est amicus duorum cæterorum, aut propinquus, aut vicinus. Quid ergo non placet vt dicamus, Patrem personam esse Filij, & Spiritus sancti? aut Filium personam esse Patris, & Spiritus sancti? aut Spiritum sanctum personam esse Patris, & Filij? Ad se quippe (hoc est, absolutè) dicitur persona, non ad Filium vel Spiritum sanctum; sicut ad se dicitur Deus, & magnus*, &c. Dixerat verò antea cap.4. *Catholicos, vt exprimerent quod de Deo Creatore suo per piam fidem tenebant, timuisse quidem dicere tres essentias, ne intelligere putarentur in illa summa æqualitate vllam diuersitatem: rursus, ne viderentur negare cum Sabellio esse tria, illos quæsiuisse quomodo tria dicerent; itáque dixisse personas. Quo nomine non diuersitatem intelligi voluerunt, sed singularitatem noluerunt.* Quod est dicere Catholicos (iuxta Augustinum) ne singularitatem, aut diuersitatem viderentur excludere, neutrum disertè asserere voluisse. Magister *in 1. sententiarum*, hanc doctrinam sequitur, & explicat eodem modo ferè, quo ipse Augustinus. Addit prætereà, etsi verum sit nomina, quæ essentiam aut aliquid ad eam pertinens significant, non multiplicari in Trinitate, nec pluraliter, sed tantùm in singulari numero prædicari; iuxta quam legem vna tantùm persona dici in Trinitate deberet; ab ea tamen lege hoc nomen personæ excipi, & (quasi relatiuum esset) pluraliter de Patre, Filio, ac Spiritu sancto prædicari. Sed id, quàm gratis circa hoc personæ nomen asseritur à Magistro, tam facilè à nobis negatur. Verùm omissis quæ in hanc rem tùm Magister, tùm Fulgentius, tùm Hugo Victorinus, tum alij citati à Petauio, tùm ipse etiam Petauius *lib.4. cap.11.* nec necessaria, nec sufficientia attulerunt, videndum quomodo explicari possit Augustinus, & quid sit hac in re sentiendum.

7. Dicere hîc posset aliquis, Augustinum supponere non importari relationem in ratione personæ sumptæ præcisè, & prout Boëtiana definitione vulgò dicitur esse, *Indiuidua*

rationalis naturæ substantia. Et sanè quis agnoscat in ea definitione relationem aliquam contineri? Et cùm dico, *Petrus est persona*; quis intelligat significari Petrum esse vel Patrem, vel Filium, vel aliquid huiusmodi relatiuum? Ergo cùm dicimus Deum esse personam, non videtur prædicari quippiam relatiuum, nisi quatenus aliunde supponitur indiuiduæ illi substantiæ increatæ adiunctam esse, verbi causâ paternitatis, seu filiationis, seu processionis relationem, sine qua non posset multiplex esse persona diuina, cùm in Deo cuncta sint idem, quæ relationem non habent. Et sanè quemadmodum in creatis substantia niuis, &c. per se simpliciter est aliquid absolutum, & nisi addita illi esset albedo, accidentalisque relatio, non posset dici esse similis lacti; sic diuina persona nisi adiunctam haberet paternitatem, quæ est extra rationem personæ, non videtur posse esse relatiua, nec per consequens multiplicabilis intra ens increatum, in quo omnia sunt idem, vbi relatio non inducit distinctionem, seu multiplicitatem; nec ea quæ absoluta sunt, habent, sicut creaturæ, vnde distinguantur. Itaque videtur conceptum vniuersalem & abstractum ex tribus personis diuinis, quatenus præscindit à relatione, non posse intra Deum multiplicari; posse tamen dum contrahitur per differentias relatiuas. Quomodo autem tres ipsæ personæ, etiam contractæ per differentias vltimas relatiuas, dici possint vnum quid esse, docet Nazianzenus *oratione* 37. his verbis: *Ad vnum omnia referuntur, etsi tria sint; atque indiuidua in diuiduis, vt vno verbo dicam, est diuinitas.* Ἀμέριστος ἐν μεμερισμένοις, εἰ δεῖ συντόμως εἰπεῖν, ἡ θεότης.

8. Id quod iam in explicationem mentis Augustini allatum est, non debet admitti, quatenus personam (quam supponit in diuinis esse quid absolutum) rationem relatiui asserit propterea contrahere, quia cum paternitate, filiatione, & processione identificatur. Hinc enim sequeretur debere pari ratione concedi naturam ipsam diuinam, intellectum, &c. contrahere rationem relatiui: & similiter posse dici tres naturas diuinas, tres intellectus, &c. quandoquidem realiter identificantur cum paternitate, aliisque duabus relationibus. Quod tamen fides Catholica non patitur. Dicendum itaque (quicquid sit de conceptu generalissimo personæ, prout abstrahit à ratione creati & increati) conceptum personæ increatæ consistere formalissimè atque simpliciter in relatione. Quare non indentificatur paternitati, filiationi & processioni eo modo, quo natura & intellectus, &c. tanquam extrinsecis & per rationem aduenientibus, ac adiunctis; sed tanquam primariis suis rationibus. Nec enim personæ diuinæ sunt aliud, quàm ipsa paternitas, filiatio, & processio, vt ostenditur capite sequenti. Vnde fit sententiam Augustini in præsenti quæstione facilem explicatum non habere.

9. Si natura diuina posset existere solitaria, & separata ab omni perfectione relatiua, ita vt nihil haberet, aut esset apta habere aliud, quàm prædicata essentialia, dubium non est, quin illo in statu separationis ab omni alio ipsa foret aliquod totum, & sufficienter completa, vt diceretur esse persona absoluta, quæ plusquam vna esse non valeret; neque posset dici communicabilis durante illo totalitatis statu, seu modo,

(quia

(qui positiuus esset.) Verumtamen natura diuina non ita se habet, nec habere potest. Certum enim est ex reuelatione ipsam communicabilem esse, & non posse existere nisi in actuali communicatione & coniunctione cum aliquo alio realiter indistincto, quod sit entitas virtualiter distincta, & formaliter relatiua. Illud verò subsistit ipsum, & facit in seipso naturam diuinam subsistere.

10. Vbi notandum est, hypostasin diuinam sic facere cum natura vnam personam; vt tamen propterea non reddat ipsam naturam incommunicabilem. Nam dum hypostasis Verbi terminat, ac suo modo sustentat humanitatem, relinquit illam adhuc terminabilem vlteriùs per hypostasin Patris, ac Spiritus sancti; ita vt simul & in Verbo, & in aliis personis diuinis vna & eadem humanitas subsistere possit. Quo etiam modo diuinitas sustentata per vnam hypostasin, putà Patris, non desinit vlteriùs esse communicabilis aliis simul duabus hypostasibus increatis. Qualem communicabilitatem tollit omnino hypostasis ea, quæ creaturis est connaturalis. Nam hæc in ea totalitate consistit, quæ perdatur hoc ipso, quòd natura alicui alij subsistentiæ vniatur. In aliquo tamen sensu incommunicabilitatem affert omnis hypostasis diuina. Quandoquidem enim ipsa incommunicabilis est, hinc fit, vt cùm naturæ, seu diuinæ per connaturalem indentitatem, seu humanæ per vnionem hypostaticam adiungitur, faciat vt natura, quatenus terminata, seu sumpta cum ea sua simul hypostasi, communicari non possit vlli vlteriori hypostasi. Nam sic hypostasis hypostasin assumeret; licèt eadem natura sumpta absolutè & secundum se, postquam vnam habet hypostasin, alteri & tertiæ insuper vniri possit.

CAPVT V.

In quonam positiuo consistat increata personalitas.

1. ADuertendum est, positiuum illud, in quo personalitas diuina consistit, vocari vulgò à Theologis proprietaté personalem. Quamuis enim proprietatis nomine intelligi laté posset quicquid non est commune omnibus tribus personis, quo modo spiratio actiua propriè Patri, Filioque conuenit cum exclusione Spiritus sancti. Tamen strictè proprietas hîc sumitur pro eo positiuo, quod vni tantùm personæ conuenit. Dixi *positiuo*; quia si quod vni personæ competit, sit aliquid negatiuum, non comprehenditur nomine proprietatis. Atque ita innascibilitas vni competens Patri non numeratur inter proprietates, cùm de formali tantùm dicat negationem; numeratur tamen inter notiones, vt videbitur *capite* 7. quia nobis ad cognoscendum Patrem deseruit. Nos enim diuina per negationes faciliùs concipimus. Tres igitur dumtaxat sunt in Deo proprietates personales; & quidem non aliæ quàm ipsæ subsistentiæ, & singularum personarum constitutiuæ rationes.

2. Porrò dico tres illas proprietates, seu subsistentias aliud esse nihil, quàm tres relationes Patris, Filij, & Spiritus sancti. Licèt contrarium vt probabile defendere voluerit Scotus; quasi nimirum personæ diuinæ ali-

quid sint absolutum & relationes habeant, non vt illis personaliter constituantur, sed tantùm vt referantur. In quo secutus est Ioannem de Ripis *in 1. dist. 26. & 27.* propter rationes, quæ infrà in obiectionibus proponentur. Sed fallitur vterque. Indubitatum enim est, nullas esse in Trinitate proprietates absolutas, & personas relationibus constitui, ac distingui. Nam Scriptura personas significat iis solis nominibus tanquam propriis, quæ relationem vel originem importent Patris, Filij, & Spiritus sancti. Concilia verò docent personas per proprietates personales distingui, quatenus vna est Pater, hoc est, relationem habet Patris; & altera Filius, &c. Ita postquam Lateranense capite *Firmiter*, nominauit Patrem, Filium, & Spiritum; subiungit *Trinitatem esse discretam per proprietates personales*; illas scilicet easdem, quas nominibus relatiuis significauerat. Et Florentinum *sess.* 18. sic ait: *Relatio apud omnes, tam Græcos, quàm Latinos Doctores, personas multiplicat.* Et multis antè sæculis Toletanum 11. disertè docuerat his verbis: *In relatione numerus cernitur, in substantia non inuenitur.* Vbi satis ostendit, nominando relationem, & substantiam, nihilque addens insuper, se nihil aliud in Deo agnoscere. Vnde exclusiuè concludit: *Ergo hoc solo numerum insinuant, quòd ad se inuicem sunt; & in hoc numero carent, quòd in se sunt.*

3. Idem sumitur ex Patribus. Ait enim Augustinus *lib. 5. c. 1.* de Patre & Filio loquens: *Quicquid ergo ad se dicuntur, non dicitur alter sine altero*; hoc est, quicquid in iis absolutum est, vtrique commune est. Et passim, cùm de Trinitate agit, docet in Deo non esse nisi substantiam & relationem; quicquid verò ad se, & non ad aliud dicitur, ad essentiam pertinere. Idem habent Ambrosius *lib. 1. de fide, c. 1.* & Hieronymus *in expositione symboli, ad Damasum.* Et Boëtius *lib. de Trinitate*, ait, *Relatione multiplicari Trinitatem.* Damascenus *lib. 1. de fide, c. 11.* disertè ait; *Vnum Deum agnoscimus. In solis autem proprietatibus, nimirum paternitatis, filiationis & processionis, atque quantum ad causam, & ea quæ à causa proficiscuntur, ac personæ perfectionem, existendi modum, discrimen agnoscimus.* Atque ex eo, quòd Sancti Patres tam constanter pronunciarint, personas non nisi relatione distingui, ortum est illud inter Theologos communissimum axioma: *In Trinitate omnia esse vnum, vbi non obstat oppositio relationum.*

4. Nec dicas personas ex sanctis quidem Patribus ab inuicem per relationes distingui; verumtamen inde non sequi, quòd per relationes etiam constituantur; propterea quòd non est in diuinis idem principium constitutiuum & distinctiuum, vt videre est in Patre, qui paternitate; & in Filio, qui filiatione constituitur; & tamen nec Pater paternitate, nec Filius filiatione distinguitur ab omni re, quæ non est ipse. Non enim paternitas aut filiatio distinguit à Spiritu sancto, sed tantùm spiratio actiua, cùm per hanc solam possit esse oppositio, & respectus ad Spiritum sanctum. Vnde si hæc à Filio tolleretur, hoc est si Filius non spiraret, censeretur Filium non habiturum ex sua filiatione distinctionem à Spiritu sancto. Ita multi Thomistæ, & cum iis Vasques *disp. 147. cap. 7.* qui reddit hanc rationem, quòd cùm paternitas & filiatio non constituant reali constitutione

tutione personas, sed tantùm per rationem, æquum non est, vt eas realiter distinguant; satis enim est, si per rationem, & eo modo, quo constituunt, distinguant: ergo si Pater, & Filius distinctionem à Spiritu sancto realem habent, habent aliunde, nempe à spiratione actiua. Nec tamen ea realis distinctio est tantùm accidentaria Patri & Filio, etsi spiratio actiua nostro modo intelligendi adueniat personæ, cùm Patris, tùm Filij, iam constitutæ in priori per paternitatem, & filiationem. Sic enim aduenit, vt propterea non desinat esse substantialiter ipsa paternitas, & filiatio secundùm rem. Quare potest substantialiter introducere distinctionem secundùm rem.

5. Respondendum est, fieri non posse, vt aliquid intrinsecè, & secundùm suam entitatem ab aliis distinguatur per eam formam, per quam non constituitur; aut vt constituatur per eam, per quam non distinguitur. Vnde nihil est quod non constituatur per differentiam aliquam, eo modo, quo homo per rationale, & omnia indiuidua per differentias indiuiduales. Nam quod rem constituit in sua entitate, constituit etiam in sua vnitate; quia ens & vnum, idem sunt. Res autem ex eo habet vnitatem propriam, quòd est indistincta in se, & distincta à qualibet alia. Ergo principium constitutiuum rei est etiam distinctiuum à qualibet alia. Quæ ratio vniuersalis est, & valere potest tam in diuinis, quàm in creatis; & tam in relatiuis, quàm absolutis. Nec obest quòd in diuinis non sit realis constitutio. Nam licèt constitutio, quatenus dicit coniunctionem plurium, & quandam compositionem, non sit in Deo, nisi per rationem nostram; tamen quatenus abstrahit ab illo imperfectionis modo, quo à nobis concipitur, & solùm dicit formam intrinsecam ipsius rei (quomodo dici posset res quædam simplicissima constitui seipsa, seu constare seipsa) eatenus, inquam, semper verum est, omnia per id distingui, per quod constituuntur; ac per consequens quemadmodum Pater, quà Pater, constat paternitate; & Filius, quà Filius, filiatione, sic etiam per eandem, quà Pater & quà Filius ab eo omni quod Pater aut Filius non est, distinguuntur. Et quidem apertè docet Lateranense II. cap. *Firmiter*, Patrem, & Filium distingui à Spiritu per proprietates personales; eæ autem aliæ non sunt, quàm paternitas, & filiatio. *Hæc sancta Trinitas*, inquit, *secundùm substantiam vna, & secundùm personales proprietates discreta.*

6. Dubium igitur non est, quin ex Sanctorum Patrum sententia personæ diuinæ, vt solis relationibus distinguuntur, ita & iisdem constituantur. Et sanè cùm ipsi Sancti Patres id omne quod absolutum est, & quod ad aliud non dicitur, affirment pertinere in Deo ad essentiam, & esse tribus commune personis; clarum est ex eorumdem sensu nihil absolutum posse personas, quà tales, constituere. Principium enim, quod constituit rem aliquam, non potest esse id, quod illi commune est cum aliis; sed debet esse proprium, cùm determinet illam ad tale esse. Atque ex dictis habemus positiuum illud, in quo personalitas diuina consistit, siue proprietatem personalem in Deo non posse esse aliud, quàm relationem eam, quæ non sit pluribus communis, nempe paternitatem, filiationem, & spirationem passiuam. In

quo autem diuina relatio consistat, & quid importet, dictum est cap. superiori, & intelligetur meliùs ex dicendis ad obiectiones Scoti.

7. Videtur aduersari præcedenti doctrinæ Bonauentura *in* 1. *dist.*26. *q.*2. & *dist.*27. cùm docet, personas diuinas constitui, & distingui originibus, non autem relationibus. Fundatur, quia in personis nihil est proprium nisi origo, & relatio: ergo alterutrum debet personas constituere. Atqui non relatio, quandoquidem hæc non est prima ratio, quæ concipitur in personis. Prius enim origo supponitur, quàm relatio; imò illa est fundamentum istius. Propterea enim Pater refertur, quia originat, ac generat filium. Respondeo argumentum Bonauenturæ non posse valere, nisi contra illos, qui relationem distingunt omnino ab origine, tanquam aliquid posterius, & ab hac resultans. Nos autem non ita de relatione diuina philosophamur. Relationem enim volumus, in Patre quidem & in Spiratore esse ipsam fœcunditatem, provt existentem in actu, tùm primo, tùm etiam secundo: in personis autem procedentibus esse proprietatem provt actu productam, & respicientem transcendentaliter, & quidditatiuè suum principium actuale, ad eum ferè modum, quo ens creatum dependentiam habet essentialem & quidditatiuam à prima causa semper influente. Hac autem posita philosophandi ratione, nihil vrget argumentum Bonauenturæ, dicimus enim in Patre quidem (in quo est præcipuè difficultas) originem esse à fœcunditate generatiua, quæ concipitur in aliquo priori, & est proprietas seu relatio personalis; quæ tamen per adiunctam posteà originem (vtpote & ipsam relatiuam ac pertinentem ad Patrem, quatenus à Filio distinctum) debet compleri; non enim posset absque ipsa origine constituere plenè paternitatem, Patrisque personam; Pater enim non concipitur integrè Pater, nisi habeat Filium. Atque eodem proportionaliter modo dicendum est de fœcunditate spiratiua comparata cum spiratione actuali; etsi nec fœcunditas ista, nec spiratio personam constituat. In aliis autem duabus personis non est inconueniens, quòd origo passiua, per prioritatem à quo præsupponatur relationibus seu proprietatibus productis; à quibus tamen seiungi non debet ipsa origo passiua, vt pariter cum illis possit constituere rationem personæ, non habens per se rationem satis completam entis, seu rei. Vnde vides, non debere originem omninò distingui à relatione, & huic in omni persona præsupponi. Qui eodem modo, quo Bonauentura illam distingunt ac præsupponunt, vt Sanctus Thomas & alij, non paruam patiuntur difficultatem ex ipsius Bonauenturæ argumento, quoad primam personam: & coguntur fateri Patris relationem existere; quà relationem quidem, posteriùs origine, vtputà ab hac resultantem; quà proprietatem verò personalem, eâdem priùs, vtputà constituentem personam, à qua est origo. Quod est dicere eandem entitatem existentiam dare origini, & existentiam accipere ab origine; atque ita existere priùs seipsa. Vide Suarem *lib.*7.*cap.*6.

8. Obiicit Scotus, vt contra nostram doctrinam probet personam in diuinis non posse constitui relatiuo. Persona in priori, quàm concipi possit relatio existere, est persona. Ergo non

non potest constitui in esse personæ per relationem, sed tantùm per aliquid absolutum. Antecedens probatur. Nam relatio Patris fundatur in generatione, neque concipi potest existere nisi postquam prima persona generauit; propterea enim Pater refertur ad Filium, quia eum generat. Atqui priusquam prima persona generet, est constituta in esse personæ; prius enim debet habere suum esse, quàm operari; & generatio non est nisi à persona; non enim ab essentia, cùm hæc non generet. Hic discursus non valet nisi in prima persona: quod autem attinet ad Filium & Spiritum sanctum, alia sic formari potest obiectio. Quemadmodum in creatis non est per se motus ad relationem, ex Aristotele: ita nec in diuinis ad eam est per se productio. Ergo generatio Filij & productio Spiritus sancti primò intelligitur terminari ad talem personam, vt in se constitutam; deinde verò resultare Filij relatio. Confirmatur. Nam relatiuum non potest ad aliud formaliter relatiuum terminari, sed ad absolutum: quare Pater respicit Filium priùs constitutum proprietate absoluta, quàm intelligatur esse Filius. Et è contra Filius Patrem respicit vt constitutum ea proprietate absoluta, quæ præsupponitur paternitati; alioquin & Pater per Filium, & Filius per Patrem deberet definiri; atque ita nugatorius committeretur circulus, dum lucem ab eo acciperet, quod lucem non haberet nisi ab illo ipso. Obiicit præterea idem Scotus. Ratio constitutiua vnius personæ debet esse de se incommunicabilis alteri personæ, vt euidens est, alioqui confunderentur personæ. Atqui relatio (verbi gratiâ paternitas) non est incommunicabilis quantum est de se, vt patet ex eo quòd, si per incompossibile processio per voluntatem esset prior quàm processio per intellectum, paternitas esset communis Patri & Spiritui sancto.

9. Respondeo nullam esse difficultatem ex prima obiectione in nostra doctrina; quæ asserit relationem Patris non esse aliquid posterius origine, aut in hac fundatam; sed esse ipsam fœcunditatem, & fontalem plenitudinem, vt Bonauentura loquitur, seu potentiam generatiuam prout actu generantem, vt paulò ante dicebamus respondendo ipsi Bonauenturæ. Quare negatur antecedens, & eius probatio. Pater enim in priori quàm generet, habet fœcunditatem, quæ est relatio transcendentalis ad Filium generandum; hoc autem ipso quod generat, completur relatio Patris, & concipitur respicere Filium vt actu existentem. In illa autem completa relatione Patris consistit complementum personæ; quæ scilicet in sua fœcunditate & actuali generatione subsistit, & eatenus ipsa generatio non est nisi completæ personæ. Qui aliter de relatione Patris philosophantur, magnam patiuntur in hoc Scoti argumento difficultatem, vt videre est apud Vasquem *disp.* 159. & apud Suarem *lib.* 7. *cap.* 5. *num.* 11. *& sequentibus*.

10. Ad obiectionem de Filio, & Spiritu sancto dicendum est, quòd in creatis, licèt non detur motus ad relationem prædicamentalem, quia hæc vel nihil est in re actuale, vel est aliquid non per se intentum, sed resultans ex fundamento; datur tamen motus, & actio ad relationem transcendentalem. Quid enim aliud sunt formæ physicæ, tùm accidentales, tùm substantiales, quàm relationes quædam

quædam transcendentales, seu entia essentialiter relata? Certum verò est, dari ad huiusmodi formas actionem, motum, seu mutationem. Dico verò diuinas relationes non esse relationes quasi prædicamentales, sed esse verè transcendentales. Præterea non valeret consequentia à rebus creatis ad diuinas propter infinitam disparitatem. Atque hinc patet responsio ad confirmationem. Nam quicquid sit de aliis relatis, non repugnat relata transcendentalia terminari ad alia transcendentalia relatiua formaliter. Sic materia respicit formam, cuius tota essentia est ad materiam ipsam. In diuinis autem Pater, & Filius non sunt tantùm prædicamentalia relata, sed transcendentalia, vt sæpè dictum est. Ad vltimam obiectionem dico, relationem omnem personalem ex proprio conceptu esse incommunicabilem eo ipso quòd subsistens relatiuè est; imò iuuatur incommunicabilitas per esse relationis, vtpote importantis oppositionem. Ad suppositionem autem impossibilem responderi posset, non esse mirum, si ex vno impossibili alterum sequatur impossibile. Secundò negandum est, paternitatem in tali casu fore eandem, quæ iam est. Nec enim foret proprietas personalis, sed se haberet vt iam spiratio actiua.

11. Obiici denique potest, non apparere, quomodo relatio possit esse ratio subsistendi. Subsistentiæ enim conceptus videtur repugnare relationi, cùm illa rem faciat sistere in seipsa, & per se consistere; hæc autem tota sit ad aliud, & rem faciat velut extra se ferri. Adde quòd, si personalitas esset relatio, & persona vt sic formaliter diceret aliquod relatiuum: ergo idem esset dicere Patrem, ac dicere personam: ergo quemadmodum Pater dicitur Filij Pater, posset item dici persona Filij. Respondeo quòd quemadmodum relationes accidentales in creatis ita habent totum suum esse *ad aliud*, vt etiam habeant illud ipsum totum esse *in subiecto*, nec ratio essendi *ad*, impediat rationem essendi *in*; imò nec ab hac præscindi possit. Sic relationes diuinæ, quæ non accidentales, sed substantiales sunt, dum habent totum esse *ad aliud*, habent etiam illud suum esse totum, *consistens in seipso, & per se stans*: ita vt ratio essendi in seipso, & *per seipsum standi*, præscindi non possit ab eo, quod est *esse ad*; nec illæ duæ rationes vllo se modo impediant. Atque ita non deest in relationibus diuinis, vnde possint esse subsistentiæ & principia constitutiua personarum. Sanè materia prima est prima basis, & imum sustentaculum totius naturæ, in quo formæ per inhæsionem fulciuntur; & tamen constat essentiam ipsius materiæ primæ aliud nihil esse, quàm relationem transcendentalem, cuius totum esse est esse ad formas. Ad id, quod addebatur in obiectione, dico, licèt Pater diuinus, quatenus est Filij, & secundùm quod respicit Filium, sit persona; tamen ex duabus rationibus, quæ in relatione diuina reperiuntur, nempe essendi *per se, ac in seipso*, & essendi *ad aliud*; terminus hic (*persona*) dicit expressiùs priorem rationem, in qua non explicatur respectus ad Filium; & propterea Pater sub hoc nomine *persona*, non debet dici esse Filij, nec benè aliquis illum diceret esse personam Filij. At verò terminus *Pater*, dicit expressiùs rationem posteriorem, in qua explicatur tendentia ad Filium; quare meritò dicitur Pater esse filij Pater.

CAPVT

CAPVT VI.

An tres personæ diuinæ habeant aliquam absolutam, & essentialem subsistentiam.

1. FVerunt nonnulli, qui negarent aliam esse in Deo subsistentiam, quàm absolutam, & communem tribus personis. Quare personales relationes dixerunt non esse subsistentias, sed tantùm esse tria complementa naturæ, vel tres personalitates, aut tres modos incommunicabilitatis, quibus constituitur & contrahitur natura, seu eius subsistentia ad rationem personæ. Ita Durandus *in 1. dist. 26. quæst. 1. num. 6.* & *in 3. dist. 1. q. 1.* vbi ait differentiam esse inter suppositum diuinum, & creatum in eo, quòd diuino supposito alia est ratio subsistendi, & alia ratio suppositi. Cùm enim illa sit commune quid & absolutum, hæc est proprietas relatiua, quâ vltimâ natura redditur incommunicabilis; supposito autem creato eadem est ratio subsistendi, & suppositi. Ratio est, quia subsistentia est perfectio simplex; nulla autem relatio est perfectio simplex, alioqui reperiretur in vna persona simplex quædam perfectio, quæ non esset in alia. Sunt tamen, qui cùm non audeant negare tres subsistentias relatiuas, existiment præter eas quartam aliam esse subsistentiam absolutam & communem tribus, eamque vocant essentialem; tres autem alias appellant personales. Hæc est doctrina Caietani *q. 29. art. 4.* & *q. 39. art. 4.* necnon *in 3. p. q. 2. art. 2.* & *q. 3. art. 2.* Idem tenet Suarez *lib. 4. c. 11.* & *in tractatu de Incarnatione, disput. 11. sect. 3.* qui putat eam esse communem sententiam, & multos pro ea citat. Fundamentum est idem quod superioris sententiæ; nimirum, quia subsistere est perfectio simplex, & pertinens ad summam perfectionem intrinsecam entis. Ergo includitur formaliter in conceptu essentiali diuinitatis, atque adeò est absoluta.

2. Hæc autem perfectio, seu substantia absoluta nihil est præter existentiam ipsam essentiæ, provt completam, & infinitè perfectam; dicitque præcisè, vt censet. Suares, perseitatem essendi, quæ ex proprio conceptu non postulat omnimodam incommunicabilitatem, sed tantùm illam, quæ est ad rem aliquo modo distinctam à parte rei, vt in illa, vel per illam sustentetur. Quo modo humanitas Christi abstractè concepta, non est per se existens; quia vt sic est apta vniri alteri distincto realiter, à quo sustentetur. Vnde etiam illi vnita, non fit ipsa propriè intrinsecè subsistens, sed est potiùs inexistens Verbo, quod propriè in ipsa subsistit, seu ipsa persona existens ex humanitate & Verbo, subsistens est ratione solius subsistentiæ Verbi. Diuina autem natura ex eo quod habeat subsistentiam absolutam, negari debet esse alteri distincto communicabilis, sed communicatur per summam realem indistinctionem relationi; non quia indigeat relatione, vt ab ea sustenteтur (satis enim ipsa se sustentat, cùm per se existat;) sed solùm vt propter infinitam fœcunditatem suam se illi communicet, & in ea sortiatur nouam, & incommunicabilem subsistentiam. Hæc ferè Suares *illo cap. 11.* ex quibus formari potest hoc nouum

argumentum ad probandam essentialem subsistentiam. Nam diuinitas, vt contradistincta à relationibus, habet eam incommunicabilitatem, quam non habet humanitas abstractè concepta, nempe vt non possit communicari alicui realiter distincto, vt ab hac sustentetur. Ergo, &c.

3. Propter illam verò vnam & communem omnibus personis subsistentiam fit, vt facilè intelligatur, quomodo tres personæ sint verè, ac propriè vnus Deus, seu vnus subsistens communiter in deitate. Nam subsistentiâ communi positâ, hoc subsistens in Deitate est hic Deus, qui propriè dicitur Deus Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Vnde argumentatur Caietanus ad probandum prædictam subsistentiam. Necesse enim est fateri vnum Deum in concreto præintellectum tribus personis, qui dicitur creans. Concretum autem semper significat, aut connotat subsistentiam. Ergo necesse est concedere vnam subsistentiam præintellectam personis. Hoc verò indiuiduum Caietanus *quæst.* 39. *art.* 4. appellat semipersonam; qui etiam 3. *p. q.* 3. *art.* 6. quemadmodum & Durandus *in* 3. *dist.* 1. *q.* 3. circa finem, significat non posse, ablatâ subsistentiâ absolutâ & communi, tres personas dici propriè vnum numero Deum in concreto. Illis tamen contradicit Suares: & quamuis asserat positâ illâ subsistentiâ communi, intelligi clariùs, quomodo tres personæ sint vnus Deus; fatetur tamen ad veritatem vnius Dei explicandam non esse necessariam illam prædictam subsistentiam. Certum enim est, ad vnitatem Dei sufficere vnitatem naturæ independenter ab vnitate subsistentiæ. Quomodo si tres personæ assumerent vnam humanitatem (in qua non posset esse communis & essentialis subsistentia) essent vnus homo. Ratio petenda ex dictis contra Caietanum & alios à nobis *libro* 7. *de Incarnatione*, *cap.* 5. *num.* 5.

4. Dicendum est, nullam esse absolutam, & essentialem subsistentiam, quæ tribus personis communis sit. Ita Alensis, Bonauentura, Ricardus, Marsilius, Henricus, & alij, quos citat & sequitur Vasques *disput.* 125. Valentia *disp.* 2. *q.* 13. *p.* 3. Becanus *c.* 3. *q.* 9. Ratio huius sententiæ est, quia communicabilitas, & terminabilitas per tres diuinas personalitates repugnat rationi subsistentiæ. Subsistentia enim dicit ipsum terminum, qui per consequens vlteriorem nullum habere potest. Ergo ficta est prædicta essentialis, & tribus communicabilis personis subsistentia. Quod verò dicunt aduersarij, discrimen esse inter subsistentiam & inter suppositalitatem, hypostasin, ac personalitatem; quia subsistentia non dicat incommunicabilitatem, aliæ verò tres voces eam importent; voluntarium est, contra subsistentiæ significationem antiquam & communem apud Sanctos Patres. Vide Vasquem *disp. illa* 125. *c.* 4. Contra Durandum, seu primum modum opinandi aduersariorum, speciale est argumentum. Quia si præter communem & essentialem subsistentiam non datur vlla alia in Deo, ita vt tres relationes personales non sint subsistentiæ, sequitur quòd humanitas Christi vnita fuit illi subsistentiæ communi; atque ita tres personæ fuerunt communiter incarnatæ. Contra Caietanum verò, & posteriorem modum opinandi est, quòd non videatur Sanctis Patribus & Conciliis subsistentias quatuor in Trinitate reperiri, vt agnoscet ille, qui fuerit

lectione tritus Authorum veterum. Qui τριάδα ſemper dixerunt τρισυπόστατον, nuſquam verò inueniuntur dixiſſe τετρυπόστατον. Recenſentes quæ communia, & eſſentialia ſunt tribus perſonis, mentionem crebram eſſentiæ, ſeu exiſtentiæ faciunt; nullam ſubſiſtentiæ: eamque Dionyſius omittit, cùm enumerare ſuſcipiens ea quæ ſunt in Trinitate communia, ait *cap.2.de diuin. nom.* Ἡνωμένον ἐστὶν τῇ ἐναρχικῇ τριάδι, καὶ κοινὸν ἡ ὑπερούσιος ὕπαρξις, ἡ ὑπέρθεος θεότης, ἡ ὑπεράγαθος ἀγαθότης, &c. Sanè communiter Patres ſubſiſtentiam ita ſumunt, vt ſonet exiſtentiam determinatam vltimò, ſiue per differentiam indiuidualem, vt ſi quis Petrum, Paulum, &c. dicat; ſiue per plurium conglobationem proprietatum, ſeu accidentium. Impoſſibile verò eſt quadruplicem in Deo reperiri ea notione vllibi ſubſiſtentiam. Denique optima ratio eſt, quòd non ſit neceſſaria quarta illa ſubſiſtentia ad vnitatem diuinitatis in tribus intelligendam, explicandamque perſonis; nec vllum aliunde ad illam introducendam ſufficiens appareat fundamentum.

5. Ad primam probationem contrariæ ſententiæ, nego ſubſiſtentiam magis, quàm perſonalitatem dicendam eſſe perfectionem ſimplicem in ſeipſa, & aliter, quàm in ſua radice, quæ eſt eſſentia, ſeu natura. Cur enim ſi tu ſubſiſtentiam dicas perfectionem eſſe ſimplicem, non ego eadem licentiâ id ipſum de perſonalitate dicam? Certè ſubſiſtentiam relatiuam clarum eſt, & fatentur Suares ac alij, non eſſe perfectionem ſimplicem; cùm filiatio v. c. vel ſpiratio non ſit melior, quàm paternitas incompoſſibilis, & oppoſita illi. Subſiſtentiam verò abſolutam ex ſuperiori probatione noſtræ ſententiæ conſtat eſſe impoſſibilem. Repugnat enim rationi ſubſiſtentiæ, vt ab vlteriori ſubſiſtentia terminetur, ac hypoſtaticè ſuſtentetur; & contrarium fictio eſt voluntaria. Vrgebis. Natura diuina, prout diſtincta per rationem à relationibus, eſt incommunicabilis omni realiter diſtincto, & non ſe habet vt humanitas abſtractè ſumpta, quam conſtat eſſe communicabilem diſtincto realiter ſuppoſito: ergo eatenus dicenda eſt ſubſiſtere. Reſpondeo negando conſequentiam. Nam non obſtante prædicta incommunicabilitate, natura diuina eſt communicabilis (quod repugnat ſubſiſtentiæ) tribus perſonalitatibus ſibi connaturalibus, eſto realiter indiſtinctis. Neque omnis incommunicabilitas, quæ reſpectu cuiuſcumque concipi poteſt in aliqua natura, facit hanc ſubſiſtentem. Nam alioquin humanitas abſtractè ſumpta, & ſecundùm exiſtentiam creatam, quam in Verbo habet, eſſet ſubſiſtens. Eſt enim ratione ſuæ exiſtentiæ incommunicabilis omni ſuppoſito creato, vt fert ſententia probabilior.

6. Nec valet argumentum Caietani, quòd non poſſit abſque ſubſiſtentia abſoluta intelligi, quomodo tres perſonæ ſint vnus Deus; quandoquidem Deus in concreto dicit ſubſiſtentiam. Aſſero enim benè intelligi abſque tali ſubſiſtentia tres perſonas eſſe vnum Deum; quia ſcilicet eſt vna deitas ſubſiſtens realiter in tribus. Et quamquam ſuppoſita multiplicentur, non eſt tamen propterea quod multi ponantur Dij; cùm nomen *Deus*, ſit ſubſtantiuum, & forma quam ſignificat, nempe deitas, non multiplicetur. Qua de re iam diſpu-

tatum est libro, vt iam suprà monui. Nego autem Caietano, debere Deum in concreto, qui dicatur creans, & realiter subsistens, præintelligi tribus personis. Quamquam si à tribus personalitatibus abstrahatur per mentem ratio personalitatis, & applicetur deitati, possit concipi Deus, itavt (licèt ex parte deitatis sit aliquid singulare) habeat ex parte subsistentiæ seu personalitatis quandam communitatem, seu vniuersalitatem, atque adeò quoddam genus prioritatis; omnis enim vniuersalitas importat aliquam prioritatem, ex Aristotele *in postpradic.*

7. Atque hic Dei conceptus, licèt non sit distinctè relatiuus, cùm non sit distinctè Pater vel Filius, &c. sed aliquid ab horum differentia abstrahens, & eis commune; tamen est confusè relatiuus, vtpote à relatiuis quà talibus abstractus. Et quamvis abstrahere posset à relatiuo, itavt exprimat tantùm rationem personalitatis diuinæ, secundùm quod personalitas dicit existere in se & per se, non exprimendo existere ad aliud; quo modo conceptus ille Dei non erit alio modo relatiuus, quàm quomodo animalitas est rationalitas: nihilominùs fieri potest etiam, vt prædictus Dei conceptus non abstrahat à ratione relatiui in genere, sed tantùm à differentiis ipsius relatiui particularis, & includat distinctè rationem personalitatis diuinæ relatiuæ communem tribus per mentem. Sed hic secundus modus concipiendi non est necessarius ad intelligendam rationem subsistentiæ diuinæ vt sic. Hæc enim quamquam reapse sit ad aliud, tamen formaliter & distinctè non dicit nisi esse in se, & sustentare naturam increatam. Porrò quod in explicatione suæ sententiæ dicit Caietanus, Deum, provt tribus personis præintelligitur, posse vocari semipersonam, reprehensione dignum est. Sic enim essent plusquàm tres personæ diuinæ, nempe tres cum dimidia; quod quis admittat?

CAPVT VII.

De notionibus diuinis.

1. NOn benè Gregorius Ariminensis *dist.* 26. *q.* 2. asserit diuinas notiones solos esse conceptus nostros formales; & quidem non quoscumque, sed complexos, quales sunt *genuisse*, *genitum esse*, &c. Hæc doctrina, vtpote singularis & ebulliens ex fermento Nominalium, quod plerasque sparsim quæstiones peruadens, totam ferè Philosophiæ massam corrumpit, nec sapidiorem facit, explodenda est. Quamvis enim actus cognitionis nostræ vocari possint notiones; hoc tamen loco Theologi nomine notionum intelligunt rationes quasdam obiectiuas indiuiduas per modum formarum conceptas, per quas diuinæ personæ inter se ab inuicem distinguantur; itavt vi omnium notionum simul sumptarum sufficienter innotescat omnis singularum personarum conditio. Dixi rationes obiectiuas; sunt enim hæ notiones in personis ipsis diuinis, & eis, vt aliquid intrinsecè perficiens, tribuuntur. Quas Græci Theologi, vt Basilius, Nyssenus, Chrysostomus, Damascenus, &c. vocant ἰδιόματα : γνωριστικὰς ἰδιόματας : γνωρίσματα : τῆς ἰδιότητος σημεῖα : τὰ ἰδιάζοντα ἑκάστῳ σημεῖα : γνωριστικὰ τῶν ὑποστάσεων ἰδιώματα :

ματα: προσώπων ἰδιότητας: hoc eſt, notas, characteres, aut formas, ſiue propria ſigna perſonas inter ſe diſtinguentia.

2. Huiuſmodi autem notiones Diuus Thomas 1. *part. quaſt.* 31. *art.* 3. & cum eo paſſim Theologi aſſerunt eſſe quinque. Innaſcibilitatem (ἀγεννησίαν:) Paternitatem (πατρότητα:) Filiationem (υἱότητα:) Spirationem actiuam (προβολὴν:) Spirationem paſſiuam, ſeu Proceſſionem (ἐκπόρευσιν.) In his quinque notionibus, prima quidem, nempe innaſcibilitas, aut potiùs improducibilitas (cùm ſit non ſolùm natiuitatis, ſed cuiuſcunque originis, ſeu productionis paſſiuæ mera negatio) nequaquam eſt relatiua; cætera quatuor ſunt χετικὴ, dicuntque relationem. Spiratio tamen actiua non eſt ὑποστατικὴ, ſeu conſtitutiua perſonæ, quemadmodum reliquæ tres relatiuæ. Per omnes autem prædictas quinque notiones clarum eſt cognoſci, & inter ſe diſtingui perſonarum ſingulas.

3. Et quidem, quod attinet ad tres relationes conſtitutiuas perſonarum, nulla eſt difficultas. Per illas enim maximè diuinæ perſonæ, vt inter ſe inconfuſæ, realiterque diſtinctæ cognoſcuntur. Cùm verò ex noſtra doctrina origines, ſeu productiones non diſtinguantur à relationibus, ſed in iis includantur; hinc fit vt eſſe genitorem, & eſſe genitum non minùs ad notionem paternitatis, filiationiſque pertineant, quàm eſſe Patrem, & eſſe Filium. Vnde Auguſtinus *lib. 5. de Trinitate, cap. 6.* ait, *Inter notiones eam etiam addi, quâ intelligitur genitor; & eandem eſſe notionem geniti, & Filij.* Quamuis enim Pater, & Filius ex modo noſtro concipiendi videantur ſonare expreſſiùs relationem velut prædicamentalem, & meram comparationem, aut comparabilitatem, quæ conſequatur actualem originem; genitor autem, & genitus dicant expreſſiùs actualem ipſam productionem, ſeu tranſcendentalem relationem: nihilominus ea nomina facilè poſſunt inter ſe confundi; & vt veram formalemque relationem ſignificant, non poſſunt dicere vllo modo diuerſa.

4. Circa ſpirationem actiuam, quæ non eſt perſonalis, ſed Patri, Filioque communis relatio, difficultas aliqua eſſe poteſt, vtrum ſit excludenda à numero notionum. Notio enim debet eſſe aliquid proprium, quandoquidem quod commune eſt pluribus perſonis, non eas inter ſe diſcernit; & non poteſt eſſe ratio, per quam diſtinctè, & ſecundùm proprias differentias cognoſcantur. Vnde Baſilius ait Patrem, & Filium non communicare inter ſe in propriis notionibus. Confirmatur. Nam ſi id, quod eſt commune duabus perſonis, poſſit augere numerum notionum, ſequitur quod omnia prædicata, quæ à duabus ſolis perſonis abſtrahuntur, v. g. relatio producentis, & relatio producti, &c. poterunt inter notiones poni, atque ita non difinitus erit numerus notionum. Non eſt tamen recedendum à communi Theologorum ſententia, aſſerentium ſpirationem actiuam eſſe Patris, Filiique notionem. Eſt enim perfectio aliqua ſingularis, & realiter indiuidua, quæ dici poſſet aliquo modo propria, ſi non in ordine ad vnam, at ſaltem in ordine ad duas perſonas, cùm non ſit omnibus communis: quare non poteſt eas duas, quas afficit, non notificare. Et licèt à Spiritu ſancto per ipſam etiam paternitatem, ac filiatio-

nem Pater, Filiusque distinguantur, vt docebitur in loco; ab illo tamen distinguuntur per ipsam item spirationem actiuam: imò non habet paternitas nec filiatio vim à Spiritu sancto distinguendi, nisi quatenùs talem vim ab ipsa actiua spiratione contrahit.

5. Præterea cõsiderandum est, quòd ex Aristotele relatiua sunt simul cognitione; & ideò si vna relatio in numero notionum posita est, etiam altera ei respondens poni debet, quia non possunt conceptu disiungi; notio autem dicit ordinem ad conceptum. Vnde non solùm propter Patrem, & Filium, sed etiam propter processionem, seu spirationem passiuam perfectè cognoscendam debet spiratio actiua inter notiones numerari. Basilij autem dictum intelligi debet de notionibus strictiùs sumptis, & personas constituentibus. Nec inde sequitur, posse prædicata duabus solis communia personis dici notiones, si per mentem abstracta sint, & non nisi rationis vnitatem habeant. Vt enim aliqua ratio ponatur inter notiones, debet esse singularis, nec multiplicata indiuidualiter secundùm rem.

6. Difficultas item est circa innascibilitatem. Nam vel sumi potest provt significat negationem meram; vel secundò, provt supponit pro materiali illo, seu positiuo, in quo negatio fundatur. Si sumatur priori modo. Contrà. Nam cùm notiones dicantur in ordine ad cognoscibilitatem constitutionis, distinctionisque personarum, non videtur innascibilitas sumpta negatiuè inter illas esse numeranda. Constat enim personam Patris non constitui aut distingui posse conceptu negatiuo. Si autem innascibilitas secundo modo consideretur, ita vt esse innascibile, sit esse tale positiuum, quod nasci producique non possit ab alio; non videtur esse distincta à paternitate, atque adeò nec posse specialem notionem constituere. Respondeo. Quamuis Deus constitui, distinguique negatiuè non possit, tamen illud positiuum, quo constituitur, atque distinguitur, non tantum per seipsum cognosci, sed etiam per aliud. Et quidem tùm Dionysius, tùm ipsa experientia docet quòd conditiones increatæ, præsertim verò simplices, cùm non possint nisi per alienas species intelligi, cognoscuntur longè meliùs, ac veriùs per negatiuos, quàm per positiuos conceptus. Patrem & Filium cùm affirmamus, id quod concipimus (provt eo modo quo concipimus) non possumus verè ac purè affirmare; non enim Patrem & Filium, nisi ad instar generationum, quas in creaturis videmus, concipimus: at cùm imperfectionem aliquam in Deo negamus, possumus verè, & in omni proprietate negare id quod concipimus, eo modo conceptum, quo concipimus. Quare cùm primam personam nasci, producíve ab vllo posse inficiamur, verum de illa cognoscimus, atque enunciamus.

7. Et quamuis ea perfectio, quam significare volumus, sit positiua à parte rei, & ipsa paternitas; nihilominus in ordine ad nos prædicta negatio productionis passiuæ clarè ac distinctè significat rationem primæ originis, & principij, quod sit à se solo, quam non nisi confusè significat paternitas; cùm in creatis videamus paternitatem non excludere superius versùs vlteriorem originem, nec

nec impedire, quin is qui pater eſt, patrem habuerit. Ergo præter paternitatem neceſſarium fuit addere notionem illam primæ perſonæ propriam, quæ in ea rationem primæ clariùs exprimeret. Ea verò eſt innaſcibilitas, quæ potiùs dicenda eſt improducibilitas, vt à Spiritu ſancto (qui naſci non dicitur) prima ipſa perſona diſtingui intelligatur.

8. Aliqui cum Scoto *diſt.* 28. *q.* 2. eodem modo, quo nos innaſcibilitatem inter notiones ponimus, addunt & ſextam aliam, quæ negatiua item ſit, & propria Patris, necnon Filij; nempe inſpirabilitatem. Quia ſicut Pater eſt ingenerabilis, & excludens omne genus producibilitatis; ſic & cùm ipſe Pater, tùm Filius eſt inſpirabilis. Atque eadem ratione plures alias notiones negatiuas poſſemus ſuperaddere. Nam vt Pater improducibilis eſt, & Filius inſpirabilis; ſic & Spiritus ſanctus eſt ingenerabilis, improductiuus, &c. Sed dicendum eſt, in hac re magnam partem voluntariâ inſiſtendum eſſe veſtigiis omnium Theologorum, qui poſt Auguſtinum, & cum Diuo Thoma quinque tantùm ſuperiùs numeratas notiones agnouerunt, præſertim cùm & illæ ſufficiant, vt cognoſcere poſſimus, diſtinguereque inter ſe perſonas diuinas; & non deſint aliquæ conuenientiæ, cur potiùs innaſcibilitas admittatur, quàm vel inſpirabilitas, vel aliæ quæ excogitari poſſent. Vide Suarem *lib.* 5. *capit. vltimo.*

CAPVT VIII.

De amore; tam illo, qui Spiritus ſancti principium eſt; quàm illo, qui ipſius eſt Spiritus ſancti effectus. Myſtica contemplatio.

1. Sicut ad calcem libri ſuperioris in Æterni Filij natiuitate pulchritudinem (quæ propria laus eſt cognitionis ac intelligentiæ, per quam ille à Patre oritur) contemplati ſumus: ita nunc in diuinæ voluntatis fœcunditate, & Spiritus ſancti proceſſione, quam Græci Theologi προβολὴν vocant, conſentaneum videtur, vt bonitatem atque dilectionem, (quod eſt peculiare voluntatis decus, æternæque ad intra ſpirationis fundamentum) attentâ conſideratione quatuor comprehensâ capitibus inſpiciamus. Et primò quidem attendenda occurrit eſſentialis ea dilectio, quâ Deus naturæ ſuæ perfectiones attributaque complectitur; necnon mutuus ille amor, qui perſonas Trinitatis omnes adſtrictiſſima conſpiratione coniungit. Secundò videndum ſe offert in quali quantoque amore Deus creaturas habeat, & quonam illas dilectionis genere, ſeu merè poſſibiles, ſeu etiam exiſtentes proſequatur velut increatæ perfectionis ſeu decolorationes, ſeu quemadmodum loquitur Dionyſius, ἀπηχήματα. Inſpicienda tertiò erit ea, quæ in creaturis à Spiritu ſancto exardeſcere debet aduersùs Deum charitas. Ac vltimò tandem conſiderabimus, quàm arcto debeant inter ſe homines (ſi rationis Spirituſque ſancti ſequantur inſtinctum) neceſſitudinis, amicitiæque vinculo copulari.

Quo

Quo per Spiritum sanctum amore, cùm suam Deitas essentiam, tùm seipsas mutuò Diuinæ Personæ prosequantur.

2. Quod ad eum primò amorem attinet, quo intra penetrale Trinitatis, siue Deus absolutè sumptus suam tribus communem personis essentiam prosequitur; siue Pater & Filius semetipsos vltrò citróque diligunt, apud omnes indubitanter habetur Theologos, eum amorem esse anteriorem Spiritu sancto; ideoque non posse in illo priori diuinam essentiam, vel primas duas personas ipso Spiritu sancto formaliter diligi, vtpote nondum producto. Qui tamen Spiritus facit esse omninò necessarium illum amorem, quo Pater vel essentiali & absoluto suam diuinitatem, vel notionali Filium diligit, & à Filio diligitur; cùm oporteat ex tali amore, vt fœcundo, ipsum Spiritum omni necessitate produci. Porrò is diuinus amor, ex cuius fœcunditate Spiritus sanctus existit, debet prorsus esse bonitatis omnis diuinæ comprehensiuus, & omnem Deitatis amabilitatem adæquare; ita vt in Deo spirante nihil sit, quod non ab eo in ipso spirationis signo diligatur. *Si Deus tantùm se diligit* (inquit Anselmus *in Monolog. cap.50.*) *quantùm sui meminit & se intelligit; tantùm autem sui memor est & intelligit se, quanta est eius essentia; profectò tantus est amor eius, quantus ipse est.*

3. Cùm in te, sancta Trinitas, nihil reperiatur, nisi infinitè perfectum, pariaque in te sint vndecumque omnia; quantam in genitali Patris intellectu, nascenteque Verbo pulcritudinem, tantam & in Spiratoris fœcunda voluntate bonitatem cum æquali admiramur adoramusque reuerentia. Nec enim magis in sanctis intellectus fœcundi splendoribus summum eius Filij, qui pulcher ex pulchro nascitur; decorem suspicimus; quàm in splendidissimis fœcundæ voluntatis ardoribus sanctitatem illius miremur Spiritus, qui dilectus ex dilecto, & bonus procedit ex bono. Nullo habemus adorationis discrimine pulcritudinem generati, & bonitatem spirati Dei; quin & in vtroque pulchro & bono, Deum vnicum καλοκἀγαθὸν veneramur. Nec magis amabilitatem essentialem in diuina natura, quàm notionalem in Spiritus sancti productione amorem religioso colimus obsequio. Porrò singularem inde voluptatem à Christiana mente percipi necesse est, quòd summam Deus in dilectione suarum comprehensiua perfectionum beatitudinem consequitur; quam beatitudinem sola ipsarum possessio perfectionum absque dilectione conferre non potest. Nec enim omnipotentia, siue immensitas, siue æternitas, existendíve absoluta necessitas, aut vllæ, quæ vitales non sint, potentiæ, quantumvis in suo quælibet genere Deum perficiant, ei præstare valent beatitudinem, quæ nempe solis vitalibus actibus continetur: quare necesse est, vt intellectus ipsas intuitiuè cognoscat, & voluntas complacitas habeat, atque in iisdem cum delectatione conquiescat. Sic enim Deum omnia quæ perfectum, eadem & beatum faciunt.

4. Vt Deus absolutè sumptus essentiales Numinis sui perfectiones amore, qui sit perfectæ in ipsum beneuolentiæ, diligit in priori quàm vlla intelligatur esse producta persona;

sona; sic & omnes deinde personæ amore mutuo (quemadmodum substantiæ communitate) iunguntur. Quod Anselmus *monolog. c.49.* Sic eleganter de Patris, Filiique reciproco amore explicat: *Se amat Pater, amat se Filius, & alter alterum. Et quoniam omninò idipsum est, quod amat, vel amatur in Patre, & quod in Filio; necesse est, vt pari amore vterque diligat se, & alterum.* Is verò amor in diuinis personis tam vnus est, quàm vna in iisdem voluntas atque diuinitas. Quare vt tres sint amantes adiectiuè; non tamen minùs dicendi sunt substantiuè vnus amicus, quàm vnus Deus.

5. Offert se hîc breuiter abigenda difficultas, quis nempe sit illius locutionis sensus à Patribus identidem vsurpatæ; quâ & Deus absolutè sumptus suam diuinitatem, & tres personæ reciprocè seipsas dicuntur diligere Spiritu sancto? Sic Athanasius *epistola 1. ad Serapionem*, nominat Spiritum sanctum *Amorem Patris*, τὴν τοῦ πατρὸς ἀγάπην. Ambrosius in Symbolum Apostolorum, cap. 1. *Vnus est*, inquit, *diligens eum qui ab ipso est; vnus est dilectus ab eo, à quo est; vna dilectio vtriusque, Spiritus sanctus: idem tamen Deus.* Et *lib. de dignitate conditionis humanæ*, sic habet: *Ex quo ergo, & qui ex eo, & quo se diligunt ipsa duo, tria sunt.* Bernardus etiam sermone 8. in Cant. *Si rectè Pater osculans, Filius osculatus accipitur, non erit abs re osculum Spiritum sanctum intelligi.* Vt verus sensus intelligatur, in quo Spiritus sanctus à prædictis, & aliis Patribus sæpè dicitur ille amor, quo Deus sese, vel etiam alia diligit; aduertere necesse est, Spiritum sanctum posse sumi: vel primò absolutè; quo modo non est persona, sed amor essentialis, & fundamentum spiratiuæ fœcunditatis: vel secundò relatiuè, seu σχετικῶς. Priori sensu Pater, & Filius se amant propriè Spiritu sancto. Posteriori autem sensu non nisi per appropriationem fundatam in eo, quòd Spiritui sancto nomen amoris seu dilectionis tribuatur; quia scilicet producitur per fœcunditatem essentialis ipsius amoris, estque eius fructus. Quemadmodum Filio nomen Verbi, cognitionis, intellectionis, Sapientiæ, &c. tribuitur. Vnde fit, vt per similem appropriationem dici queat, Patrem se intelligere suo filio, seu Verbo producto.

6. Agnosce, anima mea, ex iis quæ hactenus disputata sunt, prosperam felicemque sortem, quâ te cum tribus ipsis personis diuinis antiquissima cognatio, & affinitatis arctissima coniunctio deuinxit. Pater siquidem in eo etiam signo, cùm nondum vllam posset intelligi produxisse personam, non modò illam de te cogitationem susceperat, ex cuius fœcunditate Filius ei deinde nasceretur; sed & ipsi pariter complacita sic fuerat, vt ex eius complacentiæ vehementia sequeretur Spiritus sancti processio. Atque ita sicut ex tui cognitione cogitationeque Filius; sic ex tui amore Spiritus sanctus prodiit. Neutrius nimirum productio personæ sine tuo celebrari potuit interuentu, & vt ita dixerim, sine tua intentionali præsentia, quæ te in illo tremendo generationis, spirationisque mysterio velut ante diuinarum ipsarum, quas adorare deberes, personarum conspectum sisteret. Quare sicut possibile non erat Filium nasci, quin is Patrem in ipso suæ generationis articulo de te sibi loquentem ac sermocinantem

audiret; sic nec Spiritus sanctus produci; quin tui dilectionem sibi inspiratam in ipso suæ processionis signo acciperet; atque ita posset & Deus te Spiritu sancto diligere, & ipse Spiritus sanctus esse illamet dilectio, quâ te Pater, Filiusque, & ipse cum illis communiter prosequuntur.

Quo amore Deus sit in creaturas per Spiritum sanctum; & primùm in eas, quæ sunt merè possibiles.

7. Quandoquidem infinitum illud amoris incendium, quod siue essentiale Deitatem erga ipsius perfectiones, absolutaque attributa inflammat, siue notionale consubstantiales inter Trinitatis personas excitatur; non potest esse, quin vi tanti, tamque vehementis ardoris emicent vndecumque scintillæ in creaturas, siue possibiles & intra diuinam omnipotentiam abditas, siue etiam in actualem formalemque existentiam eductas; interest Christianæ sapientiæ, vt vim naturamque tanti amoris nitatur intelligere. Et quidem quod ad creaturas attinet merè possibiles.

8. Dicendum est, Deum habere ex omni necessitate amorem seu complacentiam erga illas. Qui quidem amor non sit beneficentiæ, nec beneuolentiæ; quandoquidem illis nullum statuit conferre beneficium. Sed cùm eas eminenter in sua latere omnipotentia videat, tanquam suarum quasdam adumbrationes, & (vt sic dicam) decolorationes perfectionum; non potest, quin circa tam pulchras, excellentesque naturas non aliquo modo delectetur, & eas habeat sibi valde complacitas. Considerandum verò est, possibiles creaturas tam indissolubili nexu cum ipsa diuinitate cohærere, vt nisi possibilis earum foret essentia, necessariò ipsius Dei possibilitas tolleretur: nec arctissima illa inter Dei creaturarumque possibilitatem colligatio discindi, diuellique potest, quin possibilitate vna desinente, desinat & altera. Quæ enim potest esse ratio, vt eæ res (si alioqui bonæ sunt, nec repugnat eas honestè amari) Deo non placeant, sine quarum possibilitate ipse non posset esse qualis est, atque consequenter nec vllus foret. Dixi, si res alioqui bonæ sunt & amari honestè queunt. Quoniam pro eo quantùm Deus se amat, debet circa illa, quorum possibilitas absolutè necessaria est, sic affici, vt licèt ipsa eorum possibilitas (quæ destrui nequit nisi diuinitate mutata) displicere non possit; quæ tamen turpia & mala sub sua possibilitate sunt, displiceant ipsi essentialiter; quandoquidem ipsius essentia Dei esse absque illorum abominatione non potest. Et Spiritus sanctus procedit tam ex essentiali rerum turpium odio, quàm ex honestarum seu bonarum complacentia. Ita scilicet peccatum possibile tantò sui probro cohæret cum Dei possibilitate, vt suam cum Deo coniunctionem nisi quatenus detestabile & exosum non habeat.

9. Sunt qui contra iam explicatam sententiam asserant, à Deo nullatenus amari creaturas, quas in suæ omnipotentiæ retrusas abdito continet merè possibiles, nolens eis existentiæ, atque adeo nullius rei beneficium conferre. Fundantur in eo, quòd amorem putent in eo consistere, vt quis alteri bonum aliquod procuret, aut velit, ex hac Aristotelis definitione, *Amare est velle alicui quæ bona*

bona quæ putat, eorumque actiuum esse [illegible] *potest*. Quam definitionem videtur supponere D. Thom. *quæst*. 20. *art*. 3. Nihilominus præter amorem beneficentiæ, aut beneuolentiæ, ad quem ea pertinet definitio, datur alius verus amor consistens in affectu quodam complacentiæ; huncque videtur necessariò supponere amor beneuolentiæ; complacitam enim fuisse nobis oportet eam personam, cui beneficium aliquod volumus. Nec verum est amorem in bonorum conferendi voluntate ita consistere, vt magis ille amari censeatur cui maiora bona conferuntur, aut optantur. Si enim duo supponantur iusti, quorum qui iustior, & sanctior nunc est, sit reprobus; & qui minùs iustus, sit prædestinatus; certum est huic maiora Deum velle atque destinare bona, gratiam scilicet finalem, seu perseuerantiam, & gloriam æternam. Et tamen illum priorem, vt nunc est, longè plus amare, habereque magis complacitum, vtputa iustiorem, & maiori præditum charitate: Deus enim magis eos diligit, à quibus magis diligitur. Atque ita dubium non est, quin multæ creaturarum merè possibilium magis Deo complacitæ sint ob suam maiorem excellentiam, quàm subliniores etiam Angeli iam producti.

10. Contra id, quod suprà etiam asseruimus, complacentiam illam, quam Deus habet circa naturas possibiles, necessariam omnino esse, primò argumentum sumunt nonnulli ex eo, quòd creaturæ non sint summum bonum; atque ita voluntati nulli creatæ, nedum diuinæ, possint inferre necessitatem se amandi. Respondeo. Talis est diuinæ voluntatis perfectio, vt bonitatem omnem, quantumvis limitatam, non possit non probare, & habere saltem complacitam. Quis dicat Deum (qui omnia, quæ creauit, probauit statim, quasi valde bona) non necessitari, vt intuendo Beatissimæ perfectionem Virginis, vel humanitatis Christi, illam approbet cum aliqua delectatione? Secundò non validiùs argumentantur, qui dicunt Deum (si necessariò complacitæ sint ipsi creaturæ) non posse ab earum productione abstinere, cùm ipsum nulla retardare possit arduitas; quo posito non habet in eas dominium. Ad illud facilè respondetur. De fide est Deum in rebus, quas fecit valde bonas, sibi complacere; & tamen quis dicat illam complacentiam impedire quo minus possit ab illis conseruandis abstinere, nec habere absolutum in eas dominium? Hactenus disputatum est de illa in creaturas merè possibiles dilectione seu complacentia, quam Spiritus sanctus, vt suæ fundamentum processionis requirit. Videndum iam est quæ sit eidem Spiritui sancto cum creaturarum actuali existentia connexio, & quàm erga illas amabiliter se habeat.

Quo Deus amore prosequatur creaturas existentes.

11. Cùm Deus omnipotentiam suam, velut creaturarum eminenter in se contentarum amplissimum receptaculum, & (vt ita dixerim) profundissimam apothecam recognoscit, suoque lustrat intuitu, multitudo rerum innumerabilis ei se offert in illo infinito possibilitatum spatio; & omnium generum naturæ (velut in gemmascentibus latentes fructus arboribus) paratas se expeditasque exerunt

ad illius vocem audiendam; & si foras ad existentiam euocentur, ostendunt. Dum interim Deus de habendo earum creaturarum, quas euocare placeat, delectu statuit, atque deliberat, nulla inter illas est (cùm omnes eadem prodeundi & foras emicandi infirmitate, impotentiaque teneantur) quæ ius habeat existentiæ. Cùm igitur confertissimas inter Angelorum, hominumque possibilium gentes, quas nihil oberat quominus Deus produceret, confusè nos omnes, qui ad hanc vitæ lucem emersimus, misceremur, fortunatâ sorte ab æterno ad eam cognitionem peculiari Spiritus sancti complacentiâ destinati sumus, vt suo quilibet tempore crearemur in spem summæ beatitudinis. Illa scilicet electio, quâ in sortem futuræ olim felicitatis venimus, quamuis ab omnibus communiter tribus personis facta sit; speciali tamen, & notionali ratione Spiritui sancto tribuitur; siue quia opus id fuit bonitatis (quæ Spiritus sancti proprietas est;) siue quia videtur fuisse consentaneum, vt postquam duæ primæ personæ intra Trinitatem se fœcundas exhibuerant, tertia persona (cùm nullus ei fœcunditatis ad intra locus similis superesset) extra erumpens, eam omnipotentiæ fœcunditatem, quæ illi residua erat, in creandis rebus exerceret, quadam velut ostensione continuationeque operatricis Trinitatis; & ab ea creandi producendive ad extra potestate, quæ in illo sola elucet, posset Creator specialiter dici qualis in hymno sacro vsurpatur ab Ecclesia canente, *Veni creator spiritus.* Quod eleganter Cyprianus his verbis prosequitur: *Hic Spiritus ab ipso mundi initio aquis legitur superfusus, non naturalibus aquis, quasi vehiculo indigens, quas potiùs ipse ferebat. Hanc vitam mundi, hunc motum, hanc rerum essentiam, animam mundi Philosophi vocauerunt, putantes cælestia corpora huius animæ virtute moueri, & aquas, & terram, & aërem huius semine impregnari. Non quòd ipse sit substantialis anima singulis, sed in se singulariter manens, in sua plenitudine distributor magnificus proprias efficientias singulis diuidit, & largitur.* Hæc ille in tractatu de Spiritu sancto. Porrò non sola creatione, aut conseruatione tenus, Spiritus sancti amor erga creaturas proditur, vlteriùs enim ad nostram progreditur sanctificationem.

12. Attendere hîc debes, anima mea, sortis tuæ in eo prosperitatem, quòd illa ipsa dilectio, quam Pater, & Filius ante processionem Spiritus sancti circa te habuerunt, facta est Spiritus sanctus, dum hic ex ea processit; & ideò ex eadem nomen mutuatus, non recusat tui amor appellari, notionalisque dilectio; sed & præterea cum tui creatione, ad ipsum Spiritum sanctum referri speciali iure debet, quæ tui primò facta est ad gratias prædestinatio, ac deinde ad gloriam consequenter electio. Vt enim gloriam posset Angelis hominibusque haud sine eorum merito decernere, gratias vnicuique descripsit magno in earum destinatione mysterio. Nam solo eius arbitrio facta est Sanctorum, impiorumque antecedens in ipsa prima gratiarum præparatione discretio, quemadmodum Augustini insigniorumque Doctorum, necnon ipsius firmatur authoritate Scripturæ. Neque videtur antecedens illa discretio vllo posse modo negari, si mediam in Deo scientiam admittimus. Quî enim fieri potest, vt Spiritus Dei sanctus, cùm videat certò

pen

per ſcientiam mediam in gratiarum infinita diuerſitate ſeu fauſtum, ſeu funeſtum earum ſingularum ob diuerſam hominum cooperationem euentum, non cenſeatur Petrum, verbi causâ, præ Iuda diligere antecedenter; ſi illi quidem gratiam eam deſtinet, quam videt fore infallibiliter cum ſalute coniunctam; iſti autem eam, quam nouit coniunctam cum infallibili damnationis euentu? Quod manifeſtum apparet ſi à Spiritu ſancto talem fieri concipiamus virtuali tanquam ſyllogiſmo diſcurſum, vt pro maiore præmiſſa ponatur hæc conditionalis, bimembriſque propoſitio; *Si hanc gratiam Petro aſſignem, is ſalutem conſequetur; ſi autem iſtam alteram Iudæ, ea irrita erit cum ſempiterna miſeri damnatione.* Iam peto vtrum Spiritus ſanctus attentiſſima cogitatione penetrans, ac perpendens, quæ ſit tandem ſecutura concluſio, poſſit illi præmiſſæ ſubdere hanc velut minorem ſine ſpeciali erga Petrum dilectione antecedente; & quadam aduerſus Iudam immiſericordiâ negatiuâ? *Atqui volo Petro gratiam hanc cum qua ſalutem conſequetur; eam vero Iudæ, cum qua (eſto, me impedire nolente) miſer impiuſque damnabitur.* Quis negare poteſt colligi ex duabus illis præmiſſis diſparem antecedenter ſortem duorum illorum Apoſtolorum, quorum neuter illam gratiam meritus erat, quam tantoperè diuerſam accepit? O adoranda Spiritus ſancti altitudo diuitiarum! Quàm incomprehenſibilis eſt eius, ac terrifica prouidentia! cuius tamen iudicia vtrobique recta, & iuſtificata in ſemetipſa. In neutro enim caſu illorum Apoſtolorum iniuſtitia, ſed magna in vtroque gratia, licet in Petro maior; nec habet Iudas rationem, niſi de ſe, qui ſibi defuerit, conquerendi: atque ſi de tali queritur gratia, quæ copioſiſſima erat; de collato in ſe maximo queritur beneficio oblatæ felicitatis æternæ, & gratiam maximam (quod inſani eſt) interpretatur iniuriam.

Quo amore Spiritus ſanctus homines erga Deum inflammet.

13. Summæ diuinitatis proprium ait eſſe Dionyſius cap. 10. *de diu. nom.* vt, cum ſit expetenda omnibus & amanda, imponat voluntariæ iuga ſeruitutis & dulces quocumque immittat partus præpotentis & indiſſolubilis amoris ac bonitatis ſuæ: θεαρχία πᾶσιν ἐφετὴ ἐπιβάλλει τοὺς ἐθελουσίους ζυγοὺς, ϗ γλυκείας ὠδῖνας παντοκρατορικοῦ τῆς ἀγαθότητος αὐτῆς ἔρωτος. Eam porrò cunctos mortales ad diuinum amorem alliciendi curam ſuſcepit ipſe, qui totus amor eſt & dilectio, Spiritus ſanctus. Quia verò inter ſimiles amor faciliùs conciliatur, vt amabiliorem Deum exhiberet hominibus, excelſam eius maieſtatem in hominis humilitatem quodammodo depoſuit; & in ſimilitudinem hominum, virgini parenti eius obumbrans, formauit. Quo modo verus in Chriſto Deus, dum carne, aſpectabilique natura veſtitus in terris apparuit, gentium omnium orbem, vt doctrinæ luce cæleſtis, ſic & ſuæ diuinitatis amore compleuit. Quam diuinitatem ſuis ipſe, quà cæleſtibus documentis, quà ſtupendis prodebat operibus; eam demùm poſteris temporibus, conteſtante Spiritu ſancto ſignis atque portentis, & variis virtutibus per Apoſtolos imprimis, diuino in eum, quem prædicabant Chriſtum amore ſuccenſos. Hi nimirum ſacros illos ipſos ignes, quibus arde-

bant, per omnes nationes successu sparserunt mirabili. Idque suo imprimis exemplo, cùm id in se singuli comprobabant, quod non vnius proprium Diui Pauli, sed illorum commune fuit omnium; Quis nos separabit à charitate Christi? certus sum, quia neque mors, &c.

14. Cum animo suo considerandum hîc habet Christi seruus, quanta vbique mortales, omnibus post Apostolos sæculis, in ipsum Christum dilectione, quam Spiritus sancti afflatus accendebat, flagrarint. Tantam illi nationum vniuersitas beneuolentiam nauat, vt vel Indorum vltima regna ad eum se conferant fidei, & charitatis accessu. Quis vnquam, quot ille, subditos Princeps numerauit, voluntatis in se tanta inclinatione deuinctos; & qui obtemperatione legibus eius, susceptione operum magnæ arduæque cogitationis, rerum molitionibus, ærumnarum perpessionibus tantam illi amoris abundantiam testificati sint? Nulla est ora, nulla pars terrarum, nulla insula, nullum mare, quod non hodieque ab illa Apostolorum prædicatione ardeat, & vnius amore Christi inflammatum colluceat. Lætetur hîc mens pia, sanctum charitatis Spiritum tradidisse Christo vltimas etiam gentes in hæreditatem, & in possessionem terminos terræ. Exultet, quòd vel Iaponiæ populi, post quos non est alius; gentes illæ conuulsæ, & dilaceratæ, tandiu lumen Euangelij expectantes, & omnibus ludibriis olim à dæmone conculcatæ, non modò cantare psalterium didicerint, & quid Alleluia significet norint; sed etiam (quod religionis caput est) intelligant, quàm pulchrum, & decorum sit pro illius obsequio mori. Quòd, inquam, Christum norint non tantum linguæ suæ barbarie celebrare, sed etiam Romanæ fidei purâ, vt ita loquar, latinitate Christianæque charitatis atticismo prædicare; ac denique diuinitatis veritatem martyrio, & valido sanguinis clamore vulnerumque oratione potentissima testari.

15. Constat nullam fuisse aliquando, siue Principum, siue Rerumpublicarum causam, pro qua tot hominum studia pari contentione decertarint; plusque fuisse sanguinis pro nominis Christiani dignitate sancienda, quàm pro Romani aut cuiuslibet alius Imperij propagatione, defensionéve profusum. Hîc sanè quàm accenso in Deum amore fideles omnis ætatis, conditionis & sexus perstiterint, res ipsa loquitur. Nec magis eum oportet qui Solem, quàm qui id non videat, cæcum esse. Codri, M. Curij paucorumque apud antiquos similem (qui vix plures quàm sex aut septem numerantur) in Rempublicam charitatem cum illa confer alacritate quam martyres plusquam tricies centena millia seipsos ad mortem non ex vanitate, neque pro politica inanique Reipublicæ gloria, sed pro veri Dei tuenda gloria deuouerunt. Magnus quidem ille Ignatius martyr, in cuius corde ipsa charitas Deique digitus nomen Christi insculpserat, mirum pro ipso Christo (quem suum amoram vocabat) moriendi alacritatem testificabatur in ea, quam ad Romanos dedit epistola: *Vtinam*, inquit, *fruar bestiis*, &c. Bestias, quæ Christi causâ in se immitterentur dixit esse sibi fruendas; quasi de summo bono, quod solum dici fruendum debet, loqueretur. Sed ne quis fortè illam animi celsitatem quæ in

Patriar

Patriarcha enituit, putet primariorum nostræ Religionis virorum ita propriam, vt ad cæteros non pertineat Christianos; quid de Agnete sanctus Ambrosius, quid de aliis alij puellulis scribant, consideret. Quàm sit Spiritus sancti instinctu ad subeundam pro Christo mortem expedita charitas in ipsa etiam plebecula & conferta omnium turba, promptum est ex Eusebij historia. Vnicum proferam ex eius libro 8. locum: *Nos ipsi, cùm in Ægypti partibus iter ageremus, oculis nostris*, inquit, *inspeximus, vt sedenti pro tribunali Præsidi afferrentur innumeri fidelium populi. Egrediuntur cuncti ad contiguum mœnibus campum, non carnificum nexibus tracti, sed fidei vinculis colligati. Nemo defuit, cùm nemo eos seruaret. Sponte omnes, imò alter alterum præuenientes, ceruices cadentibus obiectabant. Videbam fessos residere carnifices, mutare gladios. Nullus tamen ex omnibus, ne paruulus quidem infans deterreri potuit à morte; sed hoc solum singuli pauescebant, ne fortè dum properum sol vergens clauderet diem, separatus à consortio martyrum remaneret.*

16. Vbi operæpretium fuerit aduertere talem virtutem, quam nec vultus instantis tyranni, nec vis vlla tormentorum mente quatiat solida, tam vulgarem, atque peruagatam esse inter Christianos, vt numerum eorum, in quibus illa eminuerit, nullus inire, nec in suas tabulas articulatim Ecclesia referre potuerit; cùm præsertim Diocletiani iussu pars multò maxima combusta sit eorum librorum, quibus facta illustria martyrum, & passionis eorum antiqua memoria continebatur. Quamvis illum numerum supra vicies centena millia certum sit ascendere; quàm verò longè supra, nullus dixerit. Eaque est in regno Christi politicæ rationis summa, vt quicumque in Christianis censeatur, sit semper pro asserenda Dei gloria expeditus ad mortem, & paratus ad extrema. Multique nostrâ etiam memoriâ fuerunt, qui tanti contentione honoris, mirisque competitionibus occasionem captarint transmittendi maris; vt qui crucem in Europa inuenerant, quam viuentes ipsi portarent, crucem in vltimis terris nanciscerentur quæ se morientes portaret. Quod non paucis contigit, quos insignes valde Martyres eadem fides & passio verè fecit esse germanos Laurentiorum atque Vincentiorum.

17. Porrò non martyrio solùm & purpureis cruenti belli, fideique ad sanguinem vsque pugnantis virtutibus, sed etiam candido charitatis erga Deum zelo innumeros mortales Spiritus sanctus ad cælos euexit. Recenseat vir sapiens quot insignes sanctimoniâ Pontifices, quot Doctores sapientiâ, quot Confessores vitæ innocentiâ mirabiles extiterint & amore in Deum ardentes se præbuerint. Recenseantur Monachorum examina, quotquot Ægyptum, easque terrarum partes, quæ olim idolorum refertæ fuerant, oppleuerunt. Sanè vetustatis Ecclesiasticæ monumenta vim tantam religiosorum virorum, qui se perpetua Christi charitate obligassent, in illis extitisse regionibus testantur, vt Monachis monasteria, vrbes monasteriis redundarent: dum interim innumerabiles in abditissimos eremi recessus se conferrent soliuagi, & per amoris anfractus incedentes: atque hoc vnum, quod Remundus Lullius aliquando respondit, vnde, & quò rogatus, dicere habentes, diuino

se

se circumagi, & ire, redireque charitatis circulo, atque ab amore; per amorem tendere, nec aliud se cogitare, loqui vel quærere præter Christum posse; quem non alibi quàm extra se ipsos egressi, & extra res omnes inuenirent. Hi verè Sapientes retrusum, & ab vsu hominum alienum Philosophiæ genus sectati sunt; vbi scopulis, & speluncarum concauis altitudinibus voces referentibus Christum inclamarent. Illi, inquam, solitudinum & densarum asperarumque syluarum, illi ferarum (vt ita loquar) Apostoli satyros, aliáque monstra syluestria Christi nomen edoceri posse, quod Hieronymus de magno narrat Antonio, experti sunt.

18. Ei tam longè latéque inflammato amori quem Spiritus sanctus Christo conciliare aleréque satagit, nec sexus defuit etiam muliebris. Et quamquam hic sexus pars sit Reipublicæ infirmior; in hoc tamen diuini amoris stadio nec languidior, nec posterior fuit, quàm viri. Quibus enim vel Apostolorum, vel aliorum, qui maiorem ex sui Domini nece molestiam traxissent, Maria Magdalena cessit? Illam sanè cum piis quibusdam aliis fœminis constat primam à Christo ex inferis excitato recreatam, & de gloria suæ resurrectionis edoctam, & ad ipsos de ea docendos Apostolos missam. Nec rarò diuini præses ille, dispensatorque amoris Spiritus vtendum sibi censuit fœminarum erga Deum charitate ad Christianæ Reipublicæ decus amplificandum. Vt perspicuum fuit in sancta Pulcheria; quæ tot annos orthodoxam fidem, & graues Ecclesiæ causas, orbem terrarum sola cum regeret, acerrimè tuita est; tantaque authoritate, quantâ Principes pauci, defendit. Nec minùs in illis mulieribus id factum est manifestum, quæ aliquas regiones integras sub ditionem Religionis Catholicæ redegerunt. Ita Clotildis suæ delinitum virtutis illecebris Clodouæum cum Francico regno ab idolis traduxit ad Christum. Ita & ab Ariana impietate ad orthodoxam fidem virum, Hispaniæque regnum Indegundis conuertit: &, vt alias omittam, Theodolindis Galliam Cisalpinam, quæ nunc Longobardia, Christianis sacris initiauit.

19. Nobis de sapientissimo Salomone monumentum hoc diuinæ literæ prodiderunt, multas illum adamasse mulieres, easque alienigenas; quibus ardentissimo amore copulatus est. Multa sunt, cur Rex ille Sapientum Christi, qui æterna Sapientia est, personam sustinuerit. Et quod fuit pudendum in Salomone flagitium, septingentas reginas, trecentasque numerasse concubinas; id potest (non secùs ac videmus corporum etiam formosissimorum obscuras & deformes vmbras) magnum esse velut sacramentum in Christo, & in Ecclesia: quam Paulus ait infinitarum instar sponsarum vni viro virginem castam exhiberi Christo, & quam Ioannes vidit vt sponsam ornatam viro suo; quamque Dauid cecinerat adducturam Virginum post se choros, easque introducturam in lætitia, & exultatione in templum Regis; ad celebrandas nempe illas quas Deus parauit nuptias filio suo. Quæ nuptiæ magnam gaudiorum exultationem Angelis afferunt id canticum modulantibus (quod se testatur idem Ioannes auribus percepisse;) Gaudeamus quia venerunt nuptiæ Agni: Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt. Et quidem si recensere velimus huius

huius Agni sponsarum numerum, erit plusquam Salomon hic. Tantam enim ille omnibus ætatibus, omnibusque locis multitudinem eam numerauit, vt Ambrosius de Ecclesia tam Orientali, quàm Affricana memoriæ propagarit, plures in illarum qualibet consecrari solitas Virgines, quàm Mediolani & in Italia homines nascerentur: Cyprianus autem scripserit, refertum, impletumque esse orbem capientibus institutum virginalis vitæ, & Christi nuptias ambientibus.

LIBER VI.

De diuinarum Personarum vnaquaque sigillatim atque distinctè.

POSTQVAM de retrusissimo, nec nisi diuina reuelatione mortalibus cognito Trinitatis mysterio, & trium vniuersim personarum quà processionibus, quà relationibus, & hypostasibus, notionibusque disputatum est hactenus, restat vt de iis seorsim agamus, quæ spectant singulas propriè personas Patris, Filij, & Spiritus sancti; quæ tria nomina Maximus in scholiis ad caput secundum de diuinis nominibus vocat τὰ σεβάσμια καὶ φρικτὰ τῆς ἀχράντου τριάδος ὀνόματα. Gregorius verò Nyssenus ait esse κανόνα τῆς ἀληθείας, καὶ νόμον τῆς εὐσεβείας. Necessarium item erit, vt de iis, quæ ad spirandi vim Patri, Filioque indiuisim attributam pertinent, disseramus. Quo perfuncti cùm erimus, sicut duos præcedentes proximè libros mysticâ Filij, Spiritusque sancti consideratione clausimus; sic ad huius libri calcem mysticâ item contemplatione Deum Patrem, provt in se priuatim, & ad duas reliquarum personarum processiones antecedenter considerari potest, prosequemur.

CAPVT PRIMVM.

De persona Patris.

VT quæ de hac prima Trinitatis persona dici possunt, expediantur, duæ illius notiones considerandæ sunt; paternitas, quam Græci Theologi πατρότητα; & innascibilitas, quam iidem, & nominatim Nazianzenus ἀγεννησίαν vocant. Quod ad paternitatem attinet, constat ex alibi dictis, eam esse Patris ipsam personalitatem distinctam realiter à filiatione, seu personalitate Filij, quæ apud Dionysium* & Nazianzenum υἱότης dicitur, & à spiratione passiua, quæ tum πρόοδος, tum etiam (alio quàm impiè Valentinus vsurparet sensu) προβολὴ vocatur apud quosdam Sanctos è Patribus Græcis. Vnde inter illos Nazianzenus Spiratorem appellauit προβολέα τοῦ πνεύματος, *orat.* 35. Est verò illa prima personalitas realiter improducta, non secùs ac ipsa etiam diuina essentia, cui sic adiungitur, vt metaphysicè ab ea emanare concipiatur, tanquam prima eius proprietas. In hoc autem discrepat ab essentia, quod non sit, quemadmodum hæc, aliis personis communicabilis. Opponitur enim cùm filiationi, quandoquidem [illegible] directè respicit correlatiuam [illegible] spirationi passiuæ, quandoquidem ita coniungi petit spirationi actiuæ, vt ab hac oppositionem contrahat respectu Spiritus sancti, quemadmodum explicabitur in loco. Circa hanc paternitatem duplex occurrit dubium. Prius est, vtrum ita sit purè prædicamentalis relatio, vt non habeat in sua quidditate aliud, quàm referre ad Filium, absque vllo circa illum exercitio? Alterum dubium est, quam habeat in diuinitate radicem, seu fundamentum hæc relatio? Vt priori dubio satisfiat.

2. Dicendum est illos non benè philosophari, qui volunt paternitatem esse relationem puram prædicamentalem, hoc est non habere aliam quidditatem, quàm merum referre. Probatur. Nam si hoc esset, oporteret, vt huiusmodi relatio supponeret in Patre quippiam antecedens, quod per talem ipsam relationem referretur. Atque ita in Patre prima proprietas non foret ipsa paternitas: verùm id foret, quod Bonauentura docuit, qui vult primam personam priùs ratione generare Filium, quàm ad hunc referri per paternitatem: hoc est, vult primam personam antea esse genitorem, quàm Patrem, & constitui in proprio esse personæ, non per relationem, sed per actionem generandi, in qua relatio fundatur, velut aliquid ex ea resultans. Id verò probabile non videtur. Nam deberet insuper explicare Bonauentura, quid sit illud in prima persona, ex quo existat velut ex principio formali generatio, in qua iuxta ipsum relatio fundatur; cogeturque aliquam agnoscere vim, seu fœcunditatem generatiuam vnà cum actuali generatione, sicut nos agnoscimus, qui per talem fœcunditatem, vt actu generantem, volumus primam personam in esse personæ ac Patris constitui, tanquam per relationem transcendentalem; sed non aliam prætereà relationem admittimus. Satis enim Pater Filium respicit per id, quod vim habeat generandi, & actu generet eum.

3. Difficile verò est quod ait Suares, paternitatem (quam vt puram relatio

relationem diſtinguit à formali potentia generatiua, & actuali generatione) non ſupponere, vt ſolent aliæ puræ relationes, aliquod fundamentum, aut aliquam actionem, ad quam ſequatur. Probat. Quia paternitas, cùm ſit ſubſiſtens, imò ratio prima diuina ſubſiſtendi, eſt in Patre, non quia Pater generauit, ſed vt generet. Atque ita præcedit ipſam generationem, & eſt conditio requiſita ex parte actus primi, & determinatiua eſſentiæ ad hoc vt per intellectum, quatenus nondum communicatum, & vt in prima perſona exiſtentem, fœcunda ſit ac generet. Longè meliùs nos relationem paternitatis ſimilem facimus, non quidem relationibus prædicamentalibus (quas nullas à parte rei, niſi fundamentales, agnoſcimus) ſed relationibus tranſcendentalibus, quæ ſunt potentiæ actionéſque phyſicæ. Eamque æquiparamus ſpirationi actiuæ, quatenùs tam hanc, quàm illam ſic ante productionem ponimus, vt vnaquæque ſit vera potentia productiua, aut potiùs actu producens. Porrò hæc paternitas ita eſt ens à ſe, & improducibilis phyſicè, vt tamen fluxu quodam metaphyſico ab eſſentia diuina, velut proprietas emanare concipiatur.

4. Atque hîc ſe offert ſecundum dubium, quod ſupra circa paternitatem propoſuimus; nimirum ex qua præcisè ratione emanet paternitas, ſeu quod fundamentum, aut quam radicem habeat in Dei Patris eſſentia. Suares *lib.8. cap.1. num.6.* & ſequentibus negat aſſignari poſſe pro paternitatis, ſeu perſonalitatis fundamento, & radice rationem intellectionis eſſentialis, cùm perſonalitas naturæ non ſequatur ex aliqua operatione ipſius naturæ per intrinſecam reſultantiam, ſed potiùs ſupponatur ad operationem; quia actiones ſunt ſuppoſitorum. Quæ conſideratio fortior eſt contra nos aſſerentes diuinam eſſentiam non eſſe ſubſiſtentem ante primam perſonalitatem per ſubſiſtentiam abſolutam. Si enim non eſt ſubſiſtens: ergo nec intelligens; atque ita intellectio non poterit præſupponi primæ perſonalitati, vt fundamentum. Prætereà non magis poteſt per immediatum fluxum emanare paternitas ab intellectione, quàm ſpiratio actiua à volitione: atqui Spiratio actiua non immediatè fluit à volitione, ſed reſultat ex actuali originatione Spiritus ſancti. Denique ex intellectione non ſequi poteſt, niſi vel repræſentatio obiecti, vel terminus aliquis productus. Atqui paternitas nec eſt repræſentatio, nec comparatur ad intellectionem vt terminus: ergo, &c. Quare concludit prædictus author, paternitatem conſequi ad diuinam naturam, non quatenus eſt intelligens, ſed hoc ſolo, quòd eſt talis natura ſubſtantialis. Vnaquæque enim natura ſubſtantialis proximum eſt fundamentum ſuæ ſubſiſtentiæ, ita vt illam ſecum deferat ex vi ſuæ creationis, aut productionis: ergo natura diuina, quia ſubſtantialis eſt, debet eſſe radix ſuarum ſubſiſtentiarum; vel per ſolum fluxum metaphyſicum & o[illegible]ionem rationis, vt euenit in [illegible]ſtentia primæ perſonæ; vel per [illegible]yſicam productionem, vt apparet in duabus aliis ſubſiſtentiis.

5. Dicendum tamen eſt rationem intellectionis eſſentialis, ſiue intelligere eſſentiale, radicem eſſe, & fundamentum proximum paternitatis. Probatur. Nam paternitas eſt potentia productiua, ſeu fœcunditas gene-

ratiua per viam intellectus; ita vt quando talis fœcunditas operatur generando Filium, illa eius operatio existat per ipsum intelligere, seu ab ipso intelligere, vel immediatè, vel mediatè. Atqui non existit immediatè (vt suo loco ostendimus) non enim quippiam essentiale, communeque omnibus personis potest immediatè generare: ergo mediatè. Impossibile autem est vt operatio paternitatis sit mediatè ab intellectione essentiali, nisi paternitas sit orta ab ipsa intellectione. Addo, quòd licèt verum esset, generationem esse immediatè ab ipsa intellectione, provt existente in Patre, vt voluit Suares; tamen necessarium esset, quemadmodum idem Author fatetur, vt paternitas adiungeretur, saltem tanquam conditio, quâ intellectio redderetur notionalis & fœcunda: ergo illa paternitas quocumque modo se habeat ad actionem generandi, habet specialem ordinem ad intellectionem essentialem: ergo si ab vlla perfectione naturæ diuinæ oriri debet, debet maximè ab intellectione essentiali.

6. Nec obsunt argumenta, quæ superiùs in contrarium mouerunt Suarem. Non primum. Nam intellectio diuina non est quocumque modo operatio, sed ita, vt sit essentialis, & pars naturæ diuinæ, vt nos docuimus in tractatu de Deo vno. Constat autem naturam integram secundùm omnia substantialia præsupponi suæ subsistentiæ, tanquam proprietati, vt ipse Suares fatetur. Cùm autem vulgò dicuntur operationes esse suppositorum, id non ita intelligitur, quasi vniuersim suppositalitas debeat in priori existere, quàm existant operationes. Licèt enim id verum sit, quando operationes sunt accidentales, non tamen quando sunt essentiales, & pertinent ad ipsam rationem substantiæ. In hoc enim casu sunt suppositorum denominatiuè tantùm, quatenùs ipsis suppositis natura, substantiaque tribuitur; non autem sunt eorum vt præsuppositiuè se habentium. Ad secundum Suaris argumentum respondeo, spirationem actiuam fundari immediatè in actuali voluntatis operatione, nec ad productionem Spiritus sancti comparari, vt aliquid consequens. Ad tertium dico ex intellectione diuina posse aliud sequi, quàm repræsentationem obiecti, vel terminum physicè productum, qualis terminus est Verbum personale. Potest enim sequi immediatè per metaphysicam emanationem subsistentia, seu personalitas, aut potentia productiua Verbi personalis.

7. Porrò quod affert Suares pro confirmatione suæ sententiæ, vnamquamque naturam substantialem proximum esse fundamentum suæ subsistentiæ absque interuentu suæ vllius operationis; quare naturam diuinam antecedenter ad suam operationem debere esse radicem suarum subsistentiarum, verum esse non potest: nec videtur dictum esse satis cohærenter cum eo quod idem Suares asserit de productione subsistentiarum Filij, & Spiritus sancti: vult enim eas produci ab intellectione & volitione notionali. Ergo earum radix non est natura, quatenus præcisè substantialis, & vt contradistincta à suis operationibus.

8. Notandum insuper est, paternitatem sic esse productiuam proprietatis Filij, vt simul sit communicatiua tum naturæ diuinæ, tum spirationis actiuæ; ita vt fœcunditas generatiua reduplicatiuè qua talis, dicat ordinem

nem ad naturam, & ad ſpirationem actiuam, vt à ſe communicandas. Vnde colligitur, paternitatem, etiam quatenus generatiuam, & quatenus reſpicit Filium, diſtingui realiter debere à Spiritu ſancto, & huic aliquo modo opponi. Repugnat enim, vt Spiritus ſanctus habeat vim communicatiuam ſpirationis actiuæ, quâ ipſe producitur; aut ſit identificatus realiter cum eo, quod habet talem vim. Colligitur ſecundò, non deeſſe rationem, cur Pater dicatur à Dionyſio *cap. 5. de diuinis nominibus* πηγὴ ὑπερουσίου θεότητος, hoc eſt fons ſuperſubſtantialis diuinitatis. Vnde ſanctus Maximus in ſcholiis ad caput ſecundùm illius ipſius libri, ait, πηγαία θεότης ὁ πατήρ· ὁ δὲ υἱὸς, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον βλαστοί εἰσι τῆς θεογόνου θεότητος· τοῦτ' ἔστι τοῦ πατρὸς θεόφυτοι· καὶ ἄνθη, καὶ φῶτα ὑπερούσια. Similiter à Concilio Toletano XI. idem Pater vocatur fons, & origo totius deitatis: nec dubitauit Concilium Vormacienſe Patrem nuncupare principium totius Trinitatis. Non quaſi quicquid in Trinitate continetur, paternitatem reſpiciat vt principium; nam ſic ipſamet, cùm in Trinitate contineatur, eſſet principium ſui. Sed quia quicquid in Trinitate vel producitur, vel communicatur, fluat aliquo modo à paternitate; quo modo dicimus primam vnitatem eſſe principium totius ternarij. Hæc tamen vltima locutio, quòd nimirum Pater ſit principium totius Trinitatis, non eſt facilè, nec ſine explicatione vſurpanda. Ex eo autem, quòd Pater ſit principium totius Trinitatis eo dicto modo, quo Filius non eſt Principium, quamuis verè ſit principium alio quodam minùs vniuerſali; hinc fit vt ipſe Pater principium dicatur ſimpliciter ac ſine addito; & ratio principij ſit quoddam eius ſpeciale attributum: cui æquiualet quod Bonauentura dixit, Patrem habere totalem plenitudinem.

9. Quæ ſit differentia Paternitatis diuinæ ab ea paternitate, quæ in creaturis inuenitur, oſtendit Athanaſius diſputans contra Arianos: *Non Deus eſt*, inquit, *vt homo. Nam neque Pater ex Patre eſt altero; ideò nec eum gignit, qui ſit futurus Pater, aut qui in hoc generetur, vt gignat. Vnde in ſola diuinitate Pater eſt propriè Pater, & Filius eſt verè Filius. In iiſque ſolis* (duabus ſcilicet illis primis perſonis) *id conſiſtit, vt Pater & ſemper, & ſolùm Pater ſit, & Filius ſit ſemper ac ſolùm Filius.* Monet Cyrillus paternitatis nomen non ex hominibus ad Deum, ſed ex Deo translatum fuiſſe ad homines: πατρότητος ὄνομα οὐκ ἐξ ἡμῶν ἔχει θεὸς, ἀλλ' ἡμεῖς ἐξ αὐτοῦ: iuxta illud Pauli, *Ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur.* Cùm in cœlo paternitas nominatur, id ex eo dicit eſſe Hieronymus, quòd Angeli ſuperiores ſint adoptione patres inferiorum. *Quòd enim Deus excellenter Pater eſt Filij, non adoptione, ſed iuxta ſubſtantiam, indè nomen id tractum eſt ad paternitatem adoptionis Angelorum; quemadmodum & ad imperfectam paternitatem naturalem, filiationemque hominum.* Diuinam paternitatem hominibus, & ſupercæleſtibus virtutibus πατριαρχικῶς δεδώρηται, ait Dionyſius *cap. 2. de diuin. nomin.*

10. Denique ad commendationem diuinæ paternitatis omittendum non eſt, quod aſſerit Cyrillus *lib. 11. in Ioannem*, explicans illud Chriſti dictum, *Manifeſtaui nomen tuum hominibus. Manifeſtaui nomen*, inquit,

Patris Filius, vt intelligeremus non solùm illum esse reuerà Deum; id enim ante aduentum Christi vulgò prædicabatur: sed hoc insuper, præterquàm quòd Deus est, eundem quoque esse non ementita appellatione Patrem: augustiùs enim est Patrem, non abusiua appellatione (ψευδωνύμως) *quomodo Creator, quà Deus est, Pater dicitur creaturarum,) sed sublimiore vocari consubstantialis Filij Patrem.* ἔχοντα ἐν ἑαυτῷ καὶ ἐξ ἑαυτοῦ τὸ ἴδιον γέννημα τῇ ἰδίᾳ φύσει. Subditque deinde post aliqua: *Scire Deum, Iudaicæ sapientiæ modum non excedit; excedit autem scire Patrem. Cùm enim Deus dicitur, ad ea comparatur, quæ sunt seruilis conditionis: Pater verò ad Filium refertur. Talem enim ac tantum Patrem esse, quàm Deum tantò melius est, quantò Filius præstantior est, quàm creatura.* κρεῖττον γὰρ τοσοῦτον πατέρα εἶναι, ὅσω ποιήματος υἱὸς διαφέρει. Quò referri possunt hæc Guilielmi Parisiensis verba: *Cùm incomparabiliter maior sit gloria ipse Filius Genitori suo, quàm mundus Creatori; incomparabiliter nequiùs blasphemat, qui negat Deum Patrem genuisse Filium, quàm qui negat eum creasse mundum.* Hactenus egimus de paternitate, priori scilicet illa notione, quam numero 1. considerandam esse diximus: nunc de notione altera, nimirum de innascibilitate tractandum.

11. Quod ergo attinet ad innascibilitatem, seu rationem ingeniti, improducti, &c. notandum est, illam siue à Philosophis Gentilibus, siue à diuersis hæreticis erroneo, impioque vsurpari sensu. Plato enim suas ideas vocabat improductas, Ἀγεννήτους ἰδέας. Aristoteles mundum esse dixit Ἀγέννητον, necnon materiam item primam. Quam materiam hæretici Manichæi appellatione simili decorarunt, vt testatur Chrysostomus: Τῆς Ἀγεννησίας, inquit, πρεσβεῖοις ἐτίμησαν. At ex Arianorum grege omnes hoc Ἀγεννήτου nomen eo modo conati sunt in Deo explicare, quo sibi expedire putauerunt ad abrogandam diuinitatem Christo; quem γεννητὸν Catholica prædicabat Ecclesia. Eò scilicet spectabat Paulus Samosatenus (eiusdem cum Ariana massa farinæ) quando necessarium omnino asserebat, eum Ἀγέννητον esse, qui Deus dici possit. Mens eadem Eusebij Cæsareensis fuit, Deum passim vocantis Ἀγέννητον φύσιν, dicentisque *lib. 5. de demonstr.* Filium λόγον εἰκόνα τῆς ἀγεννήτου φύσεως. Quem Filium, cùm vnigenitus vulgò appelletur à Catholicis, tantùm abesse volebant huiusmodi hæretici ab eo vt sit Deus, quantùm ingenitus abest ab eo vt sit genitus; quemadmodum refert Nyssenus *lib. 6.* cõtra *Eunom.* eorum sic verba referens τοσοῦτον ἀπέχει ὁ μονογενὴς θεὸς, διὰ τὸ γεννητὸν εἶναι, τὸ εἶναι θεὸς ὅσον καὶ ἀγέννητος, τοῦ γεννητὸς εἶναι. Quare Arianorum pessimi Anomæi, (cæteris in Patre notionibus repudiatis) innascibilitatem solam ei tribuebant, vt oppositione Ingeniti, & Geniti dissimilem esse Patri Filium adstruerent, ἀνομοιότητος τρόπον κακουργοῦντες, vt inquit idem Nyssenus *lib. 1. contra Eunomium.* Quam verò dissimilitudinem inter Patrem & Filium introducere vellet Eusebius Cæsareensis, intelligitur ex eo, quod scribit in libro *de demonstr. Euang.* Asserit enim Deum Patrem (cùm sciret multiplicem fore, quam animo destinabat, τῶν γεννητῶν οὐσίαν, creaturarumque substantiam, quæ ingeniti luminis splendorem ferre non posset)

posset) vim quandam produxisse mediam, quæ ambo inter se extrema coniungeret. Eam autem vim ait fuisse primogenitam ac vnigenitam; nempe Filium, quem *cap.4.* vocat perfectum perfecti artificis opus, & sapientis sapientem architectationem, atque αὐτολόγον, καὶ αὐτοσοφίαν, ac inter γεννητὰ per se pulcrum, per seque bonum.

12. Ex dictis apparet omnem Arianorum factionem conatam esse illa duo nomina γενητὸν, & γεννητὸν (hoc est creatum & genitum) scriptione sonoque simillima, nequaquam significatione distinguere. Quare Deum affirmabant nisi ἀγέννητος omninò sit, ἀγένητον esse non posse; sicque Filium eodem esse γενητὸν seu creaturam, quo γεννητόν. Vnde fiebat, vt τὴν ἀγεννησίαν in Patre non ad notionem personalem, sed ad naturam essentiamque solam referrent. Quod causa fuit cur Nazianzenus promiscuam illam γενητοῦ καὶ γεννητοῦ vsurpationem vocarit Arianorum arcem, siue ἀκρόπολιν, καὶ τεῖχος τῆς κακοδοξίας. Et Basilius, πρῶτον στοιχεῖον, seu *primum elementum ipsorum blasphemiæ.* At Catholici (vt optimè Damascenus explicat *lib. 1. de fide, cap. 9.*) cùm Filium profitentur γεννητὸν οὐ γενητὸν, sicut est in Symbolo Nicæno, genitum non factum; longè diuerso sensu duas eas voces interpretantur, atque illarum priore (nimirum voce geniti) negant declarari necessariò naturam diuersam ab ingenito: ac volunt illum qui genitus sit, posse eiusdem esse naturæ cum eo, qui ingenitus. Sanè in omni animalium specie illud quod fuit primum à Deo immediatè creatum, potuit esse ἀγέννητον, & simul cum aliis generatione productis eiusdem substantiæ, atque naturæ. Non ergo mirari debent hæretici, cùm duarum personarum increatarum vnam quidem asserimus esse Filium seu genitum (quem Synesius poëticâ licentiâ dicit editum ὑπερουσίοις λοχείαις, supersubstantialis partus enixibus) Patrem autem ingenitum (quem idem Synesius pari licentiâ vocat ἀλόχευτον, id est partu non editum, necnon υἱὸν ἑαυτοῦ. Cyrillus verò similiter *lib. 1. contra Iulianum*, appellat αὐτογενῆ. Addendum hîc de ingenito videtur, quod habet Augustinus *lib. 5. de Trinit. cap. 7. Ingenitus*, inquit, *idem est, ac non genitus. Proinde ingenitus nihil aliud est, quàm non filius; sed latinè non dicitur infilius.*

13. Vt tota ratio ingeniti, seu innascibilitas (quatenus à Conciliis, & Patribus, quos Suares citat *lib. 8. cap. 2.* soli tribuitur Patri, non autem diuinitati, nec aliis duabus personis) meliùs intelligatur, notandum est, eam non debere tantùm sumi, prout opponitur generationi passiuæ; nam sic Spiritui sancto item conueniret: sed prout vniuersim omne genus processionis sic excludit, vt ei non nisi priuatiuè opponatur. Dixi, *priuatiuè*; quia si in sensu negatiuo loquamur, non soli conuenit Patri reiicere omne genus productionis: nam & hoc habet diuinitas, quam constat produci à nullo posse. Ergo sumi debet improducibilitas priuatiuè, prout comparatur ad personas diuinas; quas cùm constet esse ex suo genere capaces producibilitatis, hinc fit vt aliqua persona esse improducibilis non aliter dicatur quàm priuatiuè; ita nempe, vt ei conuenire posset producibilitas, si præcisè attenderetur ratio generica personæ diuinæ; quamuis non possit, si attendatur talitas personæ

personæ particularis, quæ sit nimirum prima in Trinitate. Quod est habere priuationem, quam Philosophi vocant *secundùm genus, & non secundùm speciem, rationemve propriam*; qualis est priuatio visus in talpa, qui capax est videndi, non vt talpa est, sed vt animal est. Notandum item est, innascibilitatem, quamquam de formali significet negationem seu priuationem producibilitatis; tamen de materiali, & fundamentaliter significare positiuum, nempe ipsam paternitatem, non præcisè quatenus est productiua, & refertur ad Filium (nam hoc totum reperiri posset in Patre, quamvis ipse haberet Patrem, vt videmus in humanis;) sed quatenus talis est, vt à se sit. Et quamvis ita spectata materialiter innascibilitas non differat à paternitate; id tamen non impedit, quominus secũdùm formalem significationem priuationis sit notio distincta ab ipsa paternitate; esto, id ipsum impediat, quominus sit distincta proprietas; non enim potest in priuatiuo, seu negatiuo consistere vera proprietas; optimè autem potest notio, cùm Deum nequeamus meliùs, quàm per negationes cognoscere.

14. Ex eo quòd Pater sit talis, vt secundùm suæ rationem paternitatis ei repugnet ab alio produci, quædam ei adscribuntur nomina, quæ non hîc prætermittenda videantur. Illi siquidem conuenit, vt vocetur primum in Trinitate principium, & fontalis origo, eamque præcipuam ab innascibilitate dignitatem habet. Innascibilitas enim dignitatem significat, ex Diuo Thoma *quæst.* 32. *art.* 3. *ad* 4. Per rationem primi principij Pater distinguitur à Filio, qui licèt principium & ipse sit, non tantùm Spiritus sancti ad intra, sed etiam creaturarum ad extra, vt significatur *Prouerb. cap.* 8. & *Ioannis* 1. tamen non dicitur absolutè principium, cùm sit principium ex principio. At Pater est à se solo, quem ideò Græci vocant ἄναρχον, & ἀρχὴν ἄναρχον. Nazianzenus *oratione* 32. tres personas diuinas ita distinguit, vt Pater sit is, qui est principium; Spiritus sanctus verò is, qui est cum principio. Additque, *non ex eo quod Pater sit expers principij, dirimi à Filio, aut Filium ex eo quod sit principium, dirimi à Spiritu sancto. Expertem enim esse principij, aut esse principium non est ipsa natura, sed aliquid adiunctum naturæ.* Est apud Patres Græcos vsitatum, vt Patrem vocent αἴτιον, seu αἰτίαν υἱοῦ, id est causam; non alio tamen sensu quàm à Latinis (qui causæ nomen hîc repudiant) principij nomen vsurpetur. Ex Latinis quidam Græcos in hoc imitati sunt, vt Hilarius, qui *lib.* 12. *de Trinitate*, ait necesse esse, *vt Filius ex causa perfecta nascens, in causa ipsius proprietate nascatur*, &c.

15. Denique sunt hîc aliæ quædam notandæ locutiones, vt cùm Pater appellatur sæpiùs ab Hilario author Filij: sic v. g. *lib.* 9. *de Trinitate*, dicit, *Filium esse authoris imaginem.* Cuius vocabuli docet Augustinus qualis esse debeat sensus, cùm disputando contra Maximinum hæc habet: *Si Deum Patrem Deo Filio dicis authorem, quia ille genuit, genitus est iste; quia iste de illo est, non ille de isto; fateor, & concedo. Si autem per nomen authoris minorem vis facere Filium, Patremque maiorem, detestabor, & respuam.* Insigne est quod idem *serm.* 11. *de verbis Domini*, ait: *Insinuatur nobis in Patre authoritas, in Filio natiuitas, in Spiritu sancto Patris*

tris Filiique communitas, in tribus æqualitas. Eadem ratione quâ persona producens potest esse author productæ, dici potest, communiterque dicitur, esse in producente quædam authoritas in productam; in qua authoritate fundantur Filij, Spiritusque sancti missiones. Audaciùs Patrem Tertullianus *c.8. contra Praxeam*, nominat Filij radicem, & fontem; Filium autem, radicis fruticem, fontis fluuium, solis radium. Cyrillo item Alexand. familiare est Patrem vocare Filij radicem ac fontem. Quod & Basilius, Ambrosiusque nonnunquam vsurparunt. Superiùs aliquid simile reperies *num.*8.

CAPVT II.

De persona Filij.

1. QVod in secunda persona primò ac præcipuè consideratur, est filiatio, seu relatio, quâ constituitur in esse Filij, seu geniti, aut (cùm alia ab eodem Patre filiatio sit impossibilis) Vnigeniti. Ea verò non est velut quædam prædicamentalis relatio, quæ nihil aliud habeat, quàm purè terminum respicere, & eum referre, vt de paternitate suprà monuimus. Cùm enim in Filio nihil per productionem oriatur à Patre præter ipsam solam relationem, intelligi necessariò debet, ipsam habere in se aliquid aliud productum, quàm simplex referre. Est enim impossibile, vt illa ipsum suum purum referre referat. Debet, inquam, realitatem in se habere, quæ, vt producta, referatur ad Patrem; & quæ aliquod aliud officium, quàm referendi exercens, ipsi relationi substernatur, non quidem accidentaliter, sed quidditatiuè. Atque ita hæc relatio non est aliud, quàm entitas quædam transcendentaliter relata, seu quædam transcendentalis relatio, quæ quidditatiuè includat productionem passiuam actualem, eo ferè modo quo creatura dependentiam.

2. Ea verò relatiua entitas exercet in secunda persona officium subsistentiæ, vt suo loco dictum est. Et quamquam sub ratione filiationis solum Patrem directè respiciat; tamen cùm respiciat ipsum non tantùm vt productorem, sed etiam vt communicatorem, tum essentiæ diuinæ, tum spirationis actiuæ; hinc fit vt conceptus filiationis includat quidditatiuè receptionem spirationis actiuæ, & ordinem dicat aliquem ad spirandum, petatque produci Spiritum sanctum ab eo Filio, quem ipsa constituit. Cùm autem spirationi passiuæ, seu Spiritui sancto repugnet accipere spirationem actiuam (est enim impossibile, vt Spiritus sanctus habeat fœcunditatem productiuam sui) hinc fit, vt filiatio habeat oppositionem, seu inidentificabilitatem non modò cum paternitate, sed etiam cum spiratione passiua, seu Spiritu sancto. Plura diximus hac de re alibi. Tantum hîc aduertendum est, quòd cùm æterni Filij generatio, seu natiuitas, habeat simul & summam immaterialitatem, eminentissimamque vitæ spiritualitatem, quatenus est à viuente coniuncto; & perfectionem repræsentationis infinitam, quatenus est in similitudinem naturæ; immaterialitas quidem, ac vitæ eminentia nomine Verbi; repræsentationis autem perfectio nomine imaginis solet designari. Atque hæc præcipuè duo no-

mina explicanda iam nobis incumbunt, quamvis & alia quædam indicanda erunt vocabula, quæ Filio à Scripturis solent accommodari. Et primò quidem

3. Verbum non hîc sumimus pro eo mentis actu, seu termino, quo formaliter Deus intelligit. Talis enim actus, vel terminus, personis omnibus communis, & essentialis est; nec procedit per physicam productionem ab eo principio, à quo realiter distinguatur. Vnde fit vt cùm Verbum appellatur, id fiat cum aliqua improprietate. Quamvis enim nonnulli Theologi, Capreolus, Ferrariensis, & ipse Diuus Thomas *in primum dist.* 27. *quæst.* 2. *art.* 2. censuerint Verbum dici posse tam essentialiter quàm personaliter; quia omnis actus intelligendi est verbum, cùm sit forma expressa repræsentans: imò Durandus motus suo fundamento erroneo, quòd Filius non procedat per intellectum, existimarit Verbum, si exactè loquamur, posse tantùm dici essentialiter; de secunda verò persona non dici notionaliter, nisi per quamdam appropriationem. Meliùs tamen idem Diuus Thomas 1. *p. quæst.* 34. *art.* 1. Caietanus *ibidem*, & vulgò Scholastici cum Magistro *in* 1. *dist.* 27. asserunt Verbum esse nomen personale, & non dici essentialiter nisi in significatu improprio; quomodo dicimus aliquando in Deo esse duplex Verbum, essentiale vnum, personale alterum. Ratio afferri potest, quoniam ad esse verbi mentalis, provt ei respondet nomen Græcum λόγος, duæ conditiones videntur requiri: primò, vt producatur physicè atque realiter: secundò vt sit forma exprimens, & repræsentans obiectum. Quo posito euidens est, licèt nostri actus, quibus intelligimus habeant vtramque illam conditionem; tamen actum, quo Deus essentialiter intelligit, carere priore conditione, ac per consequens non posse vocari in summo rigore verbum. Fundatur id in Scriptura, quæ ait Apocal. c. 19. *Et nomen eius* (vtique proprium, nec ad aliam personam pertinens) *erat Verbum Dei.* Quomodo solet Scriptura vocem hanc, *Verbum*, pro secunda persona sumere, in nouo præsertim Testamento; nam in veteri, vt Trinitatis mysterium non nisi subobscurè declaratur, nec Deus relatiuè vt Pater explicatur; sic nec illi correlatiuum Verbum tanquam ab eo generatum. Accedit & Patrum authoritas, vt cùm Augustinus *lib.* 5. *de Trinit.* & *libro de cognitione veræ vitæ*, docet, *Tres personas non dici esse vnum verbum, sicut dicuntur esse vna sapientia: quia sapientia non dicit relatiuum, sicut Filius.*

4. Cùm ad rationem verbi duplex necessaria sit supradicta conditio, nempe vt realiter producatur, itáque ordinem dicat ad principium realiter distinctum; & prætereà vt sit repræsentatiuum, seu expressiuum, atque ita ordinem habeat ad res dictas; notandum est hanc secundam conditionem formaliùs, quàm priorem importari per nomen verbi. Importatur tamen omninò prior, siue vt pertinens aliquo modo ad formale significatum, siue saltem vt connotatum. Porrò prior conditio competit Filio, non ratione essentiæ, quam per communicationem accepit; sed ratione solius proprietatis: altera verò conditio competit ei, non ratione proprietatis, sed ratione essentiæ, seu intellectionis essentialis. Concipi verò non potest Verbum Diuinum secundam

eundam habere conditionem, nisi simul intelligatur habere priorem; non enim habet essentiam sibi communicatam, nisi per suæ proprietatis productionem.

5. Ab vtraque porrò illa conditione habet Verbum Diuinum, vt illius originatio appelletur propriè, *dictio.* Nam non censetur per absolutam suam intellectionem quicquam dicere, quia per illam nihil realiter producit. *Nos tamen interiùs* (inquit Augustinus lib. 15. de Trinitate cap. 15.) *verbum nostrum dicimus, quotiès intelligimus; quia scilicet ipsum verbum producimus.* Sed nec productio realis ad esse dictionis sufficeret, nisi cum productione reali esset alicuius obiecti repræsentatio. Atque ex eo quòd Verbum priorem conditionem habeat & producatur, asserimus ipsum à Patre dici. Verbum enim Dei verè *dicitur*, dum eructatur, & ex ore prodit Altissimi. Ex eo autem, quòd secundam habeat, & sit repræsentatiuum, asserimus res per ipsum dici, non tamen ab ipso Filio dici; Filius enim, dum intelligit, nullo modo *dicit*; sed Pater generans, quemadmodum ob realem productionem Verbum *dicit*, sic ob repræsentationem ipsam productam res omnes, quas intelligit, *dicit* per suum Verbum. Nam eo modo quo dum aliquis pingit, non tantùm pingit tabellam, seu imaginem Regis, sed ipsum Regem, qui per imaginem repræsentatur; & qui scribit, non tantùm scribit epistolam, sed etiam negotia, quæ per epistolam narrantur; sic dum Pater dicit, non modò dicit Verbum, sed res etiam, quæ per Verbum repræsentantur. Ratio huius petenda est ex illo principio, quod habetur apud Aristotelem, de memoria & reminiscentia, capitulo 5. *Idem est motus in imaginem, & in id cuius est imago.*

6. Ex superioribus intelligitur, nequaquam metaphoricè, sed in proprio sensu nomen Verbi Filio Diuino aptari. Nam vt omittamus tum Alogianos hæreticos, de quibus Epiphanius *hæres.* 51. qui Verbum Dei nihil esse dixerunt, ideoque nec initium Euangelij Ioannis, nec Apocalypsin admittebant; tum Arianos, qui Christum ita per metaphoram vocari Verbum ob excellentem sapientiam illi communicatam, & enarrata nobis ab ipso diuina mysteria voluerunt, quemadmodum Ioannes Baptista appellatus est *Vox*, ob officium speciale prædicationis; manifestum est errasse Durandum cùm asseruit, secundam personam non procedere ab intellectu, sed immediatè à diuinitate prout intellectam antecedenter, ac per consequens non vocari Verbum intellectuale in proprio sensu; sed tantùm per quandam appropriationem, vt suo loco explicuimus ac refutauimus. Posito tamen quòd Filius per intellectum generetur, difficultas quædam est, quomodo propriè verbum dici possit, cùm non sit forma, quæ intellectum diuinum constituat formaliter intelligentem; supponit enim potiùs intelligentem, & ab eo vt intelligente procedit, &c. Sed dicendum est, Filium Æternum, licèt careat imperfectionibus, quæ coniunctæ sunt cum ratione verbi creati; non enim est forma accidentalis, &c. habere tamen omnia, quæ essentialiter requiruntur ad veritatem proprietatemque Verbi. Est enim terminus per se primò productus per intelligendi actum; & constituitur (quatenùs identificè communicatur ei essentialis intellectio) in ratione repræsentantis

obiectum illius intellectionis, per quam producitur, & quæ ipsi communicatur. Cætera verò, quæ in mentis creatæ verbis reperiuntur, non sunt ad rationem verbi præcisè sumpti necessaria, & ad imperfectionem limitationemque pertinent. Vnde optimè dixit Athanasius in epistola de sententia Dionysij contra Arianos, ***non tale quærendum esse Dei Verbum, quale nostrum; quia non talis est Deus, quales nos sumus.***

7. Porrò cùm Verbum Diuinum per sui productionem accipit communicatam intellectionem essentialem, & eatenùs constituitur repræsentans eas res, quas ipsa essentialis intellectio repræsentat; non attendi debet ea notionalis, personalisque repræsentatio, quasi facta ipsimet Verbo; & quasi illa sit, per quam ipsum Verbum subsistens directè intelligit, ac sibi vitaliter formaliterque repræsentat: non enim habet secunda persona notionalem intellectionem, quâ intelligat, sed dumtaxat essentialem, per quam omnes communiter personæ constituuntur intelligentes. Notionalis ergo repræsentatio, & quâ verbum fiat repræsentans, debet attendi respectu Patris, & est velut obiectiua, quatenùs Pater, dum generat, intuetur suam intellectionem, ac obiectorum repræsentationem essentialem, quam à se priùs possessam, ei Verbo, quod producit, communicat: idque actu faciens, dicitur notionaliter intelligere, seu dicere obiecta omnia, quæ in sua tali intellectione, quam actu communicat, & reflexè videt, percipit: vnde vulgò Pater dicitur omnia intelligere in Verbo. Et quamuis in eodem Verbo, tum Spiritus sanctus, tum ipsum Verbum, tum Beati omnes intelligant; id tamen speciali, notionalique modo Patri quà generanti, tribuitur; solusque Pater res quas in Verbo videt, *dicit*; nec enim ipsum Verbum, aut Spiritus, aut Beati, *dicunt*, dum vident in Verbo. Item considerandum est, licèt in Verbo omnia repræsententur speciali modo iam explicato, tamen repræsentari etiam & intelligi posse in Patre ac Spiritu sancto, vtpote eandem possidentibus intellectionem essentialem ac repræsentationem omnium rerum.

8. Denique aduertendum est, hæc duo nomina, *Verbum*, & *Filius*, non significare diuersam vllam proprietatem: nam, vt ait Augustinus 7. de Trinitate, cap. 2. ***Eodem est Verbum, quo Filius; & eodem Filius, quo Verbum.*** Ambo igitur ea nomina solam filiationem important; non tamen eodem modo, aut ita vt sint synonyma. Filius enim designat tantùm processionem in similitudinem naturæ, Verbum autem significat eam processionem esse intellectualem. Vnde Athanasius *orat. 2.* contra Arianos, ***Nomen Filij***, inquit, ***identitatem substantiæ significat; nomen Verbi, quòd non sit materialiter genitum.*** Et Ambrosius lib. de fide, cap. 2. ***Verbum dicitur, quia immaculatum; Filius, quia genitus.*** Quamuis ergo relatio Verbi ad *dicentem*, sit ipsa relatio Filij ad generantem; apparet tamen, non esse sub eodem penitus modo concipiendi. Præterea nomen Verbi significat aliquem respectum ad creaturas, quas repræsentat; quem respectum non significat nomen Filij. Denique diuersitas conceptus, qui respondet his duobus nominibus, patet ex eo quòd Filius cum suo significatu applicetur creaturis, quæ non habeant

rationem

rationem Verbi; & pariter nomen Verbi creaturis conueniat, quæ non habeant rationem Filij. Ergo cùm eadem nomina applicantur secundæ personæ, illam sub diuersa ratione significant.

Quam secundam personam Latini *Verbum*, eam Greci Theologi λόγον vocant; vt & Scriptura sacra in Ioannis Euangelio, *c.*1. & *Apocal. cap.*1. 6. 19. 20. *Porrò* λόγος (inquit Hieronymus epist. 103.) *multa sigificat: nam & verbum est, & ratio, & supputatio, & causa vniuscuiusque rei, per quam sunt singula quæ subsistunt. Quæ vniuersa rectè intelligimus in Christo.* Lactantius autem ea voce in Christo, *& sermonem declarari*, ait, *& rationem; quia Christus & vox est, & sapientia Dei.* Quamuis Latinè verbum & sermo pro eodem sumantur, sicut Græcè λόγος & λέξις; non raro tamen illa significatum ita diuersum habent, vt verbum, seu λόγος, internam cogitationem, siue διάνοιαν; sermo, seu λέξις, prolatitiæ orationis structuram, atque textum, τὴν ἀπαγγελίαν sonet, vt notat Ammonius in commentaria libri Aristotelici de interpretatione. Quo modo appositè dicere possit aliquis, cùm vtrumque Christo conueniat, tribuendam illi aptiùs esse secundùm naturæ diuinæ simplicitatem λόγου, Verbique simplicissimi nomenclationem; at secundùm vnionem hypostaticam eidem ex diuina humanaque natura iuncto, propriè λέξεως & sermonis (ex plurium scilicet vocabulorum structura constantis) nomen competere posse. Ipsum provt verbum est, & mentis æternæ λόγος, ait Ambrosius *lib. de Filij diuinitate, cap.*6. à pluribus vocari Patribus rationem; & quidem iure. Nam, vt est apud Dionysium *libro de diuin. nomin.* omnes rerum simplicissimè rationes & causas in seipso anteoccupauit: πάντων αἰτίως ἐν ἑαυτῷ προείληφεν. Ea ferè significatione λόγου nomen Platonici, Trimegistus, aliique Gentiles quidam vsurparunt. Ethnicos Tertullianus in apologetico alloquens; *Apud vestros quoque sapientes*, inquit, λόγον, *id est sermonem, atque rationem constat artificem videri vniuersitatis.*

10. Insigne est, neque hîc omitti debet, quod ait Nazianzenus *oratione* 36. Filium vocari λόγον, quia ita sese ad Patrem habet, vt definitio ad definitum; id enim nomen λόγος sonat: ὅτι ἔχει πρὸς τὸν πατέρα, ὡς ὅρος πρὸς τὸ ὁριζόμενον ἐπειδὴ καὶ τοῦτο λέγεται λόγος. Similiter Isidorus Pelusiota, ὅρον καὶ λόγον τοῦ πατρός, Filium nominat. Patrem sanè Filius quodammodo definit, perfectaque cognitione ita circumscribit, vt nihil in illo eiusque diuinitate sit, quod illum lateat. Quemadmodum enim Pater, quia se omninò comprehendit, dicitur, quantumvis omni creato intellectui infinitus, sibi tamen esse quodammodo finitus, nec habere quicquam perfectionis, quod sit extra limitem suæ cognitionis: pari planè modo finitus est suo Filio eamdem simul habenti cognitionem, cuius cognitionis terminos nulla vlterior perfectio diuinitatis transcendat; quod est illam esse veram comprehensionem, iuxta illum quem Augustinus *epistola* 112. *cap.*8. tradit comprehensionis conceptum. Et licèt comprehensionis ab Augustino traditum conceptum varia interpolatione immutare, explicaréve quis velit, vt aliqui fecere Theologi; certum tamen est quocumque modo explicetur, Patrem omninò à Filio com-

prehendi, atque hunc illius quasi definitionem, explicationemque subtilissimam esse: nam siue iuxta Thomistas Deus, vt comprehensiuè circumscriptéque noscatur, debet tali intellectione videri, quæ sit eo infinita modo, quo infinita est essentia Dei: siue debet, vt volunt Nominales, cognosci ex parte videntis perfectione summâ, quâ videri potest; aut ita, vt cognitio eamdem habeat proportionem cum aliis omnibus cognitionibus possibilibus, quam res ipsa cognita habet cum aliis omnibus possibilibus rebus: siue denique debet, quemadmodum volunt Suares & Vasques, ita videri, vt visio feratur vel formaliter, vel causaliter in omnes creaturas, quæ oriri pendereque possunt ab omnipotentia diuina: indubitatum est, deesse nihil in Filio Dei, quominus Patrem circumscriptivè, comprehensiuéque videat; atque ita illum definiat, vt illius ipse sit naturalis, genuinaque definitio.

11 Est & hîc attendendum, Filium vi æternæ generationis accipere illam ipsam contemplationem, quâ Pater semet intuens fit suæ diuinitatis, vt reali, sic & insuper intentionali possessione comprehensor; atque ita per vitalem intelligentiæ actum Beatus seipsum sibi, quantuscumque est, perfectissimè declarat. Quare fieri non potest, vt quis intueatur in Filio cognitionem diuinitatis illam, quam accepit; & per quam ipse, non minùs ac Pater, est & reali, & obiectiua simul diuinitatis possessione comprehensor; quin pariter videndo Filium, videat & Patrem, iuxta illud quod ipse Christus dixit *Ioan.* 14. *Qui videt me, videt & Patrem.* Quam rationem suprà citato loco Nazianzenus attulit, cur Filius sit definitio & perfecta declaratio Patris: ὁ γὰρ νενοηκὼς τὸν υἱὸν, νενόηκε τὸν πατέρα. Etenim (pergit) σύντομος ἀπόδειξις καὶ ῥᾳδία τῆς τοῦ πατρὸς φύσεως ὁ υἱός. *Contracta*, nempe, *facilisque est paternæ naturæ declaratio Filius.*

12 Ex eo quòd Filius sit Verbum Patris, seu intellectio producta; in intellectione autem sit sapientia; hinc fit, vt idem Filius nomine notionali appelletur etiam Sapientia Patris, quatenus ille terminus (*Patris*) non dicit habitudinem subiecti ad formam (quasi Filius sit sapientia Patrem informans, & eum constituens sapientem;) sed habitudinem originis. Quo sensu intelligendus est Paulus 1. *Corinth.* 1. Christum vocans, *Dei virtutem & Dei sapientiam.* Vnde Athanasius eleganter in oratione contra Gregales Sabellij, ait, *Sapientiam Patris esse Filium*; *non vt sit inter homines, vbi per sapientiam est sapiens*; *sed ex sapiente sapientia illa ortum habet.* Cui æquiualet quod Augustinus dixit, *Filium esse sapientiam de sapientia.* Quare meritò retractauit idem August. 1. *retract. cap.* 26. & 6. *de Trinit. cap.* 1. & 2. id quod aliàs dixerat lib. octogintatrium quæstionum, quæst. 23. *Patrem esse sapientiam sapientiâ genitâ.* Nullo enim modo id verum esse potest, quandoquidem Filius Patrem informat. Ad id verò, quod obiici potest ex Anselmo in monolog. cap. 34. *Idem esse in summo spiritu dicere & sapere*; vnde sequitur, quod Pater eo formaliter sapit, quo dicit: ergo vt dicit omnia Verbo, ita etiam Verbo sapit. Respondeo, importari duo per hunc terminum *dicere* nempe primò productionem. Vnde verè ac propriè Pater dicit

dicit Verbum: & secundò intellectionem; vnde verè ac propriè Pater dicit Verbo omne quod cognoscit. Quorum duorum prius quidem, & non secundum, importatur per terminum generare; & ideò Pater generat Verbum, non autem generat obiecta cognita. Secundum autem, & non prius, importatur per terminum *intelligere*; & ideò Pater omnia obiecta cognoscibilia, etiam ea quæ non producit, intelligit. Cùm igitur tam prius, quàm secundum importetur per terminum *dicere*, asserendum est Anselmum, quando voluit idem esse in summo Spiritu *dicere quod sapere*, sumpsisse terminum *dicere*, non adæquatè provt duo suprà dicta importat; sed tantùm provt importat *intellectionem*. Certum enim est, in summo Spiritu *sapere*, nihil aliud esse quàm *intelligere*. Petes, num quemadmodum negatur Patrem esse sapientem sapientiâ genitâ; ita etiam negari debeat Filium esse sapientem sapientiâ genitâ? Respondeo, debere in rigore & in sensu formali negari; Filius enim est sapiens sapientiâ essentiali, quæ est à Patre communicata, non autem genitâ. In sensu tamen materiali admitti potest: nam Filius seipso est sapiens, quatenus eâ sapientiâ essentiali sapit, quæ sit idem cum ipso Filio, siue cum sapientia genita. Quemadmodum etiam in sensu materiali verum est, Patrem, & Filium esse sapientem Spiritu sancto, id est eâ sapientiâ essentiali, quæ sit idem cum Spiritu sancto. Et similiter concedi potest Patrem sapientem esse Filio, seu sapientiâ genitâ, cùm sit sapiens essentiali suâ sapientiâ, quæ materialiter idem est cum ipso Filio.

13. Vt meliùs, quomodo Filius debeat dici sapientia Patris, intelligatur, exponendæ sunt hîc aliquæ locutiones à Patribus, quà Græcis, quà Latinis vsurpatæ, quæ difficilem videntur habere explicatum. Vt cùm dicitur, *nata sapientia*, *sapientia quæ oritur ex sapientia*, vel simpliciter *sapientia ex sapientia*. Huiusmodi enim locutiones ità sunt intelligendæ, quasi dicatur, Filium eandem habere sapientiam cum Patre, sed hanc ipsam habere ex Patre: siue, personam eam, quæ dicitur notionaliter sapientia, natam esse ex ea persona, quæ & ipsa est sapientia ingenita; necnon habere sapientiam essentialem, quæ communicata est à persona illam ipsam habente sapientiam non aliunde, quàm à se. Vbi nomen *sapientiæ* sumitur non merè absolutè, vt simpliciter essentialis sapientia est, sed vt habens relationem adiunctam, & vt terminata per hypostasin. Eo modo, quo dicitur Deus de Deo, lumen de lumine; quo etiam modo dicimus Deum assumpsisse naturam humanam. Vbi Deus ita debet intelligi, vt cùm directè diuinitas declaratur, significetur etiam indirectè hypostasis. Quod optimè his verbis explicat Augustinus lib. 7. de Trinit. *Cùm dicitur Verbum, idem est ac si dicatur*, inquit, *nata sapientia. Et hæc duo verba cùm dicuntur, id est, nata sapientia; in vno eorum, quod nata est, & Verbum, & Imago, & Filius intelligitur; & in his omnibus nominibus non ostenditur essentia, quia relatiuè dicuntur. At in altero, quod est sapientia, quoniam & ad se (absolutè) dicitur, seipsa enim sapiens est, etiam essentia demonstratur; & hoc eius esse, quod sapere. Vnde Pater & Filius simul vna sapientia, quia vna essentia; & sigillatim sapientia de sapientia, sicut essentia de essentia.*

14 Cùm.

14. Cùm Filius sit Verbum, notionalisque intellectio Patris, necesse est asserere contra Durandum *in* 1. *dist.* 28. illum esse veram ac propriam ipsius Patris imaginem, siue speciem, aut figuram, vt Latini vocant Theologi; vt autem Græci ex Scriptura; εἰκόνα, μορφὴν, χαρακτῆρα, εἶδος. Paulus de Christo loquens, sic ait Coloss. 1. & 2. Corinth. 4. *Qui est imago Dei inuisibilis.* Et Hebræorum 1. *Figura, seu character substantiæ eius.* Quæ loca Doctores explicant de vera & naturali Patris imagine. Ad quam item referunt quod dicitur 1. Genes. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Eódem reuocat Ambrosius quod dicitur Sap. 7. *Splendor est lucis æternæ, speculum sine macula, & imago bonitatis illius. Speculum*, inquit, *vocatur, quia in eo videtur Pater; imago, quia in eo est plenitudo virtutis.* Denique de hac imagine interpretatur Cyrillus Alexand. *lib.* 1. *Thesauri, cap.* 1. illud Ioannis 14. *Qui videt me, videt & Patrem.* Vnde vocat Filium, *Imaginem incommunicabilem & increatam Patris, in qua Pater videtur.*

15. Quod vt intelligatur, supponendum est, imaginem nihil aliud esse quàm similitudinem alicuius ab ipso exemplari expressam. Vnde constat ad rationem imaginis duo requiri, similitudinem & processionem ab eo cuius est repræsentatio. Vt enim ait Augustinus libro imperfecto Genesis ad litteram, cap. vlt. *Sine similitudine non potest esse perfecta imago.* Similitudo autem non sufficit, quia licèt duo homines sint maximè similes inter se, si vnus ab altero non procedit, non est vnus imago alterius; sicut vnum ouum non est alterius oui imago. Hæc autem processio potest esse vel primò tanquam ab exemplari cognita, vt videmus in artificialibus imaginibus, quæ produci dicuntur ab obiecto, seu exemplari cognito, quatenus ipsum obiectum, seu exemplar (cùm sit non tantùm terminans, sed & determinans) est causa cognitionis idealis, per quam ipsæ imagines producuntur; quo modo Filius diuinus à nullo procedit obiecto, quare nullius est imago vt prototypi seu exemplaris. Vel secundò potest esse processio tanquam à principio actiuè producente; qui modus locum habet in Filio ipso diuino procedente à Patre, cuius propterea solius dicitur vera esse imago.

16. Ex vario, quo processio fieri potest, modo triplex distinguitur imaginis genus. Alia enim est imago naturalis; atque talis est Filius diuinus, quem Pater omni naturæ necessitate producit. Tales etiam sunt animalium fœtus, qui ex naturæ inclinatione procedunt, & parentum suorum dicuntur imagines. Cur autem arbores, & plantæ, aut res inanimatæ, verbi gratiâ ignis, &c. non dicantur imagines suarum causarum vniuocarum, quarum perfectam similitudinem habent; id vel ad vulgi minùs exactè loqui curantis, nec rerum naturam subtiliùs perpendentis consuetudinem referendum est; vel ex eo prouenit, quod animalia sola, non autem aliæ res, à suis causis contrahant accidentalem colorum, lineamentorum, &c. non verò solùm essentiæ, seu proprietatum substantialem similitudinem. Secundum genus, quod est imaginum artificialium, non pertinet ad Filium diuinum: tum quod illæ in solis appareant rebus materialibus: tum quòd sint superadditæ rebus, nec iis immutabiliter

liter affixæ: nec enim structuram hanc potiùs quàm aliam necessariò domus, verbi causâ, petit. At verò quia partium suarum dispositionem, & (vt sic dixerim) structuram inuariabilem arbores, flores, &c. petunt; ideò, quantumvis ea sit mirabilis & ingeniosa structura, non vocatur artificialis, sed naturalis. Tertium imaginum genus est intentionale, quod non est alienum à Filio diuino, cùm is sit Verbum & intelligentia Patris, & eius ab ipso producta repræsentatio. Hoc verò diuinum Verbum non potest rerum aliarum, quas repræsentat, imago dici, vtpote ab iis nullo modo productum.

17. Quemadmodum necessaria est ad rationem imaginis processio ab illa re cuius est imago; sic etiam (quemadmodum iam suprà diximus) requiritur vt sui sit obiecti similitudo. Itaque hoc nomen *Imago*, per ea duo quæ importat, duas conuincit hæreses; Sabellianam, vt processionem importans; & Arianam, vt essentialem similitudinem significans. Quam similitudinem certum est ex Patribus atque Conciliis diuino Verbo non deesse. Atque ita dicendum est errasse Durandum *in* 1. *dist.* 28. qui ex eo quod similitudinem negaret esse posse inter Patrem & Filium, censuit consequenter hunc nequaquam illius esse imaginem. Errauit & Richardus Victor. à nobis infrà referendus, atque refutandus, *num.* 20. qui licèt non sit inficiatus Filium esse veram Patris imaginem; non agnouit tamen inter illos veram, realemque similitudinis relationem in essentiæ identitate fundatam. Sed falsum est quod ambo illi opponunt, identitatem impedire ac destruere in præsenti mysterio conceptum similitudinis. Licèt enim relatio, in qua similitudo consistit, nequeat esse nisi inter diuersa, neque fundari possit inter Patrem & Filium consideratos præcisè, vt habentes identitatem naturæ; non tamen propterea desinunt habere similitudinem, quæ ad rationem imaginis sufficiat. Posito siquidem quod hîc similitudo à personalitate non abstrahat, nec importet solam puramque naturæ conuenientiam, dico relationem realem, & distinctionem sufficientem non deesse inter Patrem, & Filium. Et tantùm abest vt vnitas numerica, seu identitas diuinitatis corrumpat, aut minuat proprietatem imaginis, vt illam potiùs infinitè perficiat, accedente aliunde personalitatum distinctione reali. Quare cùm personæ comparentur inter se vt verè duæ, & vt vna ad alteram, sunt capaces relationis. Quemadmodum si duo parietes haberent eandem numero albedinem, non minùs forent inter se similes quàm si duas haberent albedines. Ex dictis constat, Filium Dei esse similem, ac verè imaginem Patris; & ratione essentiæ, ob identitatem; & ratione relationis, ob distinctionem, ita vt in illis duabus rationibus simul iunctis formalitas consistat imaginis. Idque ex illo eruo epistolæ ad Hæbræos loco, χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ: vbi per hypostasin debet iuxta vulgatam interpretationem intelligi substantia; non sola tamen, præcisaque; sed vt est cum personalitate hinc Patris, & hinc Filij connexa. Ita vt sensus sit Apostoli, personam Filij esse imaginem, figuram, seu characterem personæ Patris. Non enim præcisa substantia est imago præcisæ substantiæ: neque personalitas Filij præcisa, est paternæ personalitatis præci-

sæ imago; illa enim huic est omnino dissimilis. Atque in eum sensum accipio quod ait Bellarminus *lib.2. de Christo, cap.4.* hypostasin loco citato intelligi ab Apostolo non essentiam, sed personam: non enim Filius est (inquit Bellarminus) imago essentiæ, sed personæ: illius siquidem est imago, cuius est filius.

18. Nec obiicias pro Durando: Ergo Pater, & Filius sunt similes, *vt distincti*. Atqui id dici non potest; nam *vt distincti*, sunt diuersi & dissimiles; nec enim conueniunt nisi in diuinitate; siue, vt sunt vnus Deus. Respondeo. Illa particula (*vt*) potest significare conditionem; & ita Pater, & Filius sunt similes *vt distincti*; nam distinctio quam habent, est conditio, sine qua dici non possent similes. Potest item significare formam, in qua sunt similes: & ita sunt similes, vt habentes diuinitatem; nec enim Filius est Patri similis in paternitate, quam non habet. Porrò notandum est, similitudinem intentionalem, quam Verbum habet respectu Patris, quatenùs eum intentionaliter (quemadmodum & ipsas etiam creaturas) repræsentat, non sufficere ad eam rationem imaginis, quam in ipso Verbo respectu Patris agnoscere debemus; hæc enim importat similitudinem in natura. Vnde etiam defectu similitudinis requisitæ Verbum dici nequit imago creaturarum.

19. Quod autem sancti Doctores sentiant Filium ideo Patris esse imaginem, quòd eandem cum hoc possideat diuinitatem, satis constare potest ex duorum aut trium authoritate, quos, aliis omissis, refero. Athanasius oratione 2. *Talem*, ait, *oportuit esse imaginem, qualis est imaginis Pater. Age ergo videamus quæ sint Patris. Æternus est Pater, immensus, potens, lumen, Rex, omnipotens. Hæc* (quæ sunt essentiæ) *inesse oportet in imagine, vt reverà qui Filium viderit, viderit & Patrem.* Vbi vides similitudinem & rationem imaginis in eo consistere quòd Filius cum Patre attributa eadem ὑσιώδη, & ad substantiam pertinentia possideat. Epiphanius *hæresi 76.* asserit, *imaginem existere per genitalem consubstantialitatem & essentiæ identitatem*: διὰ τῆς γεννητικῆς ὁμοουσιότητος. Cyrillus Alexand *lib 2. Thesauri*, ait, *Filium diuinum solius essentiæ imaginem, vt possit dicere: Qui videt me, videt & Patrem.* Idem Cyrillus *dialog. 5.* dicit Filium habere naturalem similitudinem propter τὸ τῆς ὐσίας ταυτοειδές. Idem etiam scribit *2. in Ioannem*, Patrem in Filio seipsum pingere, ἑαυτὸν ζωγραφεῖν, καὶ τῷ ἑαυτῷ προσπεφυκότι δεικνύναι.

20. Ex his perspicuum est quàm communi sanctorum Patrum doctrinæ aduersetur, qui dixerit non posse similitudinem, & rationem imaginis eam quæ est in Filio, fundari in identitate naturæ diuinæ. Et quàm absurdè propterea Durandus quidem negauerit funditus Filium esse Patris imaginem; Richardus autem Victorinus *lib.6. de Trinit.* similitudinem aut imaginem, quæ verè in Deo reperitur, non censuerit propriè dici posse propter sapientiam, bonitatem, omnipotentiam, & alia similia attributa pertinentia ad essentiam; ideóque aliud comminisci fundamentum studuerit, ob quod Filius imago esse, & similitudinem habere Patris dicatur. Illud verò fundamentum reperisse se putat in solis Patris, Filiique proprietatibus; quatenus in iis Pater & Filius habent conuenientiam simul

atque

atque differentiam, propter quas & similitudinis, dum conueniunt; & relationis, dum differunt, capaces sint. Conuenientiam autem prædictus author in eo reperit, quòd tam Pater, quàm Filius fœcunditate ad intra communicare diuinitatem possit: at verò differentiam agnoscit in eo quod Pater diuinitatem det, sed non acceperit; Filius autem & det, & acceperit. Quare conuenientia est in dando, differentia in accipiendo. Verùm præterquàm quòd incautè Richardus in omnes Sanctos Patres solus insurgit, duo sunt quæ in sua sententia non aduertit. Prius, quod iuxta illum Spiritus sanctus tam propria foret Filij imago, quàm Filius Patris: nam & à Filio Spiritus sanctus producitur, vt ratio imaginis petit: & præterea illis neque conuenientia, neque differentia ad relationem necessaria deest. Etenim conueniunt ambo quòd diuinitatem vterque ab alio accipiat; differunt autem quòd eam Filius det, Spiritus sanctus dare non possit. Alterum Richardi παρόραμα, seu inaduertentia est, quod illo ipso principio suam opinionem destruit, in quo eam fundauit. Si enim propter summam diuinitatis in Patre Filioque identitatem non possunt hæ duæ personæ in diuinitate esse similes, nec ad se referri: ergo nec poterunt in eo esse similes ac referri inuicem propter conuenientiam quam habent in danda, communicandaque diuinitate. Nam spiratio, seu communicatio diuinitatis, in qua Filius conuenientiam habet cum Patre, tantam habet in ipso Patre Filioque identitatem, quantam habet diuinitas. Igitur si propter identitatem diuinitatis Richardus negauit posse Filium vt similem referri ad Patrem, debuit etiam id negare propter identitatem spirationis actiuæ.

21. Hactenus tria præcipua, quæ Dei Filio secundùm diuinitatem conueniunt, attributa explicuimus; nempe quòd is sit Verbum, quòd sapientia, quòd imago. Plura verò sunt alia, quæ censet Ambrosius in præfatione libri 2. de Fide. Eorumque nomina in tres distinguit ordines, & tribus comparat ordinibus gemmarum, quæ in summi olim Pontificis pectorali collucebant. *Sunt*, inquit, *quæ proprietatem Deitatis euidenter ostendant; sunt quæ similitudinem Patris & Filij; sunt etiam, quæ perspicuam diuinæ maiestatis exprimant vnitatem. Proprietatis sunt generatio, Deus, Filius, Verbum: similitudinis, splendor, character, speculum, imago: vnitatis, sapientia, virtus, veritas, vita.* Non est opus nos hîc longiùs sermonem diffundere, & prædicta singula exponere nomina, vel etiam alia quæ illis addi possent. Satis enim intelligi possunt ex iis quæ in hoc capite dicta sunt de Verbo, de sapientia, de imagine, vtpote præcipuis Filij notionalibus attributis; necnon ex iis quæ aliis huius tractatus locis de generatione, filiatione, &c. disputantur.

CAPVT III.

De Patre & Filio, vt vnico Spiratore.

1. SAtis intelligitur ex iis, quæ sunt libro quarto variè à nobis disputata, sed præsertim libro quinto, *c.* 3. *n.* 6. 17. & 26. quid sit, & quomodo se habeat, cùm ad essentiam, tùm

d relationes personales spiratio actiua, quâ formaliter constituitur Spirator. In primis verò constare debet, eam in essentiali voluntatis actu fundari (vt satis loco citato explicatum est) & nihil aliud esse, quàm ipsam voluntatis fœcunditatem producentem actu, respicientemque transcendentaliter Spiritum sanctum; atque ita non minùs Patri, & Filio communem esse, quàm voluntas & eius essentialis actus ad eundem Patrem, Filiumque pertineat. Ex qua veritate facilis erit resolutio quarumdam quæstionum, quas hoc loco fusiùs nonnulli prosequuntur: nempe, an Filius spiret, & an per se immediatè? an vt vnus, idemque Spirator cum Patre. De quo quidem Patre nullus vnquam, qui Trinitatem confessus sit, dubitauit, quin spiret; cùm sit totius Deitatis fons, & ab illo disertè Christus Ioannis 14. asseruerit Spiritum sanctum procedere.

2. Schismaticorum Græcorum est hæresis, Filium nullo modo esse principium Spiritus sancti, sed solum Patrem Spiratorem. Quorum contra doctrinam orthodoxam argumenta nihil probant aliud, quàm ipsorum in eo, de quo agitur vel inscitiam, vel malitiosam fraudem. Fundantur primò: Quia *Ioan.* 14. processio Spiritus sancti tribuitur soli Patri, his verbis: *Ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Quem locum Photius ait esse *contra Latinos acutum & ineuitabile telum*, sic declamatoriè tandem concludens: *Ex Patre Filius Spiritum procedere adstruit; & tu authorem quæris, per quem facias, imò perficias impietatem, dum fabularis Spiritum ex Filio procedere*, &c. Secundò argumentantur: Quia in Concilio Constantinopolitano, & aliis generalibus antiquioribus Synodis non dicitur Spiritus sanctus ab alio procedere, quàm à Patre. Sed inepti sunt, vt patebit ex dicendis num.... cùm magnas tragœdias excitant, quòd in Symbolo Nicæno (cui à Concilio Constantinopolitano addita fuerant hæc Verba, *Qui à Patre procedit*) Latini ausi sint superaddere, & interserere hanc vocem, *Filioque*, Catholicæ fidei communem tesseram interpolando, atque immutando. Quam in Florentina præsertim Synodo querimoniam turbulentissimè ingeminarunt. Quemadmodum Photius antea contra Nicolaum Papam magnis expostulationibus Ephesinæ decretum Synodi vrserat, quo prohibebatur omnis alia, quàm Nicæna fidei formula. Tertiò argumentum sumunt ex sanctorum Patrum Græcorum authoritate, quibus falsò suum errorem imponunt, vt intelligitur ex disputatione magno vtrimque studio habita in prædicta Synodo Florentina. Cùm enim sæpè Græci Patres orthodoxi asserant Spiritum sanctum procedere *per Filium*, negant Schismatici ea verba *per Filium* idem esse quod à Filio. Cùm tamen certum sit illas duas particulas διὰ (quando iungitur genitiuo) & ἐκ, pro eodem sumi posse, vsuque frequenti tritum esse vt promiscuè producentem ambæ, efficientemque causam designent, ita vt idem sit Spiritum διὰ τοῦ υἱοῦ produci, quod produci ἐκ τοῦ υἱοῦ. Vt infrà ostendemus, cùm istud Græculorum argumentum dissoluetur.

3. Non sola illi pugnant authoritate Scripturæ & Sanctorum Patrum; futiles enim quasdam etiam ratiocinationes adducunt. Quartò igitur hanc vrgent argumentationem: nimirum, futuros

futuros esse duos Spiratores, seu duo principia Spiritus sancti, si cum Patre Filius spiret: cùm tamen iuxta doctrinam Ecclesiæ Latinæ vnicus asseratur esse simplicissimus Spirator. Vnde contra Orthodoxos id inconueniens inferunt, quòd iuxta illorum doctrinam duarum personarum fiat confusio, siue vt ipsi loquuntur συναλοιφή: cùm in Patre, Filioque vnicam numero spirationis proprietatem agnoscunt. Quintò sic errorem suum probare nituntur. Quemadmodum ea multiplicari in Trinitate non possunt, quæ omnibus sunt communia personis, seque tenent ex parte naturæ: ita necesse est ea (vtpote personalia) multiplicari, quæ sic pertinent ad plures personas, vt non pertineant ad naturam. Ergo spiratio actiua cùm asseratur esse vnica, & simplex, vel omnibus personis competit, & ad naturam pertinet; vel si non competit omnibus, & est quid personale, non extra vnam diffundi personam potest. Ergo si in Patre est, non diffunditur ad Filium; siquidem non datur medium: sed necesse est aut vnius tantùm esse personæ, vt aliquid personale; aut omnium, vt aliquid naturale. Atqui in confesso est, non esse omnium; non enim potest esse Spiritus sancti, cùm is producere seipsum spirando non possit. Ergo vnius tantùm est personæ. Atque ita cùm illam in Patre omnes agnoscant, nemo potest in Filio illam agnoscere. Sextò sic Latinos impugnat Gemisthus Pletho: Si Pater & Filius simul Spiritum sanctum producunt, oportet vt spirent, vel quatenus vnum sunt secundùm communem essentiam; & sic Spiritus sanctús in alteram, diuersamque incidet essentiam, εἰς ἑτέραν τὸ πνεῦμα οὐσίαν ἐμπεσεῖται. Vel quatenus personæ sunt; & ita Spiritus, si duplici spiratione, siue προβολῇ producatur, non erit quid simplex, sed duplex. Si autem sit Patris, Filiique in vnam spirationem actiuam personalis coniunctio, duabus personis in vnam confusis pro Trinitate dualitas personarum erit, συναλοιφὴ ἔσαι τοῖς προσώποις, καὶ ὁ Θεὸς ἀντὶ τριάδος δυάς. Denique confertim nonnullas, quæ omittendæ spernendæque forent, proponam ludicras, friuolasque Græculorum ratiunculas, vt cùm aiunt: Quod ex vno solo est, & quod ex duobus, æqualia esse nequeunt. Ergo cùm asserunt Catholici Filium ex Patre solo existere, at Spiritum existere & ex Patre quantùm potest operante, & insuper ex Filio operante similiter quantùm potest, necesse est vt fateantur æquales inter se Filium ac Spiritum esse non posse. Item sic instant: Cùm in Iordane mersus baptizaretur Christus, in hunc à Patre missus est Spiritus, & non ab ipso Filio. Si autem Filius esset eius principium, non magis à Patre, quàm à Filio mitti debuisset. At quàm absurdum est dicere, Spiritum à Filio missum ad Filium? Quis enim intelligat, quempiam ad seipsum rem aliquam mittere? Nec solidiùs arguunt, cùm dicunt: Si Spiritus producatur à Patris Filio: ergo Spiritus ad Patrem, vt nepos ad auum comparari debebit. Nicetas Byzantinus Philosophus sic proponit: Pater non est principium Filij, neque dat illi quicquam nisi vt generans: atqui vt generans non producit, nec dat nisi filiationem: ergo si Filius spirationem habet actiuam, non habet eam ab vllo, atque ita, vt Spirator, erit ἄναρχος, hoc est, à se, ac sine principio, non minùs ac ipsius Pater.

4. Non fuit hic error cum pertinacia & hæresi propugnatus in Ecclesia Græca ante Leonis Papæ IX. tempora circa annum 1054. quando schisma erupit, & Græci se ab Ecclesiæ Latinæ obedientia subduxerunt. Damnatus verò fuit in Conciliis Lugdunensi, Lateranensi, Florentino. Et antè definierat hanc veritatem de Spiritus sancti à Filio processione Synodus septima, seu Nicæna secunda in fidei confessione. Eandemque veritatem docuerant apertè, licèt non videantur sufficienter definiisse Concilium Alexandrinum in epistola 10. Cyrilli, Concilium Ephesinum, in quo epistola illa 10. Cyrilli recepta & approbata est; necnon Synodus quinta, & sexta, quæ item epistolam eandem approbauit; ac denique Concilium Chalcedonense, quod se iuxta eandem Cyrilli epistolam credere profitetur. Estque illa doctrina Patrum omnium, non tantùm Latinorum, quos antiqua Ecclesia Græca solita est cum magna veneratione suscipere, vt apparet in Concilio Chalcedonensi, & in quinta ac septima Synodo; sed etiam Græcorum, si vnum ex antiquis excipias Theodoretum, quo tempore Nestorianis fauebat, quem egregiè repressit in hoc ipso Cyrillus Alexandrinus, vt videre est in Concilio Ephesino. Ex modernis autem Græcis authoribus, qui ante schisma scripserunt, solum Theophylactum possunt schismatici pro se afferre; quamvis hunc in mitiorem sensum interpretetur Vasques *disp.*146. *cap.*7. Patrum Græcorum (de Latinis enim nullum est dubium) qui manifestè doctrinam Catholicam defenderunt, testimonia non desunt, nosque aliquos infrà proferemus.

5. Sumitur verò ea doctrina ex Scriptura, vt cùm Christus de Spiritu sancto loquens ait Ioan.16. *Non enim loquetur à semetipso, sed quæ audiet, loquetur. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Item cùm idem Christus *Ioan.*15. & 16. promittit se missurum Spiritum sanctum, satis ostendit ipsum Spiritum sanctum à se oriri. Persona enim vna diuina non dicitur mittere aliam nisi eam originet. Eòdem pertinet quòd Christus actu Spiritum sanctum dederit *Ioan.*21. dicens, *Accipite Spiritum sanctum.* Prætereà Spiritus sanctus *Rom.*8. appellatur *Spiritus Christi*: & Actor.16. *Spiritus Iesu.* Item ad Galat.4. *Spiritus Dei. Misit Deus in corda nostra*; inquit, *Spiritum Filij Dei.* In quem sensum accipit Cyrillus quod Ioan.15. Spiritus sanctus dicatur Spiritus veritatis. *Pollicetur*, inquit Cyrillus, *Spiritum veritatis*, idest suum: nam ipse veritas est; non enim est Spiritus alienus à substantia Filij, sed ex eo naturaliter procedit. Denique adduci potest, quod ait Christus Ioan.16. *Omnia quæ habet Pater, mea sunt.* Et Ioan.17. *Omnia tua mea sunt.* Hinc enim sequitur, Filium à Patre non solùm essentiam habere, sed etiam facultatem spirandi. Cùm enim dixit omnia, nihil excipere possumus præter id, quod opponitur ac repugnat filiationi. Nam ex Damasceno, qui Græcus est, lib.3.cap.9. & 14. *Filius habet omnia, quæ Pater, exceptâ solâ paternitate.* Ex his apparet, meram esse vanitatem quod schismatici iactant, Spiritus sancti à Filio processionem non esse Scripturis conformem.

6. Sed nec minor est siue inscitia, siue obstinatio, cùm Græcos quidem sanctos Patres antiquos asserunt sibi patrocinari; Latinos autem, quos sibi

ſibi aduerſari ſentiunt, erroris damnant. Et quidem quod ad Græcorum Sanctos attinet, tantùm abeſt illos patronos huius eſſe hæreſeos, vt non minùs manifeſtis eorum, quàm Patrum Latinorum teſtimoniis doctrinam catholicam adſtruere poſſimus. Quid enim manifeſtius, quàm quod Epiphanius intelligentiſſimus Catholicæ, hæreticæque locutionis exiſtimator ſcripſit his verbis in Ancorato: *Cùm Chriſtus ex Patre credatur Deus ex Deo, & Spiritus ex Chriſto, ſiue ab ambobus, vt Chriſtus aſſerit, dicens: Qui à Patre procedit, & hic de meo accipiet.* τὸ πνεῦμα ἐκ τοῦ χριστοῦ ἢ παρ' ἀμφοτέρων, ὡς φησὶν ὁ χριστὸς. ὃ ἐκ πατρὸς ἐκπορεύεται καὶ ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται. Didymus lib. ſecundo illius operis, quod egregium de Spiritu ſancto ſcripſit, & latinè Hieron. reddidit, ſic de Spiritu ſancto Chriſtum loquentem inducit; *Non ex ſe, ſed ex Patre & me eſt; hoc enim ipſum quod ſubſiſtit, à Patre & me illi eſt.* Cyrillus Alexandrinus lib. 34. Theſauri: *Cùm Spiritus ſanctus procedat,* inquit, *ex Patre & Filio* (πρόεισι ἐκ πατρὸς καὶ υἱοῦ) *perſpicuum eſt diuinæ ipſum eſſe ſubſtantiæ.* Idem cyrillus eodem libro poſt ſat multa ſic habet: *Spiritus in ipſo Chriſto, & ex ipſo naturaliter exiſtens.* ἐν αὐτῷ καὶ ἐξ αὐτοῦ φυσικῶς ὑπάρχον τὸ πνεῦμα. Quibus locis euidenter proceſſio Spiritus à Filio, non quæcumque, ſed verè naturalis & οὐσιωδὴς ſignificatur. Nec minùs comment. 10. in Ioan. *Spiritus tanquam ea ſciens,* inquit, *quæ ſunt in voluntate vnigeniti, omnia nobis nũtiat; non eam habens ex diſciplina notitiam, ſed tanquam ipſius Spiritus, nullo docente ſciens omnia quæ ſunt eius ex quo & in quo eſt.* εἰδὼς ἀδιδάκτως πάντα τὰ ἐξ οὗ καὶ ἐν ᾧ περ ἐστί. Æquè hoc ipſum Chryſoſtomus, declarat, cùm ait Chriſtum quando apud Hieremiam dixit, *me dereliquerunt fontem aquæ viuæ*, indicaſſe originem eſſe ſe aquæ viuæ; aquam autem viuam eſſe Spiritum ſanctum. *Vides,* inquit, *Deum eſſe aquæ fontem: ita vt Pater quidem ſit fons; flumen ex fonte procedens ſit Filius; aqua fluminis Spiritus ſanctus.* πηγὴ ὕδατος ζῶντος, ὁ πατὴρ· ποταμὸς ἐκ τῆς πηγῆς προερχόμενος, ὁ υἱὸς· ὕδωρ δὲ ποταμοῦ τὸ πνεῦμα ἅγιον. Quibus Verbis apertè ſignificat Spiritum ſic eandem habere ſubſtantiam cum Filio, & emanare ex illo, vt aqua ex flumine, non diuerſam ab eo ſubſtantiam habens, emanat. Quæ ſimilitudo fontis, fluminis, & aquæ ad ſubſtantialem declarandam Spiritus Sancti proceſſionem adhibita ſæpius reperitur apud Patres Græcos, cùm Spiritus à Filio ſcaturire, & profluere ἀναβλύζειν προχεῖσθαι dicitur. Sic ad Neſtorium ſcribens Cyrillus, & de ipſo Spiritu loquens ait, προχεῖται παρ' αὐτοῦ υἱοῦ, καθάπερ ἀμέλει ἐκ πατρός: hoc eſt, vt à Patre, ſic & à Filio profluit. Omitto alia plurima ſimilia loca, in quibus Spiritus Sanctus aſſeritur procedere ἐκ τοῦ υἱοῦ, vel ἐκ τῆς υἱοῦ οὐσίας, ex Filio ſcilicet, aut ex eius ſubſtantia.

7. Sed prætereà multis aliis locis idem reperitur apud Patres Græcos orthodoxos prolatum loquendi modo aliquantulum diuerſo, cùm Spiritum dicunt produci à Patre per Filium, διὰ τοῦ υἱοῦ, pro eo quod eſt produci à Patre, & à Filio, ἐκ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ. Ne hac in re nimius ſim, vnum contentus ero proferre Baſilium, qui *lib. 5. contra Eunomium*, ſic ſcribit: *Cùm Apoſtolus dixit Spiritum, qui ex Deo eſt, perſpicuè ſignificauit Spiritum prodiiſſe per ipſum.*

ipsum etiam Filium (καὶ διὰ υἱοῦ) *nominans illum ipsius Spiritum Filij, sicut & Dei.* Eodem loco post pauca Basilius reperit, Spiritum εἶναι ἐκ θεοῦ δι' υἱοῦ. Quæ mutatio particulæ ἐκ in particulam διὰ; celebrem illam Græcorum schismaticorum cauillationem peperit, vt Spiritum affirment nequaquam à Filio, sed à Patre, licèt per Filium produci; nec eundem habere significatum ambas illas particulas. Sed vt ostendam illorum malam hac in re fidem, & præpositionem διὰ, quando gignendi casui iungitur, significare in hac controuersia apud Sanctos Ecclesiæ Græcæ Patres, & eandem habere vim quam habet præpositio ἐκ, vt ipsi confessi sunt Græci, qui Florentino Concilio adfuerunt, audiamus quid hac de re dicat Basilius, eos inter Sanctos Patres, quos à se stare Græci putant, grauissimus & nequaquam illis suspectus. Is enim *lib. de Spiritu Sancto, cap. 2.* ambarum earum vocularum vim expensurus, etiam pessimæ Anomæorum sectæ Principem refert distinguendæ illarum in rebus diuinis notionis authorem fuisse, abutentem eo dicto Apost. 1. Cor. cap. 8. *Vnus Deus & Paper, ex quo omnia; & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia; & vnus Spiritus Sanctus, in quo omnia.* Quasi nimirum voluerit Apostolus Patrem, vt principalem causam efficientem, superiorem esse Filio; & huic comparari tanquam instrumento suo: atque ita τὸ ἐξ οὗ (à quo) pertinere ad Patrem; at verò τὸ δι' οὗ (per quem) spectare ad Filium: quare diuerso sensu pronunciari, quòd à Patre, & quòd per Filium Spiritus sanctus producatur. Id verò tanquam erroneum reiicit Basilius, & ait Apostolum prædicta verba protulisse, *non vt naturæ diuersitatem introduceret, sed vt notionem Patris & Filij minimè confusam ostenderet.* Alioqui enim nullo discrimine ambas illas particulas ἐξ οὗ, & δι' οὗ, à Græcis in hac præsertim materia vsurpari. οὐχ ἵνα τὸ ἀλλότριον τῆς φύσεως εἰσαγάγῃ· ἀλλ' ἵνα ἀσύγχυτον πατρὸς καὶ υἱοῦ τὴν ἔννοιαν παραστήσῃ, οὕτω προσήνεγκεν Ἀπόστολος. Probat porrò Basilius, non modò inter Theologos, sed etiam in Scriptura duas illas voculas promiscuas esse significatione. Exempli gratiâ Genes. 4. *Possedi hominem per Deum* (hoc est à Deo) &c. Libet hunc locum claudere desumptis ex Basilio verbis cap. 8. libri de Spiritu sancto. *Quod per Filium*, inquit, *Pater producat neque imperfectam Patris efficientiam probat, neque imperfectam Filij indicat; sed voluntatis coniunctionem significat. Quare vox ista per quem* (ὥστε ἡ δι' οὗ φωνὴ) *continet professionem causæ principalis* (προκαταρκτικῆς αἰτίας,) *non autem ad efficientis causæ reprehensionem.* Obseruandam tandem est particulam διὰ, significare solùm quandam μεσιτείαν; hoc est, inter Patrem, qui vim producendi habet à se solo, & Spiritum qui producitur, Filium esse quid medium, qui tamen in producendo non se immediatiùs habeat quàm Pater.

8 Superuacaneum videri posset Latinorum proferre Patrum authoritatem, cùm Græcanica leuitas illorum hac in re sensum nec ignoret, nec erroris vereatur arguere. Quorum tamen antiqua Græcia nomen, & sapientiam tantoperè venerata est, vt Ephesina Synodus in Nestorij damnatione professa sit, se cùm Romanos Pontifices Iulium, aut Felicem, tùm Cyprianum, & Ambrosium

ſium ſequi. In quarta verò Synodo in tantum Leoni magno tribuitur, vt eius ſcripta dicantur eſſe columna orthodoxæ fidei, στήλη τῆς ὀρθοδοξίας. In quinta Synodo idem Leo, Hilarius, Ambroſius, Auguſtinus, &c. inter eos Patres recenſentur, à quorum ſententia, doctrinaque ſit nefas diſcedere, vt Calecas refert *cap.* 30. Septima denique Synodus anathemati ſubiicit eos, qui Ambroſij, Leonis ſanctiſſimi Archiepiſcopi veteris Romæ, item Auguſtini fidem non amplectuntur. Audiantur ergo ex Latinis pauci aliqui Patres. Ambroſius in libro de Symbolo, cap. 3. *Spiritus ſanctus verè* (inquit) *Spiritus eſt procedens à Patre & Filio: ſed non eſt ipſe Filius, quia non generatur: neque Pater, quia procedit ab vtroque.* Auguſtinus nihil potuit clariùs, quàm dum *libro* 15. *de Trinitate, cap.* 26. ait: *Sicut habet Pater in ſemetipſo vt de illo procedat Spiritus ſanctus; ſic dedit Filio vt de illo procedat idem Spiritus ſanctus*, &c. Omiſſis quamplurimis aliis ex Auguſtino ſparſim in libris de Trinitate, addam & illud ex tractatu in Ioan. 99. *Cur non credamus*, inquit, *quòd etiam de Filio procedat Spiritus ſanctus, cùm Filij quoque ipſe ſit Spiritus.* Leo Magnus in epiſt. 93. *Alium*, ait, *eſſe qui genuit, alium qui genitus eſt, alium qui de vtroque proceſſit.* Et in ſermone 11. de Pentec. *Quod accipit Spiritus à Patre dante dat Filius.* Ne longius faciam, vix vllus eſt inter Latinos Pater, nec vllum eſt Concilium, in quo, dum huius rei mentio incidit, non eadem expreſſe, liquidoque doctrina proponatur.

9. Vt orthodoxam de Spiritus ſancti proceſſione fidem authoritate primò Scripturæ, deinde ſanctorum Patrum, tam Græcorum, quàm Latinorum teſtimoniis probauimus; ſic eandem ratione ſtabilire poſſumus, argumentando primùm à priori. Nam Pater generat Filium in priori rationis quàm producatur Spiritus ſanctus, cùm voluntas ſit poſterior in operando quàm intellectus: ergo Filio communicatur in illo priori voluntas nondum, vt ita loquar, per ſpirationem exhauſta, atque adeò ſpirare potens, & fœcunda. Quo poſito neceſſarium eſt, vt cùm poſteà voluntas iam facta communis, & non minùs ad Filium quàm ad Patrem pertinens, operatur, dici debeat non minùs operari, neque minùs immediatè Filius quàm Pater. Quod patet exemplo omnipotentiæ. Nam ex eo quòd in priori quàm creaturæ producerentur, hanc tùm Filius, tùm Spiritus ſanctus communicatam acceperit, inde fit, vt operationes ipſius omnipotentiæ, putà creatio mundi, &c. pertineant indiuiſim ad omnes perſonas. Ergo cùm voluntatem in priori quàm Spiritus produceretur, communicatam Filius accepetit, debet ad Filium ſimul & ad Patrem productio Spiritus pertinere. Nam voluntas quæ Filij eſt, ſpirat. Confirmatur: nam ſi Filius non originat Spiritum ſanctum, non poteſt benè explicari quomodo Filius ſit prior Spiritu ſancto. Cùm enim non poſſit in Trinitate prioritas eſſe temporis propter æternitatem, nec prioritas naturæ propter independentiam, ſola poteſt habere locum prioritas originis. Hæc igitur prioritas originis in Filio reſpectu Spiritus ſancti reperitur. Secundò argumentari ſolent Latini Theologi contra Græcos à poſteriori. Nam ſi Spiritus ſanctus non produceretur à Filio,

non distingueretur ab illo ; cùm tota personarum distinctio sumatur ex relatione oppositionis, quatenus vna persona respicit alteram vt producentem. Atqui indubitatum est in fide, vt ab ipsis etiam conceditur Græcis, Spiritum sanctum distingui realiter à Filio : ergo, &c. Maior, in qua sola potest esse contentio, intelligetur esse verissima ex iis quæ dicentur cap. sequenti. Continet enim celebrem difficultatem, & longiorem disputationem, quæ nisi separatim tractari satis commodè nequeat.

10. Quod attinet ad Græcorum fundamenta superiùs allata num. 2. ea soliditatem nullam habent. Ad primum & secundum respondetur Scripturam & Concilia, quando asserunt Spiritum Sanctum à Patre procedere, nunquam addere, *à Patre solo*, neque negare quin à Filio procedat. Monet verò Augustinus *3. contra Maximinum, c.* 14. solere tribui specialiter Patri productionem Spiritus Sancti, quia Pater est principium, in quo, & à quo est virtus spirandi, seu principium sine principio, cùm sit fons totius diuinitatis, vt loquitur Dionysius. Atque hæc est ratio cur idem Augustinus *lib.* 15. *de Trinit. cap.*17. dixerit Spiritum sanctum principaliter procedere à Patre ; & aliqui Scholastici, vt Bonauentura, Scotus, Durandus *in* 1.*dist.* 11.*quæst.*2. & Gabriel *q.*3. non dubitatint asserere Spiritum sanctum principaliùs procedere à Patre quàm à Filio. Sed abstinendum est ab eo modo loquendi. Hæc item est ratio, cur Patres Græci non dicant Spiritum esse *à Filio*, siue *ex Filio* ; sed tantùm *per Filium*. Sumunt enim particulas illas, *à*, & *ex*, provt denominantes terminum à quo, non quemcumque, sed primum ; hoc est eum qui non progressus & ipse sit ab alio termino. Qui enim non est primum principium, sed ita originat aliud se posterius, vt & ipse habeat aliud prius à quo origenetur, concipitur quasi non esse terminus à quo, sed quasi esse medium ; quemadmodum apparet in Filio, de quo loquimur velut de persona media Patrem inter & Spiritum sanctum. Cùm igitur particula, *per*, denotet habitudinem medij (dicimus enim aliquid per medium) hinc factum est, vt sancti Doctores Græci, quemadmodum notauit Bessarion *in lib. de vnione*, qui habetur post Concilium Florentinum, dicant Spiritum à Patre *per Filium* procedere : quod non tamen propriissimè & in rigore, sed in eo sensu intelligendum est, vt ideò processio non sit immediatior à Filio, quàm à Patre ; est enim æqualiter ab ambobus vt ab vno principio. Sic Damascenus *lib.*1. *de fide, cap.*10. ait ; *Spiritum sanctum ex Patre procedere, & per Filium omni creaturæ impertiri.* Eoque sensu intelligendus est, cùm posteà dicit cap. 11. *Ex Filio Spiritum sanctum non dicimus.* Sapienter Chrysostomus *homilia 4. in Ioannem*, circa illa verba, *Omnia per ipsum facta sunt*, explicat legitimum & orthodoxum sensum illius particulæ *per* : ait enim eam non aliud significare, quàm quòd *Verbum non sit ingenitum, sed à Patre virtutem acceperit* ; *etsi in operatione nihil minùs habeat, quàm Pater.*

11. Circa Schismaticorum querimonias de huius vocis, *Filioque*, additione facta in Symbolo Nicæno, dicendum est, quod quemadmodum Concilium Constantinopolitanum propter exortam posteà Macedonij hæresin potuit in illo Symbolo

bolo addere hæc Verba, *qui ex Patre procedit*; sic & Ecclesia Romana cæterarum princeps & magistra potuit propter nouas item occasiones & hæreses ortas addere vocem, *Filioque*. Quando autem facta fuerit illa additio, non constat, sed tantùm certum est illam esse antiquissimam. Nam habetur in septima Synodo, & in Concilio Toletano VIII. suntque qui asserant esse factam sub Damaso in Concilio Romano. Quod attinet ad authoritates sanctorum Patrum Græcorum, vnde aduersarij tertium suum argumentum sumebant: Respondeo, vt iam dixi superiùs, illos suis imponere sanctissimis Patribus. Euidensque est sanctos Athanasium, Basilium, Nazianzenum, Cyrillum vtrumque, &c. non aliter quàm Patres Latinos de Spiritus processione censuisse, cùm illum dixerunt procedere *à Patre, Filioque* (sic enim loquuntur eorum non pauci, vt Athanasius in Symbolo, &c.) siue vt inter illos alij loqui malunt, *à Patre per Filium*. Nec illus qui ante schisma vixerit, præter Theodoretum, cùm in Concilio Ephesino hæreticus habebatur, illis adstipulatus est, & fortè inter modernos visus est illis fauere Theophylactus. Ad quartum eorumdem argumentum respondetur inferiùs.

12. Postquam compertum habemus, Spiritum sanctum non à Patre solo, sed etiam à Filio procedere, superest vt exponatur breuiter modus, quo fit talis processio. Quærunt igitur Theologi, num ea fiat immediatè tam Patre, quàm à Filio; an verò ita, vt Filius intelligatur procedere immediatè à Patre, & Spiritus immediatè quidem à Filio, mediatè autem à Patre. Videtur enim ille esse Græcorum orthodoxorum sensus, cùm dicunt Patrem producere Spiritum per Filium. Et disertè illum sensum videtur explicare Gregorius Nyssenus in oratione, *quòd non tres Dij*. Ait enim, *Filium continenter, & sine medio ex prima persona oriri; Spiritum verò per id, quod immediatè & ex continenti est; atque ita tres personas distingui, vt causam ex causa, & ex eo quod ex causa est*. Sed huius quæstionis resolutio, quemadmodum indicaui *num.* 1. facilis erit, si consideremus fœcunditatem spiratiuam Filio communicari à Patre vi generationis intellectiuæ eodem modo, quo voluntatem essentialem, & omnipotentiam. Quemadmodum ergo ex eo quòd voluntas & omnipotentia est communis tribus personis, impossibile est, vt vna persona eliciat volitionem liberam, aut exerceat actionem aliquam transeuntem, putà creationem, quin omnes communiter, & indiuisim personæ dicantur agere, tanquam vnum principium immediatum: sic ex eo quod fœcunditas spiratiua communis est Patri & Filio, non potest ex ea fœcunditate quicquam procedere, quin immediatè ab vno procedat æquè ac ab altero: nam operatio necessariò est ab omni supposito, in quo est vis operandi.

13. Vt clariùs expediatur quæstio hîc proposita, attendendum est Patrem, quando communicat Filio spiratiuam facultatem, non eam illi eo modo concedere, quo filiationem à seipso distinctam, hoc est, eo modo vt eam sibi ipsi non seruet. Si enim ita esset, fatendum omninò foret, Spiritum produci à Filio quidem immediatè, sed tantùm mediatè à Patre; sicut Iacob immediatè ab Isaaco, mediatè autem ortus est ab Abrahamo.

At res ita non habet. Non enim Deus Pater alio modo spiratiuam fœcunditatem Filio concessit, quàm intellectum, voluntatem, omnipotentiam; quam scilicet sibi eandem, cùm dabat, seruauit. Sed & attendendum est insuper, vt allata Nysseni explicari possit authoritas, non à Filio Patrem, sed à Patre Filium communicatam sibi eam spirandi facultatem accepisse. Quare dum actu Spiritum sanctum, & Pater, & Filius producit, posse aliquo bono sensu dici Patrem agere, & spirare per Filium: quod est dicere Patrem spirare aliquatenus mediante Filio, qui ab illo immediatè, & priusquam Spiritus sanctus, processit. Neque aliter intelligenda est mens Nysseni. Pater enim eatenus verè per Filium agit, quatenus facit, vt Filius etiam agat dando illi vim agendi eam, quâ indiuisim ambo sunt vnum agens. Atque talem, nec alium esse Ecclesiæ suæ sensum Græci in Concilio Florentino declararunt, cùm dicitur Spiritum à Patre oriri per Filium. Vnde concipi potest Pater Spirare velut duobus modis, nimirum per seipsum immediatè, & prætereà mediatè per Filium. Nam præcisè per hoc quòd ei dederit vim spirandi, etiamsi immediatè non spiraret, diceretur spirare per illum. Quo etiam modo idem Pater dicitur creare per Filium, iuxta illud, *per quem omnia facta sunt*. Possetque in eum sensum dici ipse Pater, imò & Filius, per Spiritum sanctum creare. Ex dictis intelligitur, non tantùm Patrem æquè immediatè ac Filium spirare; sed etiam Filium æquè principaliter, & æquè per se, ac Patrem; & ambos simul sumptos non duo esse principia, seu duos Spiratores, sed vnum principium & vnum spiratorem, vt expresè definiuit Concilium Lugdunense *cap. Fideli, de summa Trinitate, & Fide Catholica, in Sexto:* & Florentinum in litteris, decreto de Processione Spiritus sancti. Id enim omninò sequitur ex eo quod vterque spiret per virtutem, quam in se verè ac formaliter habet, quæ in vtroque est æqualis, imò eadem omninò. Non enim repugnat aliquid notionale, dummodo non sit proprietas personalis, esse commune duabus personis.

14. Quare mirum est, Durandum *in 1. dist. 29. q. 3.* & Gregorium Arimin. *dist. 12. q. 1.* ausos fuisse dicere, Patrem & Filium non esse vnum principium, sed esse duo principia in rigore, propter dualitatem personarum; licèt non sit nisi vna spiratio actiua, & vnica virtus spirandi. Cùm enim *principium quod* non significet formam productiuam (quæ est tantùm *principium quo*) sed suppositum habens talem formam; oportet, inquiunt, cùm sint duo supposita, duo esse principia. Asseruntque locutos aliter esse Patres, ad declarandam tantùm vnitatem virtutis, & productionis, & termini; & ideò Concilia non dixisse Spiritum procedere ab vno principio, sed *tantùm quasi ab vno*. Multùm non absunt à Durando Gabriel, Okamus, & quidam alij affirmantes, posse dici vnum principium esse, aut principia duobus respectibus. Sed ex dictis apparet, quàm absurdè & inconsideratè hi Doctores loquantur in re tanti momenti, parum cohærenter definitionibus Conciliorum, quæ licèt addiderint particulam, *tanquam*; non tamen diminuendi, sed affirmandi causâ id fecerunt; vt cùm dico me esse à Deo, tanquam à creatore, Christum esse quasi vnigenitum.

Et

Et ideò absolutè, ac sine vllo addito ibidem definierunt, *Patrem, & Filium non esse duo principia.* Et sanè iuxta regulam theologicam non potest de pluribus personis asseri numerus pluralis alicuius nominis substantiui, nisi forma significata per illud multiplicetur in illis: quomodo tres personæ non sunt tres Dij, sed vnus Deus; non tres creatores, sed vnus Creator. Et impossibile est vbi vnicum principium *quo* reperitur, ibi esse plusquam vnum principium *quod*.

15. Obiicies. Si in hoc nomine *(Principium)* non vsurpatur numerus pluralis respectu plurium personarum, quia substantiuum est, & non multiplicatur forma, quæ per illud significatur; atque ita Pater, & Filius non sunt plura principia, sed vnum: ergo è contrà oportebit dicere; si ea forma quæ significatur respectu vnius personæ, multiplicetur, plura fore principia. Et ita Pater, quoniam habet formam principiatiuam generationis, & formam item ratione diuersam principiatiuam spirationis; non erit vnum principium per rationem, sed plura principia. Quod non est conforme Florentino *sess. vlt.* Respondeo negandam esse consequentiam. Vt enim substantiuum enuncietur in plurali, necessarium est multiplicari non tantùm formam, sed etiam supposita, seu subiecta. Instabis: ergo Pater, vt principium generationis, & Filius, vt principium spirationis erunt duo principia; quandoquidem in iis est & suppositorum, & formæ principatiuæ multiplicitas. Respondeo. In Patre, & Filio multiplicantur quidem realiter supposita, sed formæ principiantes non multiplicantur, nisi virtualiter; non enim paternitas, & spiratio actiua distinguuntur formaliter realiter. Adde quod in Patre, & Filio multiplicatis, non multiplicatur ipsa actiua spiratio; quare Pater, & Filius non possunt esse Spiritus sancti plusquam vnum principium, quemadmodum nec Pater potest diuersum esse principium propter paternitatem, comparatus cum Filio vt habente spirationem actiuam.

16. Obiicies prætereà. Cùm Pater, & Filius dicuntur vnus spirator, vel vnum principium; non apparet pro quo supponat ille terminus, *Spirator, vnum principium.* Nam ex vna parte nos superiùs asseruimus, non dari vnum subsistens commune in actiua spiratione, quod sit vnus Spirator, siue vnum principium, & quod de Patre, Filioque prædicetur. Ex alia verò parte non videtur prædictus terminus supponere posse pro Patre, vel pro Filio seorsim: nam spirator de vtraque persona simul sumpta prædicatur. Quo modo nec Patri seorsim conuenit, nec Filio. Non etiam videtur posse supponere pro Patre, & Filio collectiuè; nam ita Pater seorsim sumptus, & Filius item per se sumptus, non posset (quod tamen debet) dici Spirator. Respondeo non esse specialem hanc in præsenti materia difficultatem; eaque debet ab omnibus solui, cùm Pater, & Filius dicuntur vnus Creator, vnus Deus, &c. Peti enim potest eodem modo, pro quo supponat hic terminus, *Creator*, *Deus*, &c. Dicendum verò hîc, spiratorem immediatè, ac determinatè supponere pro subsistente in hac virtute spirandi; ita vt ex parte virtutis non dicat conceptum à prima, & secunda persona, siue seorsim, siue simul sumptis abstrahentem, sed dicat conceptum ex parte virtutis vtrique

personæ, siue seorsim, siue simul sumptæ conuenientem realiter. Vnde fit, vt possit de Patre, & Filio tam simul, quàm sigillatim prædicari. Eodem modo, quo Deus vnus, prout communis est personis, tum singulis, tum omnibus simul sumptis, habet communitatem realem ex parte deitatis; ex parte verò subsistentiæ communitatem rationis talem, vt respiciat personas, non tantùm singulas distributiuè, sed etiam omnes tres collectiuè. Nam & singulæ seorsim sunt vnus Deus, & omnes item simul sunt ille ipse vnus Deus. Atque idem est de Creatore, &c.

17. Ochamus, & hunc secutus Gabriel *in* 1. *dist.* 12. necnon Molina *quæst.* 36. *art.* 4. *disp.* 2. existimant Spiratorem esse indiuiduum aliquod constitutum ex essentia, & spiratione actiua, quod sit subsistens, & tamen non sit persona; propterea quòd non est incommunicabile, sed est Patri, Filioque commune; illo modo, quo multi volunt Deum constitui per absolutam subsistentiam communem tribus personis. Aiunt verò spiratorem ita conceptum spirare, vt immediatum principium; Patrem autem, & Filium non nisi consequenter, & mediatè, quatenus scilicet identificantur cum Spiratore. Sed dicendum est, illam imaginationem, quòd ex essentia & spiratione actiua constituatur vnum subsistens commune Patri & Filio, falsam esse. De ratione enim subsistentiæ est incommunicabilitas respectu suppositorum vlteriorum. Et à pari hæc opinio satis reiicitur ex iis quæ suo loco diximus contra subsistentiam absolutam, communemque tribus personis. Nihilominus verum est, quemadmodum tres personalitates, quà tales formaliter, non sunt principium creandi, sic & duas primas personalitates, paternitatem & filiationem, quà tales, & vt illa quidem ad Filium, ista verò ad Patrem tendit, non esse principium spirandi, sed tantùm materialiter, identicè, & consequenter, quatenus nempe sunt eadem res cum spiratione. Nec probo quod Suares *lib.* 10. *cap.* 1. & alij in contrarium docent, volentes, ipsam paternitatem & filiationem quà tales complere antecedenter vt conditiones potentiam spirandi, relationem autem spirandi ad talem potentiam non pertinere antecedenter, sed tantùm resultare post actualem spirationem. Qua de re disputatum est suo loco.

18. Porrò licèt paternitas & filiatio, quæ sunt Patris & Filij personalitates, non habeant vim spirandi formaliter; tamen in illis ipsa vis spiratiua & spiratio actualis subsistit, & per easdem Spirator constituitur in esse personæ, aut potiùs in esse duarum personarum, quibus immediatè tribui debet actio spirandi. Cùm enim actiones sint suppositorum, & formæ, siue potentiæ non possint esse actionum principium *quod*, sed tantùm principium *quo*, dicendum est potentiam spiratiuam habere quidem rationem principij *quo*; spiratorem verò, quatenùs subsistentem in duabus personis, seu quatenùs terminatum paternitate & filiatione, esse principium *quod* immediatum, seu operans immediatè non per subsistentias, sed per ipsam spirandi potentiam eo modo, quo Pater, Filius, & Spiritus sanctus non per proprietates personales, sed per omnipotentiam subsistentem in illis creauit immediatè. Nec enim ante Patrem, Filium, & Spiritum sanctum

sanctum concipi potest vllum immediatius creationis principium *quod.* Quomodo autem paternitas & filiatio, quà tales, etsi non ipsæ influant in Spiritum, oppositionem habeant, diximus aliàs, & iterum paulò post dicemus.

CAPVT IV.

Vtrum si supponeremus Filium non esse Spiratorem, possemus eum à Spiritu sancto distinguere.

1. HÆc difficultas præcipuum tangit argumentum, quo Latini Theologi Græcis ratione probant Christum non à solo Patre procedere. Quia nimirum sequeretur contra veram, & ab ipsis etiam Græcis concessam veritatem, illum non fore distinctum à Filio. Cuius nos argumenti explicationem superiùs ad hunc vsque locum reiecimus. Valet hæc quæstio ad intelligendum, an adæquata ratio distinctionis, quæ intercedit inter personas, petatur ex earum inter se processione; ita vt vbi processio deest, desit & distinctio, ac per consequens veritatem habeat illud axioma, *In diuinis omnia sunt idem, vbi non obuiat relationis oppositio; quæ in processione fundetur.* Gabriel & Gregorius cum Gotfredo citato & Scoto, disputationem hanc ita decidunt, vt quæstionem non admittant, sed eludant velut inutilem; asserentes in eo casu in quo Filius non esset Spirator, ipsum Filium & Spiritum sanctum non fore comparandos inter se, siue vt distinctos ab inuicem, siue vt non distinctos. Assertionis suæ Gabriel quidem argumentum sumit ex parte Filij, quia in eo casu nullus foret Filius; ablata enim spiratione actiua, quæ idem necessariò est cum filiatione, tolleretur omnino filiatio. Gregorius verò argumentum petit ex parte Spiritus sancti, quia nullus foret à solo Patre Spiritus sanctus; quandoquidem per se est à Patre, & simul à Filio: quare si ab vtroque non esset, à neutro esset.

2. Fatendum quidem est verum esse, quod hi authores adducunt. Nam ex eo quòd Spiritus sanctus non esset à Filio, sequitur ab intrinseco nec Filium, nec Spiritum sanctum fore eosdem qui sunt; atque ita (cùm alius Filius, aut alius Spiritus sanctus præter eum qui iam est, non sit possibilis) si Spiritus à Filio non procederet, nullus esset Filius, quem cum Spiritu sancto; nullus item Spiritus sanctus, quem cum Filio comparare possemus. Nihilominus præsens quæstio non debet reiici. Non enim in illa supponitur tanquam verum aut tanquam possibile, quòd vel iste idem, vel aliquis alius Spiritus, Filio non spirante existeret, qui cum ipso Filio posset comparari. Sed id supponitur tantùm per impossibile, seu per locum intrinsecum. Et quæritur, vtrum tali stante suppositione Spiritus ille, qui tunc foret, aut fore fingitur, haberet sufficiens fundamentum, vt distingueretur à Filio. Siue, quod idem est, quæritur, vtrum illi, qui Spiritum sanctum & esse admittunt, & à Filio produci negant (vt Græci faciunt) possint defendere, aut intelligere illum esse distinctum à Filio. Quare quæstio verè Theologica est, & vtilis ad explicandam quidditatem, & rationem distinctionis Filij, ac Spiritus sancti.

3. In hac igitur quæstione Henricus

ricus *quodlib.* 5. *q.* 9. Scotus *dist.* 12. *quæst.* 2. & inter Scotistas multi asserunt manere sufficiens fundamentum distinctionis Filium inter & Spiritum sanctum, licèt supponeremus cum Græcis (quorum errorem non putant ratione posse conuinci) hunc ab illo non procedere: ac per consequens negant personarum distinctionem pendere ab oppositione, & vnarum ab aliis processione, quamquam cum hac de facto coniuncta sit. Atque ita concedunt oppositionem, & processionem Spiritus sancti à Filio non posse ex distinctione colligi vi rationis, & formaliter, ac plusquam materialiter. Huius sententiæ argumentum est primò; quia si Spiritus sanctus à solo Patre, vel à solo Filio esset, imò si nec à Patre, nec à Filio, sed à nullo procederet, & tamen existeret, haberet eandem entitatem, quam nunc habet: ergo & eandem vnitatem, ac distinctionem; vnitas enim, ac distinctio sequitur entitatem; & vnumquodque per id distinguitur, per quod entitatiuè constituitur. Confirmatur: nam impossibile est, vt quæ sua entitate, ac seipsis differunt, sint idem: sed filiatio, & spiratio passiua differunt sua entitate ac seipsis: ergo quavis data hypothesi, non erunt idem. Secundò quia in illa hypothesi, in qua à solo Patre & Filius per intellectum, & Spiritus sanctus per voluntatem oriretur, Filius esset per se, & ab intrinseco terminus generationis, & non spirationis; Spiritus verò esset per se, & ab intrinseco terminus spirationis, & non generationis: ergo ambo à se inuicem distinguerentur, vtpote habentes per se, & ab intrinseco diuersum ordinem, ac diuersam quidditatem; fieri enim non potest, vt idem ipse qui per se petit generari, petat per se non generari. Confirmatur: nam si ille ipse qui petit quidditatiuè generari, peteret item quidditatiuè spirari; sequeretur, eum petere bis substantialiter & totaliter produci, & quidem per productiones diuersarum rationum.

4. Tertium argumentum. Si Spiritus sanctus à Filio solo procederet, distingueretur tamen à Patre: ergo similiter licèt procederet à solo Patre, distingueretur à Filio. Quartò sumi potest argumentum ex authoritate Anselmi, qui in libro de Processione Spiritus sancti, *cap.* 2. significat hanc solam esse causam distinctionis inter Filium & Spiritum sanctum, quòd Filius procedat generatione, & Spiritus sanctus processione. Atqui Spiritus sanctus procederet nihilominus processione, & Filius generatione, licèt Spiritus sanctus à Filio non produceretur.

5. Quintum argumentum inde sumitur, quòd iam de facto filiatio, quatenus per eam Filius distinguitur à Patre; & spiratio passiua, quatenus per eam Spiritus sanctus respicit præcisè suum principium spiratiuum, distinguantur inter se realiter, vt constat; nam alioqui Spiritus sanctus haberet filiationem, & Filius spirationem passiuam; & vterque esset Filius, vterque Spiritus sanctus. Atqui filiatio, & spiratio passiua, provt considerantur præcisè modo dicto, non sunt relationes oppositæ, sed sunt disparatæ inter se; nec vna tendit ad alteram, vel ad ipsius alterius subiectum. Nec enim Filius respicit Spiritum filiatione, sed actiua spiratione, quæ est ipsi Filio per accidens; nam per filiationem ita se habet Filius ad Spiritum, ac si nullo modo

modo respiceret ipsum. Ergo distinctio, quæ est inter filiationem, & spirationem actiuam, non fundatur in oppositione, seu relatione processionis. Ergo quamvis supponeretur tolli à Filio oppositio, & relatio processionis, quæ re existit, non propterea labefactaretur distinctio, quæ est inter Filium & Spiritum sanctum, vt constitutos filiatione & spiratione passiua. Idem argumentum fieri potest de paternitate, provt antecedit ratione spirationem actiuam: vt sic enim non originat Spiritum, ad hunceque disparatè se habet; & tamen ab hoc distinguitur.

6. Dicendum est cum Diuo Thoma & eius Schola, necnon cum Diuo Bonauentura, Durando, Molina, Suare, Vasquesio & aliis communiter Theologis, ita distingui Spiritum à Filio relatiua oppositione, vt si ab hoc non procederet, non haberet vnde distingueretur ab ipso, essetque vna & eadem vtriusque persona, habens duas ad Patrem relationes ratione distinctas, eo modo quo in Patre sunt iam relationes duæ, paternitas, & spiratio actiua. Hæc sententia probatur primò. Quia est cohærentior Patrum, Conciliorumque doctrinæ, ex qua desumptum est illud axioma. *In diuinis omnia sunt idem, vbi non obstat oppositio relationum, seu processionum.* Sanè inter Patres, cùm in huius rei disputationem incidunt, nihil tritius est quàm in Trinitate nullam reperiri distinctionem, præter eam, quæ ex relatione petitur. Quod Boëtius *lib. de Trinitate*, disertè affirmat, cùm ait, *Relatione multiplicari in Deo Trinitatem.* Hoc est, eam tantùm reperiri inter personas multiplicationem, seu distinctionem, quæ ad relationem necessaria est; cùm scilicet relatio nequeat esse, nisi inter duos terminos realiter distinctos. Quod etiam sæpe tradit Augustinus in libris de Trinitate. Omnes item Patres Græci solam *χέσιν.*, & relationem asserunt discrimen personarum efficere. Vbi notandum est, id sic intelligi, vt non quæcumque relatio personas quascumque distinguat, quo modo Græci Schismatici facilè concedent Spiritum sanctum à solo Patre procedentem, distingui à Filio per relationem, hinc filiationis, quâ solum Patrem Filius; & inde processionis, quâ solum item Patrem Spiritus sanctus respiciat. Sed ille sensus Orthodoxorum est, vt nulla persona possit ab alia distingui, nisi ea relatione, quâ seipsas hæc & illa mutuò respiciant; ita nempe, vt Filius & Spiritus sanctus illâ solùm distingui relatione possint, quæ illos duos inter se relatos opponat. Quod Græci quidem Sancti & Orthodoxi Patres indicant, cùm aiunt distinguentem *χέσιν* debere esse *πρὸς ἄλληλα*; vt Nazianzenus *orat.* 32. Spiritum asserens non esse Filium, propterea quòd *τῆς πρὸς ἄλληλα χέσεως διάφορον, διάφορον αὐτῷ καὶ τὴν κλῆσιν πεποίηκε.* Latini verò id ipsum significant, cùm relationem, quæ distinguat, vocant *relationem ad inuicem.* Vt cùm Augustinus ait *tract.* 39. in Ioan. *Hoc solo numerum insinuant, quòd ad inuicem sunt, non quòd ad se sunt.* Et iisdem ferè verbis Concilium Toletanum vndecimum: *Hoc solo*, inquit, *numerum insinuant, quòd ad inuicem sunt; & in hoc, numero carent, quòd in se sunt.* Quare dum aduersarij axioma illud negant, quòd distinctio personarum fundetur in relatione modo iam explicato, non mihi videntur id satis circumspectè facere, discedentes à communi

muni Patrum Doctorumque sensu. Vnde prætereà fit, vt præcipuum, & maximè efficax argumentum, quod Latini contra Græcos habent, infirment, & nullius momenti efficiant.

7. Prædicti autem axiomatis veritas fundatur in summa illimitatione diuinarum personarum, ob quam fit, vt ea omnia, quæ inter se non opponuntur, habeant in Deo identitatem, & simplicitatem maximam, vt apparet in omnibus attributis. Nam quare intellectus, & voluntas; item intellectio, & volitio, &c. non distinguantur realiter, nequit alia reddi ratio, quàm quod non repugnent inter se specialiter, nec opponantur; quare identificabilitatem summam habent. Quæcumque enim identificari non possunt, id habent vel ex oppositione speciali, qualis est inter personas diuinas; vel ex sua limitatione, qualis in Deo non habet locum. Atque hinc est, quòd paternitas, & spiratio actiua, licèt sint duæ relationes, non tamen distinguantur realiter. Quia scilicet disparatæ sunt, & nullo modo oppositæ. Ex hac consideratione paternitatis, & spirationis actiuæ nascitur contra Scoti doctrinam

8. Nouum argumentum, quo probetur, Spiritum sanctum non distingui à Filio nisi ob relationis oppositionem. & processionem ab illo. Nam si Spiritus sanctus non procederet à Filio, spiratio passiua, & filiatio non maiorem haberent inter se oppositionem, quàm nunc paternitas & spiratio actiua; nec maior esset ratio, cur inter se distinguerentur realiter. Quidni enim duæ origines passiuæ Filij & Spiritus sancti tam benè possint identificari inter se, quàm eorumdem origines actiuæ, si supponatur non esse maior inter illas, quàm inter istas oppositio? Sanè illæ, sublata oppositione se haberent eodem modo inter se, quo istæ. Ergo, &c. Nec dicas, productionem passiuam Filij concipiendam esse vt priorem productione passiua Spiritus sancti. Respondeo enim concipiendam non esse in illo casu vt priorem origine, sed (quod realem distinctionem non infert) vt priorem tantùm ratione; quomodo etiam prior est nunc in Patre fœcunditas intellectus fœcunditate voluntatis. Denique & hoc argumentum fieri potest: quia si Spiritus sanctus non procederet à Filio, ideò esset, quoniam repugnaret Filio virtus spirandi: atqui non posset repugnare, nisi quia in se haberet simul cum filiatione spirationem passiuam, cui scilicet soli repugnat virtus spirandi: ergo in tali casu idem necessariò essent Filius & Spiritus sanctus.

Respondetur argumentis contrariæ sententiæ.

9. Ad primum respondeo, Spiritum sanctum, si à nullo procederet, aut alio modo procederet, quàm nunc procedat, non habiturum eandem entitatem, quam nunc habet. Eius enim entitas, quæ nunc est, dicit quidditatiuè ordinem ad hanc filiationem actiuam, ac per consequens ad Patrem simul, & Filium; vt ad vnum sui spiratorem. Eodem modo nec Filius haberet eam entitatem, quam habet, si non spiraret: sed nec Pater, si non communicaret Filio vim spirandi: imò nec ipsa essentia diuina, si posset communicari non communicata vi spirandi. Quare licèt impossibile sit intelligere Filium,

&

& Spiritum, qui sua relatiua entitate, & seipsis differunt, esse idem inter se, quandiu entitatem hanc seruant, & sunt ij qui iam sunt; intelligi tamen potest, illos fore vnum & idem, si desinerent esse ij, qui iam sunt; & entitatem acciperent, in qua oppositio processionis, & fundamentum distinctionis non esset? Ad secundum dico, quòd in illa facta hypothesi, quemadmodum Filius & Spiritus sanctus non essent duo, sed vnus & idem: ita etiam promiscuè tùm Filij, tùm Spiritus sancti entitas relatiua peteret esse terminus actionis, quæ esset realiter generatio simul, & spiratio; per quam actionem (cùm tantùm foret vnica) non bis, sed tantùm semel eius terminus produceretur.

10. Ad tertium est communis responsio Molinæ, Vasquesij, Becani, & aliorum; Patrem in ea suppositione, in qua Spiritus sanctus à solo Filio per ipsum Patrem producto produceretur, distinctum iri, & oppositionem cum eo habiturum. Foret enim huius mediatum principium, eo ferè modo, quo auus nepotis. Per se autem constat, non minùs repugnare, aliquid esse idem cum principio sui principij, quàm cum ipso suo principio. Reperiretur ergo, manente illa suppositione, fundamentum distinctionis, & sufficiens oppositio inter omnes tres personas. At in illa alia suppositione, de qua præsens quæstio instituitur, & in qua Spiritus sanctus à solo Patre produceretur, non haberet Spiritus vllam, nec immediatam, nec mediatam relationem, aut oppositionem cum Filio. Quare, cùm sit longè dispar ratio, negatur consequentia argumenti.

11. Sed contra hanc responsionem est, quòd Spiritus sanctus, si produceretur à Filio solo, non propterea referretur ad Patrem, vt ad principium productiuum sui principij productiui formaliter spectati. Nam Pater non est productiuus principij spirantis, vt talis; nec Filius magis vt productiuus formaliter, quàm vt Deus, producitur; cùm spiratio actiua non magis producatur, quàm essentia diuina, sed eodem modo, quo ista, communicetur. Quod autem Filius producatur secundùm filiationem, id non mouebit Scotum; cùm existimet ipsam filiationem distingui formaliter ante opus mentis à spiratione actiua, & esse impertinentem ad productionem Spiritus sancti, vtpote se habentem ad hanc merè materialiter. Nam si per impossibile spiratio actiua existeret ita, vt à Patre non esset communicata, nequaquam desineret operari secundùm Scoti principia. Ergo cùm Filius recepta spiratione per hanc operatur, non operatur vt productus, ac per consequens non debet eatenus comparari Spiritus sanctus ad Patrem, vt ad principium productiuum sui principij. Confirmatur. Nam si id verum esset, sequeretur habere Spiritum sanctum nunc ad Patrem illam relationem remotam. Pater enim non minùs est nunc principium Filij Spiritum sanctum producentis, quàm foret in illa suppositione in qua Filius spiraret solus; atque ita nunc bis opponeretur Patri Spiritus sanctus, vtpote duplicem habens ad eum relationem; nempe vt ad principium immediatum, quatenus Pater per se ipse est Spirator; & vt ad principium mediatum, quatenus Filius ab eo productus spirat. Quod licèt fateatur & doceat Vasques *disp.* 147. *cap.* 7. *num.* 39. dicens Patrem & Filium, cùm à Spiritu san-

cto realiter distinguantur spiratione communi, diuerso tamen modo se habere; quia Filius solùm immediatè spiratione distinguitur; at Pater & immediatè spiratione, quâ spirat; & mediatè paternitate, quâ generat, distinguitur à Spiritu sancto. Illud tamen non videtur admittendum; nam inauditum est apud Sanctos Patres, relationes, quibus tres Personæ realiter distinguantur, esse in Trinitate plures, quàm quatuor.

12. His non obstantibus responsio communis facta numero nono bona est. Et dico, in ea suppositione, in qua Filius à Patre, & Spiritus sanctus à Filio, non autem à Patre produceretur, fieri non posse, quin Pater produceret Filium, etiam quà Spiratorem formaliter: atque necessarium tunc esset, vt actiua spiratio eodem modo produceretur, quo nunc filiatio, ac per consequens Pater esset principium productiuum principij producentis Spiritum sanctum. Nam cùm Filius nihil habere possit, quod non accipiat à Patre, vel per productionem, quo modo proprietatem personalem accipit; vel per simplicem communicationem, quo modo accipit essentiam; oporteret vt in prædicta suppositione Filius (quandoquidem foret spirator) spirationem acciperet à Patre, vel per productionem, vel per communicationem. Atqui non posset accipere per communicationem: ergo per productionem. Probo assumptum. Pater enim non potest dare per simplicem communicationem id quod non habet formaliter in semetipso præexistens: atqui in facta suppositione Pater non haberet in seipso præexistentem spirationem actiuam, quandoquidem supponitur solus Filius esse spirator: ergo necessarium esset, vt ipsi spirationi actiuæ daret existentiam per productionem; & ita poneret eam in Filio. Vnde negatur quod addebatur in confirmatione, Patrem nunc habere illam eandem relationem remotam. Non enim Pater nunc producit in Filio spirationem actiuam; sed eo modo communicat, quo essentiam. Nec magni momenti est ea mediata oppositio, quam fatetur Vasquesius.

13. Ad quartum fateor Anselmum loco ab aduersariis citato, antequam probasset Spiritum sanctum à Filio procedere, interim voluisse independenter ab illa veritate stabilire distinctionem Filij, & Spiritus sancti ex eo quod vterque habeat diuersum modum procedendi; & ille quidem natiuitate, iste verò processione existat. Sic enim scribit illo cap. 2. *Filius autem interim, vt aliam causam dicam, quoniam nondum constat quod Spiritus sanctus est Filius, quia Filius nascendo habet esse de Patre, Spiritus sanctus verò non nascendo, sed procedendo.* Quamquam doceat idem Anselmus, ex eo etiam distinctionem Filij, & Spiritus sancti probari, quòd iste ab illo procedat, vt ipse disertè significat cap. 3. *Cùm autem apparebit* (inquit) *quòd Spiritus sanctus est de Filio, tunc quoque palàm exit, quia propter hoc nequit esse Filius Spiritus sanctus, & Spiritus sanctus Filius.* Sententia itaque videtur esse Anselmi, distinctionem Filij, & Spiritus sancti non fundari, vt nos volumus, in sola processione huius ab illo; sed fundari in duplici capite, & inferri, tum ex eo quod Spiritus sanctus à Filio procedat, quandoquidem nihil potest à seipso procedere; tum etiam ex eo quòd ambo à Patre diuerso

diuerso modo processionis oriantur; & Pater Filium quidem generet, Spiritum autem non generet, sed spiret; quod intendebat Scotus. Quare aliqui putant, non diffitendum (quibus repugnat Cuniga *disp.* 11. *dub.* 7. *membro* 2.) quin Anselmus faueat Scoto. Quamquam aduerto sic explicari posse Anselmum, vt ei nequaquam faueat. Potest enim, si res propiùs inspiciatur, intelligi sanctus hic Pater de generatione & processione, provt nunc mutuam habent inter se distinctionem. Quo modo verum erit realem inter Filium & Spiritum distinctionem peti ex generatione & processione; quemadmodum & eo quòd Spiritus à Filio procedat. Verùm in suppositione sententiæ Scoti, quòd Spiritus sanctus non oriatur à Filio, nulla foret distinctio realis inter generationem & spirationem passiuam. Atque in eo casu non asseruisset Anselmus Filium & Spiritum sanctum distingui realiter ex eo quòd ille per generationem, hic per spirationem passiuam produceretur.

14. Sequitur vt respondeatur ad quintum, & vltimò propositum *n.* 5. argumentum aduersariorum. Sed quia, vt vera solidaque illius inueniatur solutio, nonnihil requiritur disputationis, superest vt id à nobis paulò fusiùs præstari debeat.

Proponitur, & refutatur vulgaris aliquorum responsio ad argumentum aduersariorum propositum quinto loco suprà. Et noua ratio redditur, cur formaliter paternitas, ac filiatio respiciant Spiritum sanctum, ab eoque realiter distinguantur.

Igitur ad argumentum illud propositum *num.* 5. fateor Patrem & Filium differre à Spiritu sancto non tantùm spiratione actiua, sed etiam proprietatibus suis personalibus, nimirum paternitate, quâ Pater Filium; & filiatione; quâ Filius Patrem respicit, vt benè asseritur in hoc eorum, qui contra nos contendunt, argumento quinto. Sed explicandum est, quomodo non inde fiat, vt illi videantur habere intentum, cùm volunt distinctionem realem, quæ est inter personas, fundari posse in relationibus disparatis, nec oppositis; atque si Filius non spiraret, distinctum tamen iri à Spiritu sancto. Ita vt quamuis tolleretur respectus Filij ad Spiritum, non mutaretur tamen filiatio, seu is respectus ad Patrem, qualis nunc est, à Spiritu sancto distinctus: non etiam mutaretur paternitas. Solet ad id expediendum responderi, filiationem sicut & paternitatem distingui à Spiritu, non ex seipsa immediatè, sed tantùm quatenus coniungitur cum spiratione actiua, & quatenùs hanc exigit, vel ad hanc per se tendit. Putatur enim contrahi ex tali coniunctione & exigentia mediatam quandam cum Spiritu sancto oppositionem, quæ ad distinctionem sufficiat.

15. Cùm autem contra illam responsionem obiicitur, essentiam diuinam non minùs coniungi cum spiratione actiua, nec minùs hanc exigere, aut ad hanc per se tendere, quàm filiationem aut paternitatem: ergo si propter coniunctionem & exigentiam prædictam filiatio aut paternitas contrahit oppositionem mediatam, & ideò distinguitur à Spiritu sancto, eandem oppositionem, & distinctionem contrahet essentia diuina; quod tamen absurdum, & contra fidem est. Respondetur communiter,

muniter, aliam esse rationem essentiæ diuinæ, & aliam filiationis (seu etiam paternitatis, de qua idem intelligendum hîc est, quod de filiatione.) Nam essentia coniungitur sicut quid commune omnibus relationibus oppositis; & ideò cum omnibus, quibus coniungitur, est idem omninò secundùm rem: at filiatio coniungitur spirationi solùm tanquam aliquid quod spirationi actiuæ præsupponitur vt peculiare secundæ personæ spiranti. Intelligi autem non potest esse aliquid peculiare secundæ personæ, quæ tertiæ opponitur, quin & ipsum ab eadem tertia (dum spirationi actiuæ coniungitur) distinguatur. Ita Vasques *disp.* 147. *cap.*8. & alij. Sed illud responsum & petit principium, & destruit rationem, quam affert, cur filiatio distinguatur à Spiritu sancto. Ac primò quidem petit principium. Cùm enim respondetur, essentiam coniungi cum onibus relationibus, vt quid commune; filiationem verò coniungi spirationi vt peculiarem secundæ personæ; illud est ipsum, quod hîc quæritur, cur essentia possit esse quid commune Spiritui sancto, cùm identificetur spirationi actiuæ: & cur filiatio nequeat æquè impunè ac essentia identificari spirationi actiuæ, non contrahendo oppositionem cum spiratione passiua. Secundò responsum illud destruit rationem, quæ allata fuit, cur filiatio distinguatur à Spiritu sancto. Si enim essentia coniungitur spirationi actiuæ, vt præsuppositum aliquid commune omnibus personis, & filiatio vt præsuppositum aliquid peculiare secundæ personæ, quæ opponitur Spiritui sancto; iam præsupponitur ipsa filiatio in priori per se & independenter ab huiusmodi coniunctione incommunicabilis esse Spiritui sancto, ac per consequens ab hoc distincta. Quid enim aliud est filiationem coniungi spirationi vt præsuppositum aliquid peculiare secundæ personæ, quàm coniungi vt aliquid alienum per se à Spiritu sancto, ac per consequens distinctum? Ergo non bona ratio affertur, cùm dicitur filiationem ideò habere oppositionem & distinctionem respectu Spiritus sancti, quia coniungitur spirationi actiuæ.

16 Non benè item respondent qui dicunt, essentiam ex coniunctione cum spiratione actiua ideò non contrahere distinctionem à Spiritu, filiationem autem contrahere; quia cùm essentia sit aliquid absolutum, coniungitur spirationi vt aliquid communicabile omnibus personis, & velut commune omnium relationum subiectum. At verò filiatio non est aliquid absolutum, sed est ens realiter relatiuum; & ideò quia coniungitur alteri pariter relatiuo, nempe spirationi actiuæ, contrahere debet oppositionem, & distinctionem respectu Spiritus sancti ex ea relatione, cui coniungitur. Sed argumentor contrà. Nam si filiatio, propterea quòd est ens relatiuum, oppositionem & distinctionem respectu Spiritus sancti contrahit ex eo quòd coniungatur alteri relationi habenti oppositionem huiusmodi & distinctionem: ergo dicendum est, spirationem actiuam, quæ ipsa est ens æquè relatiuum, oppositionem & distinctionem respectu Patris contrahere ex eo quod coniungatur alteri relationi (nempe filiationi ipsi) habenti distinctionem & oppositionem respectu Patris. Certè videtur esse paritas; spiratio enim actiua non minùs relatiua

tiua est, quàm filiatio. Et vt ex essentia diuina apparet, filiationem eo præcisè quòd coniungatur spirationi actiuæ, non contrahere vllam oppositionem, & distinctionem; sic ex ipsa spiratione actiua apparet eandem filiationem non ex eo aliquam item oppositionem contrahere, quòd sit relatiua & relationi coniungatur.

17. Meliùs ergo respondebitur, filiationem & paternitatem longè alio modo, quàm essentiam diuinam, respicere ac exigere spirationem actiuam. Nam essentia diuina, cùm non sit productiua, seu generatiua Filij, non est communicatiua, sicut paternitas, spirationis actiuæ; sed petit tantùm huic identificari, vt cum ipsa sit eodem modo, quo cum aliis relationibus, cum quibus perinde coniungi potest. Nec enim ex eo quòd vni relationi coniungatur & identificetur, limitatur aut impeditur, quominus habere possit virtualem multiplicitatem (quæ illi aliunde connaturalis est) & amplitudinem sufficientem vt non opponatur cæteris. At filiatio & paternitas spirationem actiuam eo speciali modo respiciunt, qui in ipsamet intrinsecè filiatione & paternitate remotam quandam relatiuam oppositionem respectu spirationis passiuæ inducat. Is autem specialis modus est quòd paternitas ex intrinseca sua quidditate exigat non simpliciter coniungi spirationi actiuæ; sed ita vt cùm sit productiua filiationis, sit simul spirationis communicatiua vt fœcundæ, & productiuæ Spiritus sancti; filiatio autem quidditatiuè exigat illam recipere, vt sibi communicatam, atque possidere: hoc est, exigit paternitas producere non quamcumque filiationem, sed eam cum qua in ipso produci reperiatur identificata non solùm essentia diuina, sed simul spiratio actiua, vt fœcunda, & vt adhuc in actu primo. Et pariter exigit filiatio non quocumque modo produci; sed ita vt cum ipsa reperiatur simul identificata fœcunditas spirandi, vt existens in actu primo; ad hoc scilicet, vt per eam illa persona, cuius ipsa filiatio est constitutiua, operetur. Quod non conuenit essentiæ; nec enim spirationi coniungitur vt eius communicatiua, aut vt eam modo explicato recipiens. Dico autem spirationi passiuæ repugnare aliquo peculiari oppositionis genere, vt possit vel communicare, vel recipere spirationem actiuam nondum operatam, & in actu primo adhuc existentem; quemadmodum per se patebit meditanti. Sic enim spiratio passiua existeret ante sui productionem, & Spiritus sanctus sui ipsius principium esset.

CAPVT V.

Nouum pro sententia Henrici & Scoti proponitur ac soluitur argumentum.

1. Contra superioris capitis doctrinam noua quædam, & à nullo (quod viderim) proposita occurrere potest, quàm hîc exponamus & soluamus, obiectio; quæ primo saltem aspectu videtur aliquid difficultatis habere. Qui enim cum Henrico & Scoto negant, distinctionem personarum diuinarum in oppositione relationis fundari, possent formare pro sua sententia hoc insuper argumentum contra nos, velut ad hominem: nam

nam tantùm abest, vt si supponatur cum Scoto, Spiritum sanctum à Filio non procedere, nec habere ad illum relationis oppositionem, inferre inde possimus nequaquam eum distingui ab ipso Filio; vt potiùs, si id supponamus, sequatur vi illius suppositionis omninò contradictorium nostræ illationis; imò intra ipsam illam suppositionem formaliter asseramus ac stabiliamus, non esse necessariam relationis oppositionem, aut vnius ab alio processionem ad hoc vt in Trinitate realis detur distinctio.

2. Patet. Si enim supponamus Spiritum sanctum à Patre solo, nec à Filio procedere; hoc ipso supponimus, atque concedimus spirationem actiuam non in Filio, sed tantùm in Patre inueniri, ac per consequens distingui à Filio realiter. Quicquid enim ita reperitur in Patre, vt non sit commune Filio, necesse est ab hoc realiter omnino distingui. Atqui clarum est, spirationem actiuam nullo modo ad Filium referri vt per ipsam productum, nec ei opponi: ergo contra id quod intendimus, illa stante suppositione debet necessariò asseri, nullam esse repugnantiam, quin illa in diuinis realiter distinguantur, quæ non opponuntur, nec referuntur inter se. Quod si ita est, nos malè contendimus contra Græcos, ex eo quod asserant Spiritum à Filio non procedere, sequi nequaquam illum ab hoc distingui. Quin potiùs ex aduerso dici debet consequens esse, vt Spiritus sanctus à Filio realiter distingui dicatur, si ab eo non procedit, nec ipsi relatiuè opponitur; quandoquidem hoc ipso, quòd à Filio non procedat, necesse est (vt iam dixi) filiationem, & spirationem actiuam distingui inter se realiter, licèt non sibi opponantur, nec vna procedat ab altera; sicque deprehenditur falsum esse illud tritum axioma, *In diuinis omnia esse idem, inter quæ non est relationis oppositio.*

3. Explicatur magis; cùm enim quis, vt argumentetur contra Scotum, facit suppositionem, dicens, *Si Spiritus sanctus procederet à Patre solo*; & inferens addit, *non distingueretur à Filio*; asseruntur in eo dicto duo contradictoria. Nam idem est ac si diceretur; Supposito, quod spiratio actiua non habens oppositionem relationis cum filiatione, distingueretur ab ipsa filiatione realiter (vtpote existens in Patre tantùm, & non in Filio) spiratio passiua nequiret distingui à filiatione, poptcrea quod non haberet cum hac oppositionem relationis, sine qua non potest vlla esse intra Trinitatem distinctio. Vbi manifesta est contradictio: nam & supponitur esse posse in personis distinctionem absque oppositione (nimirum inter filiationem & spirationem actiuam) & simul asseritur non posse esse distinctionem absque oppositione (nimirum inter eandem filiationem, & spirationem passiuam.) Ex dictis eminet, falsum esse quod contra Græcos intenditur; nempe non posse illos Spiritum sanctum à Filio distinguere, cùm ipsum à Filio procedere negant. Maximè enim hoc ipso possunt.

4. Vt huic difficultati satisfiat, fatendum videtur, illo quidem argumento euinci, non esse validam, & efficacem contra Græcos eam vulgarem ratiocinationem illo modo propositam, quo contra illos vtplurimùm depugnatur. Quod nimirum, si

Principes, qui suam vulgare præsentiam recusabant, & suum, nisi facie velo opertа, congressum nemini permittebant.

2. Quàm igitur potiori nunc iure nos contremiscere oportet castâ timidos verecundiâ; cùm, velut supra tertium cælum ascendentes, hac mystica contemplatione ad considerandam accedimus eam diuinitatis personam, quæ personarum prima est, & fons origoque reliquarum; & quæ per diuersos proprietatis gradus (quos infirmæ nostræ cogitationis ordo seriesque distinguit) velut anterior atque suprema est, in summo, vt ita loquar, apice Trinitatis: vtpote primum ac summum rerum omnium, quà creaturum, quà increatarum principium. Sanè quidquid in Deo est, quando illud animo versamus, talem reuerentiæ affectum incutit, qui timoris nomen, authore Diuo Thoma, mereatur, & sit per modum fugæ; ob quem timorem creatura in conspectu diuinæ eminentiæ non audeat ad hanc accedere, & formidet eius inuestigare rationes. Ex hoc affectu cantant Beati Apoc. cap. 16. *Magna, & mirabilia sunt opera tua, Domine. Quis non timebit te, Domine, & magnificabit nomen tuum?* Similem tremoris in Angelis affectum significat illud Ecclesiæ in Missarum præfatione carmen, *Maiestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates.* Eundem affectum vocat Dionysius cap. 13. de cœlesti Hier. *Sacram ac plenam horroris venerationem, quâ sancti celsam mysteriorum indaginem perhorrescunt.*

Perfectiones in Patre relatiuæ.

3. Non possum itaque, quin animo commouear, atque contremiscam, dum religiosa contemplatione ad illud æternitatis instans ascendo, quod diuinam personarum processionem antecedit; & dum aspectum ad id culmen conuerto, quod altiùs assurgens, nostris eminùs occulis primum intra Trinitatem occurrit. In quo culmine illud cœlum cœli Augustinus agnoscit, ex cuius summo in secundam, tertiamque personam deflua Patris æterni diuinitas, indiuiduaque substantia deriuatur. Hîc se offert primæ Personæ consideranda Maiestas, qualis priùs extiterit, quàm fuisse Filij generatio, sanctique productio Spiritus concipiatur. Sunt verò nobis (provt in illa tunc erant) duûm generum dispiciendæ perfectiones. Prius genus est illarum perfectionum, quæ sic propriè ad ipsam pertinebant, vt cum duabus aliis personis communicari nullatenùs possent. Talis occurrit statim paternitas in actu primo, seu fœcunditas, generandique potentia. Quæ deinde, cùm generationi reipsa, actuique secundo coniuncta fuit, integræ officium munusque personalitatis in sustentanda, terminandaque diuinitate præstitit, sicque Patrem in ratione suppositi à Filio, & Spiritu sancto distincti constituit. Nisi verò esset, per superadditam diuinitati perfectionem relatiuam, suppositi distincta realitas, Deus non aliter subsisteret, quàm (vt fit in creaturis) per suæ simpliciter totalitatem naturæ. Atque ita vnius dumtaxat personæ Deum qualem Iudæi confingunt, haberemus. Sicut paterna fœcunditas est propria huius primæ personæ, sic & notionalis intelligentia, provt in ea scilicet fundatur ipsa generandi fœcunditas. Nec enim Filio intelligentia communi-

ricus *quodlib.* 5. *q.* 9. Scotus *dist.* 12. *quæst.* 2. & inter Scotistas multi asserunt manere sufficiens fundamentum distinctionis Filium inter & Spiritum sanctum, licèt supponeremus cum Græcis (quorum errorem non putant ratione posse conuinci) hunc ab illo non procedere: ac per consequens negant personarum distinctionem pendere ab oppositione, & vnarum ab aliis processione, quamquam cum hac de facto coniuncta sit. Atque ita concedunt oppositionem, & processionem Spiritus sancti à Filio non posse ex distinctione colligi vi rationis, & formaliter, ac plusquam materialiter. Huius sententiæ argumentum est primò; quia si Spiritus sanctus à solo Patre, vel à solo Filio esset, imò si nec à Patre, nec à Filio, sed à nullo procederet, & tamen existeret, haberet eandem entitatem, quam nunc habet: ergo & eandem vnitatem, ac distinctionem; vnitas enim, ac distinctio sequitur entitatem; & vnumquodque per id distinguitur, per quod entitatiuè constituitur. Confirmatur: nam impossibile est, vt quæ sua entitate, ac seipsis differunt, sint idem: sed filiatio, & spiratio passiua differunt sua entitate ac seipsis: ergo quavis data hypothesi, non erunt idem. Secundò quia in illa hypothesi, in qua à solo Patre & Filius per intellectum, & Spiritus sanctus per voluntatem orietur, Filius esset per se, & ab intrinseco terminus generationis, & non spirationis; Spiritus verò esset per se, & ab intrinseco terminus spirationis, & non generationis: ergo ambo à se inuicem distinguerentur, vtpote habentes per se, & ab intrinseco diuersum ordinem, ac diuersam quidditatem; fieri enim non potest, vt idem ipse qui per se petit generari, petat per se non generari. Confirmatur: nam si ille ipse qui petit quidditatiuè generari, peteret item quidditatiuè spirari; sequeretur, eum petere bis substantialiter & totaliter produci, & quidem per productiones diuersarum rationum.

4. Tertium argumentum. Si Spiritus sanctus à Filio solo procederet, distingueretur tamen à Patre: ergo similiter licèt procederet à solo Patre, distingueretur à Filio. Quartò sumi potest argumentum ex authoritate Anselmi, qui in libro de Processione Spiritus sancti, *cap.* 2. significat hanc solam esse causam distinctionis inter Filium & Spiritum sanctum, quòd Filius procedat generatione, & Spiritus sanctus processione. Atqui Spiritus sanctus procederet nihilominus processione, & Filius generatione, licèt Spiritus sanctus à Filio non produceretur.

5. Quintum argumentum inde sumitur, quòd iam de facto filiatio, quatenus per eam Filius distinguitur à Patre; & spiratio passiua, quatenus per eam Spiritus sanctus respicit præcisè suum principium spiratiuum, distinguantur inter se realiter, vt constat; nam alioqui Spiritus sanctus haberet filiationem, & Filius spirationem passiuam; & vterque esset Filius, vterque Spiritus sanctus. Atqui filiatio, & spiratio passiua, prout considerantur præcisè modo dicto, non sunt relationes oppositæ, sed sunt disparatæ inter se; nec vna tendit ad alteram, vel ad ipsius alterius subiectum. Nec enim Filius respicit Spiritum filiatione, sed actiua spiratione, quæ est ipsi Filio per accidens; nam per filiationem ita se habet Filius ad Spiritum, ac si nullo modo

modo respiceret ipsum. Ergo distinctio, quæ est inter filiationem, & spirationem actiuam, non fundatur in oppositione, seu relatione processionis. Ergo quamvis supponeretur tolli à Filio oppositio, & relatio processionis, quæ re existit, non propterea labefactaretur distinctio, quæ est inter Filium & Spiritum sanctum, vt constitutos filiatione & spiratione passiua. Idem argumentum fieri potest de paternitate, provt antecedit ratione spirationem actiuam: vt sic enim non originat Spiritum, ad huncque disparatè se habet; & tamen ab hoc distinguitur.

6. Dicendum est cum Diuo Thoma & eius Schola, necnon cum Diuo Bonauentura, Durando, Molina, Suare, Vasquesio & aliis communiter Theologis, ita distingui Spiritum à Filio relatiua oppositione, vt si ab hoc non procederet, non haberet vnde distingueretur ab ipso, essetque vna & eadem vtriusque persona, habens duas ad Patrem relationes ratione distinctas, eo modo quo in Patre sunt iam relationes duæ, paternitas, & spiratio actiua. Hæc sententia probatur primò. Quia est cohærentior Patrum, Conciliorumque doctrinæ, ex qua desumptum est illud axioma. *In diuinis omnia sunt idem, vbi non obstat oppositio relationum, seu processionum.* Sanè inter Patres, cùm in huius rei disputationem incidunt, nihil tritius est quàm in Trinitate nullam reperiri distinctionem, præter eam, quæ ex relatione petitur. Quod Boëtius *lib. de Trinitate*, disertè affirmat, cùm ait, *Relatione multiplicari in Deo Trinitatem.* Hoc est, eam tantùm reperiri inter personas multiplicationem, seu distinctionem, quæ ad relationem necessaria est; cùm scilicet relatio nequeat esse, nisi inter duos terminos realiter distinctos. Quod etiam sæpe tradit Augustinus in libris de Trinitate. Omnes item Patres Græci solam χέσιν., & relationem asserunt discrimen personarum efficere. Vbi notandum est, id sic intelligi, vt non quæcumque relatio personas quascumque distinguat, quo modo Græci Schismatici facilè concedent Spiritum sanctum à solo Patre procedentem, distingui à Filio per relationem, hinc filiationis, quâ solum Patrem Filius; & inde processionis, quâ solum item Patrem Spiritus sanctus respiciat. Sed ille sensus Orthodoxorum est, vt nulla persona possit ab alia distingui, nisi ea relatione, quâ seipsas hæc & illa mutuò respiciant; ita nempe, vt Filius & Spiritus sanctus illâ solùm distingui relatione possint, quæ illos duos inter se relatos opponat. Quod Græci quidem Sancti & Orthodoxi Patres indicant, cùm aiunt distinguentem χέσιν debere esse πρὸς ἄλληλα; vt Nazianzenus *orat.* 32. Spiritum asserens non esse Filium, propterea quòd τῆς πρὸς ἄλληλα χέσεως διάφορον, διάφορον ἀυτῦ καὶ τὴν κλῆσιν πεποίηκε. Latini verò id ipsum significant, cùm relationem, quæ distinguat, vocant *relationem ad inuicem.* Vt cùm Augustinus ait *tract.* 39. in Ioan. *Hoc solo numerum insinuant, quòd ad inuicem sunt, non quòd ad se sunt.* Et iisdem ferè verbis Concilium Toletanum vndecimum: *Hoc solo*, inquit, *numerum insinuant, quòd ad inuicem sunt; & in hoc, numero carent, quòd in se sunt.* Quare dum aduersarij axioma illud negant, quòd distinctio personarum fundetur in relatione modo iam explicato, non mihi videntur id satis circumspectè facere, discedentes à communi

muni Patrum Doctorumque sensu. Vnde praetereà fit, vt praecipuum, & maximè efficax argumentum, quod Latini contra Graecos habent, infirment, & nullius momenti efficiant.

7. Praedicti autem axiomatis veritas fundatur in summa illimitatione diuinarum personarum, ob quam fit, vt ea omnia, quae inter se non opponuntur, habeant in Deo identitatem, & simplicitatem maximam, vt apparet in omnibus attributis. Nam quare intellectus, & voluntas; item intellectio, & volitio, &c. non distinguantur realiter, nequit alia reddi ratio, quàm quod non repugnent inter se specialiter, nec opponantur; quare identificabilitatem summam habent. Quaecumque enim identificari non possunt, id habent vel ex oppositione speciali, qualis est inter personas diuinas; vel ex sua limitatione, qualis in Deo non habet locum. Atque hinc est, quòd paternitas, & spiratio actiua, licèt sint duae relationes, non tamen distinguantur realiter. Quia scilicet disparatae sunt, & nullo modo oppositae. Ex hac consideratione paternitatis, & spirationis actiuae nascitur contra Scoti doctrinam

8. Nouum argumentum, quo probetur, Spiritum sanctum non distingui à Filio nisi ob relationis oppositionem. & processionem ab illo. Nam si Spiritus sanctus non procederet à Filio, spiratio passiua, & filiatio non maiorem haberent inter se oppositionem, quàm nunc paternitas & spiratio actiua; nec maior esset ratio, cur inter se distinguerentur realiter. Quidni enim duae origines passiuae Filij & Spiritus sancti tam benè possint identificari inter se, quàm eorumdem origines actiuae, si supponatur non esse maior inter illas, quàm inter istas oppositio? Sanè illae, sublata oppositione se haberent eodem modo inter se, quo istae. Ergo, &c. Nec dicas, productionem passiuam Filij concipiendam esse vt priorem productione passiua Spiritus sancti. Respondeo enim concipiendam non esse in illo casu vt priorem origine, sed (quod realem distinctionem non infert) vt priorem tantùm ratione; quomodo etiam prior est nunc in Patre foecunditas intellectus foecunditate voluntatis. Denique & hoc argumentum fieri potest: quia si Spiritus sanctus non procederet à Filio, ideò esset, quoniam repugnaret Filio virtus spirandi: atqui non posset repugnare, nisi quia in se haberet simul cum filiatione spirationem passiuam, cui scilicet soli repugnat virtus spirandi: ergo in tali casu idem necessariò essent Filius & Spiritus sanctus.

Respondetur argumentis contrariae sententiae.

9. Ad primum respondeo, Spiritum sanctum, si à nullo procederet, aut alio modo procederet, quàm nunc procedat, non habiturum eandem entitatem, quam nunc habet. Eius enim entitas, quae nunc est, dicit quidditatiuè ordinem ad hanc filiationem actiuam, ac per consequens ad Patrem simul, & Filium; vt ad vnum sui spiratorem. Eodem modo nec Filius haberet eam entitatem, quam habet, si non spiraret: sed nec Pater, si non communicaret Filio vim spirandi: imò nec ipsa essentia diuina, si posset communicari non communicata vi spirandi. Quare licèt impossibile sit intelligere Filium, &

& Spiritum, qui sua relatiua entitate, & seipsis differunt; esse idem inter se, quandiu entitatem hanc seruant, & sunt ij qui iam sunt; intelligi tamen potest, illos fore vnum & idem, si desinerent esse ij, qui iam sunt; & entitatem acciperent, in qua oppositio processionis, & fundamentum distinctionis non esset. Ad secundum dico, quòd in illa facta hypothesi, quemadmodum Filius & Spiritus sanctus non essent duo, sed vnus & idem: ita etiam promiscuè tùm Filij, tùm Spiritus sancti entitas relatiua peteret esse terminus actionis, quæ esset realiter generatio simul, & spiratio; per quam actionem (cùm tantùm foret vnica) non bis, sed tantùm semel eius terminus produceretur.

10. Ad tertium est communis responsio Molinæ, Vasquesij, Becani, & aliorum; Patrem in ea suppositione, in qua Spiritus sanctus à solo Filio per ipsum Patrem producto produceretur, distinctum iri, & oppositionem cum eo habiturum. Foret enim huius mediatum principium, eo ferè modo, quo auus nepotis. Per se autem constat, non minùs repugnare, aliquid esse idem cum principio sui principij, quàm cum ipso suo principio. Reperiretur ergo, manente illa suppositione, fundamentum distinctionis, & sufficiens oppositio inter omnes tres personas. At in illa alia suppositione, de qua præsens quæstio instituitur, & in qua Spiritus sanctus à solo Patre produceretur, non haberet Spiritus vllam, nec immediatam, nec mediatam relationem, aut oppositionem cum Filio. Quare, cùm sit longè dispar ratio, negatur consequentia argumenti.

11. Sed contra hanc responsionem est, quòd Spiritus sanctus, si produceretur à Filio solo, non propterea referretur ad Patrem, vt ad principium productiuum sui principij productiui formaliter spectati. Nam Pater non est productiuus principij spirantis, vt talis; nec Filius magis vt productiuus formaliter, quàm vt Deus, producitur; cùm spiratio actiua non magis producatur, quàm essentia diuina, sed eodem modo, quo ista, communicetur. Quod autem Filius producatur secundùm filiationem, id non mouebit Scotum; cùm existimet ipsam filiationem distingui formaliter ante opus mentis à spiratione actiua, & esse impertinentem ad productionem Spiritus sancti, vtpote se habentem ad hanc merè materialiter. Nam si per impossibile spiratio actiua existeret ita, vt à Patre non esset communicata, nequaquam desineret operari secundùm Scoti principia. Ergo cùm Filius recepta spiratione per hanc operatur, non operatur vt productus, ac per consequens non debet eatenus comparari Spiritus sanctus ad Patrem, vt ad principium productiuum sui principij. Confirmatur. Nam si id verum esset, sequeretur habere Spiritum sanctum nunc ad Patrem illam relationem remotam. Pater enim non minùs est nunc principium Filij Spiritum sanctum producentis, quàm foret in illa suppositione in qua Filius spiraret solus; atque ita nunc bis opponeretur Patri Spiritus sanctus, vtpote duplicem habens ad eum relationem; nempe vt ad principium immediatum, quatenus Pater per se ipse est Spirator; & vt ad principium mediatum, quatenus Filius ab eo productus spirat. Quod licèt fateatur & doceat Vasques *disp. 147. cap. 7. num. 39.* dicens Patrem & Filium, cùm à Spiritu sancto

cto realiter distinguantur spiratione communi, diuerso tamen modo se habere; quia Filius solùm immediatè spiratione distinguitur; at Pater & immediatè spiratione, quâ spirat; & mediatè paternitate, quâ generat, distinguitur à Spiritu sancto. Illud tamen non videtur admittendum; nam inauditum est apud Sanctos Patres, relationes, quibus tres Personæ realiter distinguantur, esse in Trinitate plures, quàm quatuor.

12. His non obstantibus responsio communis facta numero nono bona est. Et dico, in ea suppositione, in qua Filius à Patre, & Spiritus sanctus à Filio, non autem à Patre produceretur, fieri non posse, quin Pater produceret Filium, etiam quà Spiratorem formaliter: atque necessarium tunc esset, vt actiua spiratio eodem modo produceretur, quo nunc filiatio, ac per consequens Pater esset principium productiuum principij producentis Spiritum sanctum. Nam cùm Filius nihil habere possit, quod non accipiat à Patre, vel per productionem, quo modo proprietatem personalem accipit; vel per simplicem communicationem, quo modo accipit essentiam; oporteret vt in prædicta suppositione Filius (quandoquidem foret spirator) spirationem acciperet à Patre, vel per productionem, vel per communicationem. Atqui non posset accipere per communicationem: ergo per productionem. Probo assumptum. Pater enim non potest dare per simplicem communicationem id quod non habet formaliter in semetipso præexistens: atqui in facta suppositione Pater non haberet in seipso præexistentem spirationem actiuam, quandoquidem supponitur solus Filius esse spirator: ergo necessarium esset, vt ipsi spirationi actiuæ daret existentiam per productionem; & ita poneret eam in Filio. Vnde negatur quod addebatur in confirmatione, Patrem nunc habere illam eandem relationem remotam. Non enim Pater nunc producit in Filio spirationem actiuam; sed eo modo communicat, quo essentiam. Nec magni momenti est ea mediata oppositio, quam fatetur Vasquesius.

13. Ad quartum fateor Anselmum loco ab aduersariis citato, antequam probasset Spiritum sanctum à Filio procedere, interim voluisse independenter ab illa veritate stabilire distinctionem Filij, & Spiritus sancti ex eo quod vterque habeat diuersum modum procedendi; & ille quidem natiuitate, iste verò processione existat. Sic enim scribit illo cap. 2. *Filius autem interim, vt aliam causam dicam, quoniam nondum constat quod Spiritus sanctus est Filius; quia Filius nascendo habet esse de Patre, Spiritus sanctus verò non nascendo, sed procedendo.* Quamquam doceat idem Anselmus, ex eo etiam distinctionem Filij, & Spiritus sancti probari, quòd iste ab illo procedat, vt ipse disertè significat cap. 3. *Cùm autem apparebit* (inquit) *quòd Spiritus sanctus est de Filio, tunc quoque palàm erit, quia propter hoc nequit esse Filius Spiritus sanctus, & Spiritus sanctus Filius.* Sententia itaque videtur esse Anselmi, distinctionem Filij, & Spiritus sancti non fundari, vt nos volumus, in sola processione huius ab illo; sed fundari in duplici capite, & inferri, tum ex eo quod Spiritus sanctus à Filio procedat, quandoquidem nihil potest à seipso procedere; tum etiam ex eo quòd ambo à Patre diuerso

diuerso modo processionis oriantur; & Pater Filium quidem generet, Spiritum autem non generet, sed spiret; quod intendebat Scotus. Quare aliqui putant, non diffitendum (quibus repugnat Cuniga *disp.* 11. *dub.* 7. *membro* 2.) quin Anselmus faueat Scoto. Quamquam aduerto sic explicari posse Anselmum, vt ei nequaquam faueat. Potest enim, si res propiùs inspiciatur, intelligi sanctus hic Pater de generatione & processione, prout nunc mutuam habent inter se distinctionem. Quo modo verum erit realem inter Filium & Spiritum distinctionem peti ex generatione & processione; quemadmodum & eo quòd Spiritus à Filio procedat. Verùm in suppositione sententiæ Scoti, quòd Spiritus sanctus non oriatur à Filio, nulla foret distinctio realis inter generationem & spirationem passiuam. Atque in eo casu non asseruisset Anselmus Filium & Spiritum sanctum distingui realiter ex eo quòd ille per generationem, hic per spirationem passiuam produceretur.

14. Sequitur vt respondeatur ad quintum, & vltimò propositum *n.5.* argumentum aduersariorum. Sed quia, vt vera solidaque illius inueniatur solutio, nonnihil requiritur disputationis, superest vt id à nobis paulò fusiùs præstari debeat.

Proponitur, & refutatur vulgaris aliquorum responsio ad argumentum aduersariorum propositum quinto loco suprà. Et noua ratio redditur, cur formaliter paternitas, ac filiatio respiciant Spiritum sanctum, ab eoque realiter distinguantur.

Igitur ad argumentum illud propositum *num.5.* fateor Patrem & Filium differre à Spiritu sancto non tantùm spiratione actiua, sed etiam proprietatibus suis personalibus, nimirum paternitate, quâ Pater Filium; & filiatione; quâ Filius Patrem respicit, vt benè asseritur in hoc eorum, qui contra nos contendunt, argumento quinto. Sed explicandum est, quomodo non inde fiat, vt illi videantur habere intentum, cùm volunt distinctionem realem, quæ est inter personas, fundari posse in relationibus disparatis, nec oppositis; atque si Filius non spiraret, distinctum tamen iri à Spiritu sancto. Ita vt quamuis tolleretur respectus Filij ad Spiritum, non mutaretur tamen filiatio, seu is respectus ad Patrem, qualis nunc est, à Spiritu sancto distinctus: non etiam mutaretur paternitas. Solet ad id expediendum responderi, filiationem sicut & paternitatem distingui à Spiritu, non ex seipsa immediatè, sed tantùm quatenus coniungitur cum spiratione actiua, & quatenùs hanc exigit, vel ad hanc per se tendit. Putatur enim contrahi ex tali coniunctione & exigentia mediatam quandam cum Spiritu sancto oppositionem, quæ ad distinctionem sufficiat.

15. Cùm autem contra illam responsionem obiicitur, essentiam diuinam non minùs coniungi cum spiratione actiua, nec minùs hanc exigere, aut ad hanc per se tendere, quàm filiationem aut paternitatem: ergo si propter coniunctionem & exigentiam prædictam filiatio aut paternitas contrahit oppositionem mediatam, & ideò distinguitur à Spiritu sancto, eandem oppositionem, & distinctionem contrahet essentia diuina; quod tamen absurdum, & contra fidem est. Respondetur com-

muniter, aliam esse rationem essentiæ diuinæ, & aliam filiationis (seu etiam paternitatis, de qua idem intelligendum hîc est, quod de filiatione.) Nam essentia coniungitur sicut quid commune omnibus relationibus oppositis; & ideò cum omnibus, quibus coniungitur, est idem omninò secundùm rem: at filiatio coniungitur spirationi solùm tanquam aliquid quod spirationi actiuæ præsupponitur vt peculiare secundæ personæ spiranti. Intelligi autem non potest esse aliquid peculiare secundæ personæ, quæ tertiæ opponitur, quin & ipsum ab eadem tertia (dum spirationi actiuæ coniungitur) distinguatur. Ita Vasques *disp.* 147. *cap.*8. & alij. Sed illud responsum & petit principium, & destruit rationem, quam affert, cur filiatio distinguatur à Spiritu sancto. Ac primò quidem petit principium. Cùm enim respondetur, essentiam coniungi cum onibus relationibus, vt quid commune; filiationem verò coniungi spirationi vt peculiarem secundæ personæ; illud est ipsum, quod hîc quæritur, cur essentia possit esse quid commune Spiritui sancto, cùm identificetur spirationi actiuæ: & cur filiatio nequeat æquè impunè ac essentia identificari spirationi actiuæ, non contrahendo oppositionem cum spiratione passiua. Secundò responsum illud destruit rationem, quæ allata fuit, cur filiatio distinguatur à Spiritu sancto. Si enim essentia coniungitur spirationi actiuæ, vt præsuppositum aliquid commune omnibus personis, & filiatio vt præsuppositum aliquid peculiare secundæ personæ, quæ opponitur Spiritui sancto; iam præsupponitur ipsa filiatio in priori per se & independenter ab huiusmodi coniunctione incommunicabilis esse Spiritui sancto, ac per consequens ab hoc distincta. Quid enim aliud est filiationem coniungi spirationi vt præsuppositum aliquid peculiare secundæ personæ, quàm coniungi vt aliquid alienum per se à Spiritu sancto, ac per consequens distinctum? Ergo non bona ratio affertur, cùm dicitur filiationem ideò habere oppositionem & distinctionem respectu Spiritus sancti, quia coniungitur spirationi actiuæ.

16 Non benè item respondent qui dicunt, essentiam ex coniunctione cum spiratione actiua ideò non contrahere distinctionem à Spiritu, filiationem autem contrahere; quia cùm essentia sit aliquid absolutum, coniungitur spirationi vt aliquid communicabile omnibus personis, & velut commune omnium relationum subiectum. At verò filiatio non est aliquid absolutum, sed est ens realiter relatiuum; & ideò quia coniungitur alteri pariter relatiuo, nempe spirationi actiuæ, contrahere debet oppositionem, & distinctionem respectu Spiritus sancti ex ea relatione, cui coniungitur. Sed argumentor contrà. Nam si filiatio, propterea quòd est ens relatiuum, oppositionem & distinctionem respectu Spiritus sancti contrahit ex eo quòd coniungatur alteri relationi habenti oppositionem huiusmodi & distinctionem: ergo dicendum est, spirationem actiuam, quæ ipsa est ens æquè relatiuum, oppositionem & distinctionem respectu Patris contrahere ex eo quod coniungatur alteri relationi (nempe filiationi ipsi) habenti distinctionem & oppositionem respectu Patris. Certè videtur esse paritas; spiratio enim actiua non minus relatiua

tiua est, quàm filiatio. Et vt ex essentia diuina apparet, filiationem eo præcisè quòd coniungatur spirationi actiuæ, non contrahere vllam oppositionem, & distinctionem; sic ex ipsa spiratione actiua apparet eandem filiationem non ex eo aliquam item oppositionem contrahere, quòd sit relatiua & relationi coniungatur.

17. Meliùs ergo respondebitur, filiationem & paternitatem longè alio modo, quàm essentiam diuinam, respicere ac exigere spirationem actiuam. Nam essentia diuina, cùm non sit productiua, seu generatiua Filij, non est communicatiua, sicut paternitas, spirationis actiuæ; sed petit tantùm huic identificari, vt cum ipsa sit eodem modo, quo cum aliis relationibus, cum quibus perinde coniungi potest. Nec enim ex eo quòd vni relationi coniungatur & identificetur, limitatur aut impeditur, quominus habere possit virtualem multiplicitatem (quæ illi aliunde connaturalis est) & amplitudinem sufficientem vt non opponatur cæteris. At filiatio & paternitas spirationem actiuam eo speciali modo respiciunt, qui in ipsamet intrinsecè filiatione & paternitate remotam quandam relatiuam oppositionem respectu spirationis passiuæ inducat. Is autem specialis modus est quòd paternitas ex intrinseca sua quidditate exigat non simpliciter coniungi spirationi actiuæ; sed ita vt cùm sit productiua filiationis, sit simul spirationis communicatiua vt fœcundæ, & productiuæ Spiritus sancti; filiatio autem quidditatiuè exigat illam recipere, vt sibi communicatam, atque possidere: hoc est, exigit paternitas producere non quamcumque filiationem, sed eam cum qua in ipso produci reperiatur identificata non solùm essentia diuina, sed simul spiratio actiua, vt fœcunda, & vt adhuc in actu primo. Et pariter exigit filiatio non quocumque modo produci; sed ita vt cum ipsa reperiatur simul identificata fœcunditas spirandi, vt existens in actu primo; ad hoc scilicet, vt per eam illa persona, cuius ipsa filiatio est constitutiua, operetur. Quod non conuenit essentiæ; nec enim spirationi coniungitur vt eius communicatiua, aut vt eam modo explicato recipiens. Dico autem spirationi passiuæ repugnare aliquo peculiari oppositionis genere, vt possit vel communicare, vel recipere spirationem actiuam nondum operatam, & in actu primo adhuc existentem; quemadmodum per se patebit meditanti. Sic enim spiratio passiua existeret ante sui productionem, & Spiritus sanctus sui ipsius principium esset.

CAPVT V.

Nouum pro sententia Henrici & Scoti proponitur ac soluitur argumentum.

1. Contra superioris capitis doctrinam noua quædam, & à nullo (quod viderim) proposita occurrere potest, quàm hîc exponamus & soluamus, obiectio; quæ primo saltem aspectu videtur aliquid difficultatis habere. Qui enim cum Henrico & Scoto negant, distinctionem personarum diuinarum in oppositione relationis fundari, possent formare pro sua sententia hoc insuper argumentum contra nos, velut ad hominem: nam

Principes, qui suam vulgare præsentiam recusabant, & suum, nisi facie velo operta, congressum nemini permittebant.

2. Quàm igitur potiori nunc iure nos contremiscere oportet castâ timidos verecundiâ; cùm, velut supra tertium cælum ascendentes, hac mystica contemplatione ad considerandam accedimus eam diuinitatis personam, quæ personarum prima est, & fons origoque reliquarum; & quæ per diuersos proprietatis gradus (quos infirmæ nostræ cogitationis ordo seriesque distinguit) velut anterior atque suprema est, in summo, vt ita loquar, apice Trinitatis: vtpote primum ac summum rerum omnium, quà creaturum, quà increatarum principium. Sanè quidquid in Deo est, quando illud animo versamus, talem reuerentiæ affectum incutit, qui timoris nomen, authore Diuo Thoma, mereatur, & sit per modum fugæ; ob quem timorem creatura in conspectu diuinæ eminentiæ non audeat ad hanc accedere, & formidet eius inuestigare rationes. Ex hoc affectu cantant Beati Apoc. cap. 16. *Magna, & mirabilia sunt opera tua, Domine. Quis non timebit te, Domine, & magnificabit nomem tuum?* Similem tremoris in Angelis affectum significat illud Ecclesiæ in Missarum præfatione carmen, *Maiestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates.* Eundem affectum vocat Dionysius cap. 13. de cœlesti Hier. *Sacram ac plenam horroris venerationem, quâ sancti celsam mysteriorum indaginem perhorrescunt.*

Perfectiones in Patre relatiuæ.

3. Non possum itaque, quin animo commouear, atque contremiscam, dum religiosa contemplatione ad illud æternitatis instans ascendo, quod diuinam personarum processionem antecedit; & dum aspectum ad id culmen conuerto, quod altiùs assurgens, nostris eminùs occulis primum intra Trinitatem occurrit. In quo culmine illud cœlum cœli Augustinus agnoscit, ex cuius summo in secundam, tertiamque personam deflua Patris æterni diuinitas, indiuiduaque substantia deriuatur. Hîc se offert primæ Personæ consideranda Maiestas, qualis priùs extiterit, quàm fuisse Filij generatio, sanctique productio Spiritus concipiatur. Sunt verò nobis (provt in illa tunc erant) duûm generum dispicienda perfectiones. Prius genus est illarum perfectionum, quæ sic propriè ad ipsam pertinebant, vt cum duabus aliis personis communicari nullatenùs possent. Talis occurrit statim paternitas in actu primo, seu fœcunditas, generandique potentia. Quæ deinde, cùm generationi reipsa, actuique secundo coniuncta fuit, integræ officium munusque personalitatis in sustentanda, terminandaque diuinitate præstitit, sicque Patrem in ratione suppositi à Filio, & Spiritu sancto distincti constituit. Nisi verò esset, per superadditam diuinitati perfectionem relatiuam, suppositi distincta realitas, Deus non aliter subsisteret, quàm (vt fit in creaturis) per suæ simpliciter totalitatem naturæ. Atque ita vnius dumtaxat personæ Deum qualem Iudæi confingunt, haberemus. Sicut paterna fœcunditas est propria huius primæ personæ, sic & notionalis intelligentia, provt in ea scilicet fundatur ipsa generandi fœcunditas. Nec enim Filio intelligentia communicatur,

oportet vt faciat dilectionem, seu amorem sui, & spirandi facultatem illam, quam videt habere in tali dilectione, ac amore suam originem.

Perfectiones in Patre absolutæ, cæterisque communicatæ personis.

6. Iam ad ea veniamus attributa, quæ non relatiuè ad aliquid aliud, sed tantummodò absolutè ad se dicuntur, aque sunt omnibus communia Personis. Inter omnia reperiuntur duo mixtæ considerationis; sapientia nimirum & bonitas; quæ cùm alioquin absoluta & essentialia sint; habent tamen aliquid notionale, quatenus fundamentum sunt geminæ in Patre fœcunditatis. Quare de illis agendum seorsim erit commodiore loco: de Sapientia quidem huius ipsius libri capite sequenti; de Bonitate autem, proximi libri capite vltimo. In præsenti capite ex iis attributis quæ purè absoluta & essentialia sunt, duo tantùm, ne longiùs oratio cum lectoris fastidio prouehatur, seligam, Æternitatem & Immensitatem. In Deo igitur Patre, si eius essentia consideretur, provt Filij, Spiritusque productionem origine antecedit, non possumus, quin primò se offerentem contemplemur æternitatem. Quamuis enim & Filius, & Spiritus non minùs quàm ipse Pater, æterni sint, cùm eandem numero, quam ille, æternitatem essentiæ sic possideant, vt nullo naturæ, nedum temporis, instanti dici possint fuisse in existendi potentia; nec Pater propriè habeat eorum respectu *prioritatem in quo*, sed solam *prioritatem à quo*: nihilominus abstrahere ac præscindere per mentem possumus à personarum actuali processione, non considerando scilicet ipsum Patrem in actu secundo, sed tantùm vt habentem intellectus & voluntatis fœcunditatem. Nihilominùs quoniam si is, cùm de æternitate agimus, purè in actu primo & absque productis personis aliis consideretur, nulla fieri potest mentio nec scientiæ visionis, nec decretorum liberorum, cùm nihil tale concipi possit fuisse in illo, supremoque æternitatis culmine; quandoquidem nec ex cognitione contingenti Filius, nec ex decreto vllo libero Spiritus sanctus procedit: ideo quantum attinet ad hoc æternitatis attributum, hîc ego Patrem considerabo (vt vberior de eius æternitate dicendi materia habeatur) adiunctis aliis personis æquè æternis; cùm nempe tota Trinitas communi consilio de rebus omnibus contingenter futuris disposuit, & cognouit.

Patris æternitas in Trinitate.

7. Contemplor te lumine fidei, Pater Æterne, in throno diuinitatis excelso, & in sublimi eleuatum consubstantiales inter personas fastigio. Pronus te, venerabundusque suspicio in regali solio æternitatis immotæ subiecta fluentiaque sæcula disponentem simul cum Filio, Spirituque tuo, quos in solidum Maiestatis tuæ consortium, non quasi collato beneficio, gratuitâque liberalitate, sed felicissima necessitate admittis: ita vt nec minori necessitate, nec minori, quàm tu iure diuinitatem tuam possideant. Et quamquam si personalitatis (quam illi suam non nisi à te productam possident, cùm tuam ipse improductam possideas) ratio habeatur; atque si natura, vt tibi à

nullo, & vt illis à te communicata est, attendatur, possis appellari specialiter Αὐτόθεος, seu per temetipsum Deus, tamen si diuinæ, quam à te illi possident, naturæ conditio spectetur, nihil vetat, quin & illi eodem quo tu iure debeant dici pariter Αὐτόθεος; quandoquidem illa, quam à te acceperunt, natura non aliunde quàm à se sola existit, vtpote ipsissima, quam tu habes, & sicut Græci Theologi loquuntur θεία σου αὐτόχρημα φύσις; quo modo Filium tuum Cyrillus vocat αὐτόχρημα τ᾽ ἀγαθόν σου.

8. In æternitatis diuinæ penetrali est velut domus iudicij, trium scilicet consessus; qualis domus apud Iudæos Doctores (vt constat ex Midra Cohelet *in caput 2. Ezechielis,*) dicebatur esse, quoties tres ad iudicandum conueniebant. In ea æternitatis tuæ domo, Summe Pater, communi Trinitatis consilio de omnibus, quæ aliquando futura sint, iudicas, atque deliberas: omnia, quæ contingenter euenient, statuis, ac decernis. Iam inde à primo æternitatis instanti, mundus creari, necne, deberet, deliberatum erat. Bona, quæ vnquam contingent, procurare iam tunc decreueras: quæ euentura mala, quæ consciscenda peccata permittere statueras; eaque tanquam à te permittenda, ab impiis autem committenda præuideras. Iam tunc & nos (præuisa futurorum conditione meritorum) numerati appensique eramus, & vt magis, vel minùs habentes inuenti, ad iustam compensationem in alterutram partem destinabamur, atque decretorio iudicio de nostra singulorum extrema sorte actum erat. Et licèt antecedenter talis impediri à nobis potuisset euentus; tamen ex suppositione iactæ iam aleæ, non potest euentus, qualiscunque futurus est, impediri; nec præceps, vt ita dixerim, rerum ac temporum sufflaminari procursus.

9. Nihil ita seu præteritum nobis est, seu futurum, quod non in æternitatis immobiliter consistente *nunc* extiterit præsens. Væ hodierno illi iusto, qui per omnem æternitatem à Deo cernitur in sua ad extremum morte mutatus. Ex aduerso dicite peccatori, *quoniam benè*, si eius ad extremum pœnitentia, futuraque sanctitas diuinis præsens oculis exhibetur. Quis hæc legat atque perpendat, licèt Princeps, siue Imperator, & non toto corpore, animoque contremiscat? Nullus humana felicitate Imperator Augustum, nec tot similes alios vniuersi mundi arbitros Dominosque superauit; & nihilominùs, dum illos cuncti homines suspicerent tanquam in fastigio beatitudinis constitutos, Deus ipsos omni dedecore infames intuetur suppliciis iam addictos, ac mancipatos æternis. Quâ iam aliquis præsagitione nobis enunciare possit, quales in omnem æternitatem Deus nunc destinet futuros, tot Gentium Dominos, tot in Asia, tot in Europa, cæterisque mundi regionibus Dynastas, qui de præsentis, quo gaudent, Imperij æternitate solliciti, de sua nihil cogitant; securi, quo tandem illa futura sit loco, cùm interim ad sempiternum supplicium cum magna Maiestatis specie, & populorum veneratione per celeberrima vanitatis impietatisque, vt ita dicam, compita, ignotaque diuerticula deducuntur. Quemadmodum illi olim Principes, qui quatuor Monarchiis toto terrarum & sæculorum orbe celeberrimis, velut quatuor triumphalis currûs rotis, per diuersorum spatia temporum

temporum ad inferos raptati sunt.

10. Habet & quilibet iustus, quantavis sanctitate præsenti conspicuus, cur illius iudicia Dei pertimescat, qui in omni æternitate, quem vidit pœnitentem in cruce sicarium, ei prætulit Apostolo, qui post relictam in virtute constantiam suus ipse carnifex se suspendit. O altitudo sapientiæ, atque iudiciorum tuorum, summe Pater, in mysterio æternitatis tuæ! Vtinam meditatione salubri liceret omnibus velut in specula attendere primi eius instantis arcana, in quo nostrorum decretorio negotiorum intueri daretur quod nos periculum in posteriorem æternitatem maneat. Intelligerent profectò, quà Politici, quà Ecclesiastici Principes, quàm vana sint mundana opera, quàm risu dignæ maiorum nugæ, quæ negotiorum nomine honestantur. Intelligerent & qui in suæ sanctitatis opinione confidunt, quàm parùm homines possit præsentis solius pietas temporis fulcire, nisi tandem felix coronam finis imponat.

Eiusdem Patris immensitas.

11. Quemadmodum contemplati iam sumus in Deo Patre æternitatem, quæ licèt indiuisibilis, omnem tamen sæculorum extensionem in se velut complicatam, inuolutamque colligit, & interminatæ vitæ totam simul possessionem includit: sic & in illo primo æternitatis signo contemplari possumus Patris eiusdem immensitatem omni spatiorum, quæ fingi animo potest, infinitate maiorem. Ad cuius expositionem immensitatis sunt qui spatia dari actu imaginaria censeant; quorum spatiorum partem aliquam mundus occupet: quæ autem de reliquo partes vltra cœlos quoquoversum absque vlla extremitate excurrunt, non ita vacuæ sint, quin Deus in omnem earum vastitatem extendatur. Quæ quidem puræ imaginationis videtur esse Philosophia. Quid enim, si Deum velis vltra mundum infinitè diffundi, necesse est vt spatia quæ illi substernantur, imaginemur præsupponi? Sanè res omnes vbivis existant sua sibi sunt spatia. *Et Deus ipse* (vt ait Tertullianus contra Praxeam cap.5.) *solus sibi locus est.* Quòd si creaturis collocandis quodam sit opus communi receptaculo, num Deus, si tanquam infinitum lumen quoquoversùm extendatur, poterit videri sufficere, vt rebus ipse supponatur omnibus tanquam fundus, in quo illæ, nullo alio infimo egentes solo, recipiantur? Quò referri potest illud Dionysij cap.5. de diuin.nom. *Deum esse domicilium omnia continens, sedem & fundum omnium.* Alioquin eadem ratione consequens foret, dies & annos, vt habere possent suum *quando*, indigere imaginario temporis spatio, quod sub illis fluens, eos excipiat, [illegible]que; quod imaginarium tempus ab omni æternitate successiuo lapsu partes priores, posterioresque habuerit. Quales tamen ab omni æternitate partes vulgò in ipso etiam reali tempore non conceduntur esse possibiles, & videntur multò minùs in imaginario debere concedi.

12. Cùm intra rerum naturam immensitate tua, Æterne Pater, cœlum & terram impleas, tamque præsens sis vnicuique nostrûm, vt in te viuamus & moueamur & simus; ex istius tuæ immensitatis consideratione possumus fructum capere duplicem. Nam per illam spirituali subti-

litate penetras cordis nostri, vt rerum omnium cæterarum, intima; & simul magnitudine tua, seu formaliter, seu eminenter extensâ, nullis creaturarum inclusus angustiis, extrà diffunderis infinitè, quomodo mersam spongiam Oceanus humore & incluso complet intus, & foris offuso circumstat. Itaque ex priori consideratione percipimus fructum summi cuiusdam gaudij & oblectamenti. Quanta enim necesse est nos voluptate perfundi, eius conscios felicitatis, quâ per immensitatem cordibus vbique nostris infusam fruimur, dum angusto mentis humanæ, quantuscumque es, recipi dignaris hospitio; ita vt illius angustiis nec tua te includat subtilitas, nec excludat magnitudo. Animas porrò, quas & intus imples, & foris circumdas (si pias, & ad te, vt par est, recipiendum dispositas nanciscaris) tuâ præsentiâ consecras, & infinitate per eam latitudinem cordis amplificas, quæ sit, non qualis in Salomone, vt immensi arena maris; sed quæ nec cœlorum regionibus terminetur. Excita te, ac erige, anima mea. Quantum mecta sis hospitem attende. Illius vbi semel amplitudinem immensitatemque perspectam habueris, tunc videbis & afflues, & mirabitur ac dilatabitur cor tuum. Mysterium siquidem Trinitatis generatione Filij, processioneque sancti Spiritus perfici intra penetrale cordis cognosces, mediamque te quodammodo in amplexu Patris, Filiique reperies; atque in consortium tantæ, quæ inter diuinas personas est, charitatis admitti senties. Quas enim mentes Deus Pater ad eam gratiam nouit idoneas, in consortium illius admittit charitatis, quâ vnigenitum Filium sibi coniungit, ipso id Filio talibus exposcente verbis: *vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Ego in eis, & tu in me, vt sint consummati in vnum.* Ioan. 17. Quam dilectionis exsuperantiam admiratur Bernardus *tract. de natura Amoris diuini*, vbi sic ait: *Tanta fit in nobis coniunctio, vt vnitas ab ipso Filio vocetur dicente, Vt sint ipsi vnum in nobis: tanta dignitatis, tanta gloriæ, vt subsequatur, & dicat, sicut ego, & tu vnum sumus. O gaudium! ô gloriam! ô diuitias! ô superbiam! Habet enim & sapientia sui generis superbiam, quæ dicit, Mecum sunt diuitiæ, & gloria, & opes superbæ.* Hactenus sanctus ille Pater.

13. Quantum nos concipere par est ex diuina immensitate corda nostra incolente gaudium, tantò videtur deplorandum esse dolentiùs, quòd diuinitatis, immensitatisque opes in mortalium cordibus repositæ perinde se habeant vtplurimùm, ac thesaurus inutiliter absconditus. Quod si eum dementem iudicaremus, qui defossum domi suæ thesaurum haberet, eumque vel negligeret, vel etiam ignorare vellet atque obtueret; cùm interim ipse vitam egestate oppressus degeret, stipemque summo labore hinc & inde rogitare cogeretur: quid de illis pronunciandum erit, qui diuinitatis opes, & bonorum immensitatem intra se conditam aspernentur, ac pro nihilo habeant; & extra Deum fontem bonorum vnicum à mendicissimis creaturis auxilium expetant, suamque foris miseri famem quærant; cùm domi & intra seipsos cælestium diuitiarum copiam, & rerum omnium affluentiam inuenire possint? Sed quid si attendamus amicissimos cum diuinitate congressus, & familiares quos cum ea potest homo conferre sermones priuatim in cordis sui sacrario

æternam

æternam auditurus ſapientiam? Ideò ſcilicet in hominum mentibus domicilium Deus, in quo habitator eſſet, illuſtriori quàm in rebus aliis ratione habere voluit; atque ſibi in illis thalamum, & conclaue ſecretius conſtruxit. Amat enim intra creaturarum, quæ ſapientiâ prædítæ ſint, intelligentias, velut intra ſacras ædes ſeu templa cæleſtia contineri.

14. Quemadmodum immenſitatem, quam Pater Filio Spirituique ſancto communicat, vidimus inferre noſtris intimè cordibus ob ſpiritualem ſuam ſubtilitatem inexplicabile gaudium; ſic & ob interminatam magnitudinem, quâ nos longè latéque circumcludit extrinſecùs, certum eſt efficere nobis maximam ab omni hoſtili incurſu ſecuritatem. Si enim arces firmiſſimis ſeptas, armataſque muris videmus parum timere quarumcumque machinarum, tormentorumque exploſiones; & nonnumquàm exercitus ab humano præſidio inopes, ſed angelicis munitos fiſoſque præſidiis, intra ſua caſtra tutiſſimò degiſſe legimus: quidnam, quæcumque conſiſtant aduersùm me caſtra, timebit cor meum? Quodnam formidabile, ſi conſiſtat aduersùm me, prælium timore perterritus contremiſcam? Cùm Ezechiam, ciuitatemque Ieruſalem ſpeciali Deus, Angelicóque præſidio protegeret, nunciari fecit Aſſyriorum Regi per Iſaiam cap. 37. *Deſpexit te, & ſubſannauit te virgo filia Sion: poſt te caput mouit filia Ieruſalem.* Et ei, quem deſpicabilem vel ipſis puellis reddidit, *poſuit circulum in naribus, frænum in labiis,* velut immani belluæ, ipſumque recedere accepta clade coëgit inglorium. Deum item Dauid teſtatur Pſalm. 33. *Si immittat Angelum in circuitu ſe timentium, erepturum eos.*

15. Quid ergo Chriſtianus ille timeat, qui diuinam immenſitatem nouerit in circuitu ſuo mirabiliter diffuſam; ita vt nullus ipſum inuadere poſſit, quin immenſitati tranſverſus incurrat, eamque, ſi fieri poſſit, tranſmittat atque traiiciat? Si verum eſt, quod nonnulli Virgilio facinus imputant, hortum aliquem aëre concreto atque denſato cinctum obuallatumque arte magica ſic fuiſſe, vt ſi quis in illum introire tentaret, repelli ſe vi quadam non aſpectabili, & velut muro obtutum oculorum fugiente impediri ſentiret, ne in illud ſeptum penetrare poſſet; quis dum ſe immenſitate Dei ſtipari circumcludique cogitabit, periculum timeat, ne ſuus vllus hoſtis ad ſe vſque lædendum, deturbata velut traiectáve immenſitate perueniat. Et certè illi qui ſe Deo ſtipari obuallarique credet, maximam neceſſe eſt certa cum ſpe oriri fiduciam. Qualem ſanctos aliquos viros, cùm in poteſtatem ipſorum etiam prædonum, graſſatorumque incidiſſent, habuiſſe legimus. Quàm porrò perfectam conueniat eſſe hanc fiduciæ virtutem in eo, qui chriſtianam rerum ſuarum fidem habeat Deo, ſatis nos ipſe Deus per Dauidem admonet, dum non tantùm in ſe ſperandum, ſed ſuperſperandum eſſe ſignificat; quod videre ſæpè eſt vel in ſolo Pſalmo 118. vt cùm inter alia ſic Deum alloquitur: *Defecit in ſalutare tuum anima mea, quia in verba tua ſuperſperaui:* יִחַלְתִּי, in coniugatione Pichel, quæ vim ſignificationis auget.

16. Infinitæ prætereà reperiuntur in Patre Æterno perfectiones, quas non aliunde, quàm à ſeipſo poſſidere

sidere intelligatur in priori rationis quàm Filium, Spiritumque sanctum producat. Et quidem consentaneum videtur, sapientiam, bonitatemque nominatim haud omitti, cùm eæ formalissimè in Patre quà talì locum habeant, & fœcunditatis, quâ generare, spirareque potest, fundamentum sint. Itaque licèt ex iis, quæ de paternitate, spirationeque actiua, & principio formali processionum diuinarum suis locis disputata sunt, intelligi quantùm satis est potuit, quales cùm intelligentiæ, tùm voluntatis perfectiones in prima persona, priusquam generaret spiraretve, reperiri oportuerit: piam nihilominùs hîc addere iuuerit de Patris notionali sapientia considerationem. Bonitatis autem sanctitatisque spiratiuæ contemplationem ad libri sequentis calcem, ne hîc simul morales huiusmodi sermones coaceruentur, transferemus.

CAPVT VIII.

De Patris Æterni sapientia, quæ generatiuæ fundamentum est fœcunditatis. Moralis & mystica consideratio.

1. SI mortalium pronæ in terras animæ, inanesque cœlestium suos, vt par est, vultus, quos ideò natura excelsos & sublimes esse voluit, sursum attollerent, haud dubiè suam in Deo, ex quo velut excerptæ sunt, originem agnoscerent; & eò vsque sapere tandem possent, vt summam, tum Patris, quâ conditæ; tum Filij, quâ redemptæ fuerunt; tum etiam Spiritus sancti, quâ gubernantur sapientiam intelligerent. Sanè cùm Christus eam testetur esse vitam æternam, vt homines Patrem, & quem Pater Filium in terras misit, agnoscant, consequens est, summam felicitatem eo contineri, vt increatam veneremur in Trinitate sapientiam, quæ eadem & in Patre generans, & in Filio genita est; atque vt Spiritui, qui vtriusque illius nexus est, consimilem gloriam nullo cultus discrimine tribuamus.

Falsam homines, post amissam veram in Adamo, sapientiam coluerunt.

2. Sed postquam Adamus, quem insigni sapientiæ dote supparem Angelis Deus fecerat, sic à mente desertus est, vt ex ipso, quem nactus erat, sapientiæ decore occasionem accepcrit insipientiæ, desiderio sapiendi plusquam oportet sapere, illius cupidus fuit, appetensque scientiæ, quæ serpentis, à quo ipsi instructæ fuerant insidiæ, tabo esset venenoque conspersa. Quia verò perfecta, quæ in Deo residet intelligentia, & ea pariter Sanctorum scientia, quæ Deiquædam est emanatio, intelligi meliùs poterit ex illius cum vana noxiaque mortalium doctrinâ comparatione, operæpretium est, vt breuiter ad qualia studia sub specioso nomine sapientiæ humana siue curiositas, siue impietas incumbat, videamus. Mortales sanè vniuersos post primi lapsum parentis non tantùm insipientiæ caligo densissima circumsepsit; sed etiam, quò nocentiùs desiperent, illos vafra in peccando solertia infecit, & impietatis artificio erudita calliditas. Neque hoc pestilentis sapientiæ virus, quod os serpentis ex inferis emersi velut saliuario quodam lentore

vomuit,

si vera esset illorum sententia, dicendum foret spiritum non distingui realiter posse à Filio: nam ex contrario, supposito Græcorum errore dicendum foret consequenter non solùm spirationem passiuam à Filio, sed & spirationem actiuam à filiatione distingui absque vlla inter illas oppositione relatiua. Quare ad expugnandam Græcorum hæresin, videtur omnino esse mutandam palæstram, nempe vt vniuersa argumentandi ratione asseramus, si eorum vera foret sententia, posse in Deo perfectiones non sibi oppositas,& relationis inter se mutuò expertes distinctionem habere inter se realem. Quod illi amplectuntur vt verum, sancti Patres Conciliaque reiiciunt vt falsum. Vnde vides, totum pondus susceptæ contra Græcos disputationis in illius firmitatem veritatis incumbere, quòd absoluta inter prædicata nequit in diuinis vlla realis esse distinctio. Quam veritatem dum negat Scotus, arma Catholicis contra Græcorum hæresin ratione pugnantibus eripit,neque satis prudenter, neque satis theologicè; schismaticis, hæreticisque eatenus consentiens, & à Sanctis Patribus, Conciliisque dissentiens.

5. Augustinus enim *lib. 11. de Trinit. cap.* 10. de simplicitate Dei loquens ait, Deum propterea simplicem dici, *Quia quod habet, hoc est; excepto quod relatiuè quæque persona ad alteram dicitur: nam Pater habet Filium, nec tamen ipse est Filius: & Filius habet Patrem, nec tamen ipse est Pater. In quo ergo ad seipsum absolutè ac sine relatione dicitur, hoc est quod habet; sicut ad seipsum dicitur viuens, habendo vtique vitam, & eadem vita ipse est Deus.* In Concilio Toletano XVI. sic habetur: *Idcircò sunt quadam, quæ in hac sancta Trinitate indiscretè oporteat confiteri. In hoc enim quod ad se est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, indiscretè vnus credendus est. Quod verò ad relatiuum attinet, discretè personarum trium est prædicanda proprietas.* Hanc doctrinam, quòd omnia sint idem, vbi non obuiat relationis oppositio, ait Fulgentius in responsione ad Ferrandum Diaconum, pertinere ad fidem Catholicam: *Claret*, inquit, *ex Augustino esse catholicæ veritatis, vt ea quæ ad se propriè dicuntur, nouerimus certissimè non diuersa; sed vnum illud esse, quod est essentia.*

6. Ratio autem huius certissimæ doctrinæ est, quoniam constat, vbicumque distinctio realis intercedit, eam fundari non posse, nisi vel in extremorum limitatione, finitaque perfectione, quæ se ad omnia per identificationem extendere nequeat; vel in eorumdem reali oppositione, quæ intra Trinitatem, nisi per relationem in physica productione fundatam esse non potest. Quod fusiùs hîc probare non attinet, doceturque in tractatu de Deo vno. Atque ita cùm in Deo latitudinem omnem entis continente, & velut absorbente limitatio perfectionis non possit habere locum; sequitur, distinctionis realis fundamentum non posse intra Deum, seu inter duo extrema increata consistere, vbi non reperitur oppositio relationis, & productio physica. Quandoquidem Deus nequit aptiùs definiri, quàm vt dicatur, *ille qui est absolutè* (nimirum qui per summam sublimitatem est vel formaliter, vel eminenter omne esse possibile:) proptereà vocatur à Dionysio, non dumtaxat ὄντα, sed ὑπερόντα; Quia cùm sit purissima ratio vniuersi entis,nihil

habere potest sibi superadditum, nihil quod non ὑπερηνωμένως, & supervnicè sit ipsum suum primarium ac simplicissimum esse; cùm item nullam (vt Proclus in commentariis ad Timæum Platonis loquitur) ἐπίκτητον, hoc est acquisitam, superuenientemque bonitatem possidere possit, aptissimè à Dionysio, & ipso etiam Proclo appellatur αὐτοαγαθὸν, siue purissimum ac simplicissimum bonum. Quare apparet quàm imperitè Græculi velint de facto Spiritum sanctum à Filio, absque vlla interueniente oppositione, quemadmodum & spirationem actiuam à filiatione distingui realiter. Prætereà sunt nonnulli eiusdem nationis & leuitatis; qui errore non absimili perfectam realem distinctionem agnoscant inter essentiam, & attributa diuina, abutentes Patrum veterum authoritate: & id quod ipsi sancti Patres, ac post hos Theologi de differentia per solam rationem nostram dicunt, ad realem transferant differentiam; istud tanquam certum axioma assumentes: *Id quod habet, distingui debet ab eo quod habetur.* Atque ita Deum qui sua habet attributa, idem cum his esse non posse concludunt. In cuius erroris confirmationem non verentur authoritatem inscitè afferre Dionysij, disputantis *cap. 2. de diuin. nomin.* de illa quæ in Deo est, seu vnione, seu distinctione. Qui tamen eò loci tantùm abest, vt illis patrocinetur; vt ex contrario iis disertè repugnet, docens illud omne ἡνωμένον, indistinctumque esse in Deo, quod ad se absolutè, non autem ad aliud relatiuè se habet. Quare nihil esse διακεκριμένον, seu distinctum, nisi esse Patrem, esse Filium. Aitque *cap. 5.* id quod vocamus αὐτοεῖναι, αὐτοζωὴν, καὶ αὐτοθεότητα, esse superprincipale & supersubstantiale vnum.

CAPVT VI.

De persona Spiritus sancti.

Satis intelligitur ex dictis alibi, quomodo tertia Trinitatis persona constituatur spiratione passiua, tanquam proprietate personali; & quomodo à Patre Filioque, tanquam ab vno simplici principio, per viam voluntatis procedat, vt amor notionalis, non vt Filius, non vt propriè imago, &c. Neque de iis plura hoc dicenda loco supersunt. Tantùm explicanda se offerunt tria præcipua huius personæ nomina, de quibus Diuus Thomas egit *quæst. 36. 37. & 38.* Strictim à nobis sub finem de quibusdam aliis nominibus, quæ vt minùs propriè, sic & minùs sæpè Spiritui sancto tribui solent, indicandum aliquid erit.

1. Primum nomen est Spiritus sanctus; quod quidem, vt ait Diuus idem Thomas *q. 36. art. 1.* de se commune est tribus personis, quarum quælibet ob immaterialitatem est Spiritus, & ob summam bonitatem Sanctissimus. Tamen per appropriationem tribuitur specialiter personæ tertiæ. *Nomen hoc, Spiritus, solitariè sumptum Deo tribuitur; Deo item tribuitur solitariè sumptum nomen hoc, Sanctus* (inquit Anastasius Patriarcha Antiochenus in libro dogmatico:) *at iunctis ambobus his nominibus, tertia personæ conuenit, vt singulariter dicatur Spiritus sanctus.* πνεῦμα λέγεται ὁ θεός. καὶ ἅγιος ὁ θεός· συντιθέμενα δὲ ἄμφω τὰ ὀνόματα τῷ ἰδίως καλουμένῳ πνεύματι

πνεῦμα ἅγιον ἁρμόζει. Cum quo id cohæret, quod ait Augustinus lib. 10. de Trinitate, c. 10. *Spiritus Patris & Filij Spiritus, sanctus propria quadam notione huius nominis in sacris libris nuncupatur.* Atque ita (vt ait idem lib. 15. c. 19.) *Qui communis est ambobus, id vocatur ipse propriè, quod ambo communiter. Spiritus sanctus ineffabilis quædam est Patris, Filiique communio: & ideò fortè appellatur, quia Patri & Filio potest eadem appellatio conuenire, vt ex nomine, quod vtrique conuenit, vtriusque communio significetur.* Vnde apparet quod aduertit D. Thomas, cùm hoc nomen sumi possit complexè in vi duarum vocum, & eatenùs sit velut appellatiuum, & multis commune; sumptum est noua institutione incomplexè, atque in vi vnius vocis ad significandam propriè hanc personam: quoniam illud non tantùm Doctores Ecclesiastici, sed etiam authores Canonici, atque ipse etiam Christus vsurpauit, cùm iussit Matthæi vltimo, Baptismum conferri, *in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.* Reperitur & in veteri Testamento sub eadem notione Hebraicum nomen רוח, cui respondet Latinum *Spiritus.* Qua item notione ait Basilius in libro de Spiritu sancto, *ipsum esse Spiritum oris diuini*, πνεῦμα στόματος αὐτοῦ. Eundem in sensum id accipit quod habetur Psalmo 32. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Spiritum enim oris Dei, interpretatur Spiritum, qui ex Deo per Filium tanquam per os suum loquente oritur & velut quidam funditur flatus, sine quo locutio talis esse non potest: τὸ πνεῦμα ὃ ἐκ πατρὸς ἐκπορεύεται· τοῦτ' ἐστιν, ὃ ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ. Disertè Anastasius Antiochenus: πνεῦμα στόματος τοῦ Θεοῦ: στόμα γὰρ πατρὸς ὁ υἱός.

2. Ratio impositionis huius nominis afferri potest, quia in rebus corporeis Spiritus tum immaterialitatem, tum subtilitatem, tum impulsionem, & notionem videtur significare: nam ventum, & flatum ideò nominamus spiritum. Est autem proprium amoris, vt in rem amatam feratur cum aliquo per subtilissimam in amatum obiectum penetrationem impulsu. Vnde & impetum amoris, vehementiamque dicimus. Addi & hæc debet istiusmodi impositionis ratio, quod vt locutio fieri non potest, nisi cum aliqua flatus ex ore effusione; sic nec actiua Patris per ipsius os (qui Filius eius est) locutio fieri possit absque sancti huius Spiritus, halitusque diuini emissione. Quam Spiritus notionem indicat Basilius, dum hunc versiculum Psalmi 32. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum*, sic interpretatur: τὸ πνεῦμα ὃ ἐκ πατρὸς ἐκπορεύεται· τοῦτ' ἐστιν, ὃ ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ. Disertè Anastasius Antiochenus: πνεῦμα στόματος Θεοῦ· στόμα γὰρ πατρὸς ὁ υἱός. Ex se quasi ex ore Patris diuinum hunc halitum, Spiritumque prodire significauit Christus (vt Author est August. *lib. 3. conf.*) quando in discipulos insufflauit.

3. Quòd autem eidem, qui Spiritus dicitur, sanctitas adscribatur, & cum addito vocetur *Sanctus*, ratio petitur ex eo, quòd sanctitatem rebus illis tribuamus, quæ ad Deum ordinantur. Quare meritò illa persona, quæ à Deo procedens per modum vehementissimi amoris, reflexè in ipsum Deum, velut in præcipuum obiectum ordinatur, nominata est Spiritus modo quodam speciali sanctus

ctus. Ita nempe, vt sanctitatem naturalem, & ἁγιασμὸν ab eo, qui eiusdem sit penitus cum ipso substantiæ, accipiat. Præclarè Cyrillus in dialogo septimo de Trinitate: *Sanctus est*, inquit, *Spiritus non participatione, neque externa ad Deum habitudine, sed natura, & veritate*: οὐ μεθεκτῶς, οὐδὲ τῇ ἔξωθεν σχέσει ἀλλὰ φύσει καὶ ἀληθείᾳ. Cùm Spiritus sanctus procedat à Spiratore Deo per viam sanctitatis, quæ in voluntate diuina residet, ac per consequens diuinitatem accipiat sub ratione formali voluntatis atque sanctitatis; clarum est eum per illam sanctitatem sanctum esse, quam essentialem, omnibusque personis communem, vt primariò sibi communicatam recipit. Ex quo fit, vt ipsi, tanquam primario fonti, & authori, omnis sanctitatis gratia & iustitia, quam creaturæ participant, inscribatur, vt Actorum cap. 10. *In nationes gratia Spiritus sancti effusa est*. Alibique in Scriptura sæpè. Vnde Græci Theologi velut ὑποςατικὸν χαρακτῆρα tribuunt ei ἁγιαστικὴν δύναμιν.

4. Postquam explicatū est, quæ vis subiecta sit sub vocabulo Spiritus sancti, vidēdum se offert, quid sonet amoris nomen; quod notionaliter, ac personaliter sumptum, huic tertiæ personæ tribuitur. Et quidem cùm amor significet non solùm actionem amandi, hoc est amationem, seu dilectionem; sed etiam terminum, qui per illam (eo modo quo Verbum per intellectionem) producitur; hinc fit, vt quemadmodum secunda persona dicitur Verbum, quia procedit per intellectum; sic & tertia, quia procedit per voluntatem, & recipit essentiam diuinam primò ac per se sub ratione amoris, huicque primò ac per se identificatur, amor appelletur inter Theologos ex vsu Sanctorum Patrum, non tantùm per appropriationem nominis essentialis, sed etiam per peculiarem, & nouam illius vocis significationem; ita vt hæc vox amor ad personam ipsam productam Spiritus sancti, & ad essentialem dilectionis actum quo Deus constituitur formaliter amans, sit æquiuoca, ex diuo Thoma *quæst. 37. art. 1.* & diuersimodè tam personaliter, quàm essentialiter vsurpetur. In quo discrimen est aliquod inter verbum, & amorem. Nam verbum, cùm censeatur significare in creaturis formaliter relationem producti, non facilè dicitur de actu essentiali, quo Deus constituitur formaliter intelligens; sed magis propriè enunciatur de illius termino physicè producto. At amor, cùm in creaturis non significet formaliter relationem producti, sed dumtaxat actum productum, non secùs ac sapientia, &c. hinc fit vt æquiuocè sumi possit, & essentialiter pro actu, qui Deum constituens formaliter amantem, communicatur ipsi Spiritui sancto; & personaliter pro ipso Spiritu sancto.

5. Notandum etiam est, amorem in diuinis posse notionaliter sumi prout communicari non potest Spiritui sancto, sed prout ab hoc distinguitur, quatenus nempe denotat actum voluntatis, non simpliciter (quo modo essentialis est & communis tribus personis) sed vt fœcundum, aut actu spirantem; quo modo dici solet Spiritum produci per amorem: & sic reperitur in solo Patre, & Filio, quatenus Spiratore; significarique solet nomine spirationis actiuæ, & non est aliud quàm potentia productiua Spiritus sancti, siue in actu primo,

primo, siue in actu secundo. Quare cùm tres voces in intellectu fœcundo vsurpentur, intellectio, dictio, verbum; quarum prima significat actum essentialem intelligendi, secunda originem, seu actum intelligendi notionalem, sub quo & potentia generatiua comprehenditur; tertia denique terminum productum per intellectum; hæc vna vox *amor*, in voluntate fœcunda cum proportione respondet ob sermonis penuriam illis tribus (quemadmodum admonet sanctus Thomas iam citatus;) ita vt declaret cùm actum amandi essentialem, tùm originem, seu actum amandi notionalem, tùm denique terminum productum, nempe Spiritum sanctum. Alibi diximus quorum obiectorum sit is amor.

6. Petes, quomodo vera esse possit hæc propositio quam non pauci Theologi in aliquo sensu admittunt; *Pater & Filius diligunt se Spiritu sancto.* Eam enim sancti Patres identidem vsurpant, quorum nonnullos superiori libro retulimus, *cap. vltimo, num.6.* & aliquam illius explicationem obiter dedimus. Addam hîc Augustinum, qui *lib. 6. de Trinit.* dixit, *Spiritum sanctum esse vnitatem, charitatem, & sanctitatem Patris, & Filij, & amorem, quo genitus à gignente diligitur, genitoremque diligit.* Et cùm ibidem sic loquitur: *Non ampliùs, quàm tria sunt: vnus diligens eum, qui de ipso est; alius diligens eum, à quo est; & ipsa dilectio.* Eòdem spectat quod Bernardus sermone 3. Pentecostes inquit, *Spiritum procedere tanquam firmissimum, & indissolubile vinculum Trinitatis.* Sermone autem 8. in Cantica eundem vocat *osculum Patris ad Filium.* hoc est (vt ipse *in lib. de amore Dei, cap.7. & 8.* dixit) amorem *Patris ad Filium, & Filij ad Patrem.* Respondetur primò, Pater & Filius se diligunt eo essentiali amore, cum quo Spiritus sanctus identificatur ex vi suæ processionis formaliter. Hic sensus, vt vides, ad materialem, & identicum vergit; eodemque modo dici posset, Pater diligit Verbo.

7. Secundò Richardus Victorinus ita explicat; vt Pater, & Filius dicantur se diligere Spiritu sancto, seu, quod idem est, per Spiritum sanctum, aut mediante Spiritu sancto, quatenus producunt Spiritum sanctum qui ipsos diligat, & vt ipsos diligat, quod est diligere tantùm mediatè. Quemadmodum apud Græcos Catholicos Pater spirare dicitur Verbo, aut per Verbum, quatenus Verbum, quod spiret, & vt spiret, producit. Tertiò asseri potest, cùm ex Diuo Thoma suprà, ob linguæ penuriam, vox *diligere*, respondeat cum proportione his duabus vocibus, quas in intellectu diuino vsurpamus, nimirum *intelligere*, quod est essentiale; & *dicere*, quod est notionale; hoc est sumi possit, tùm essentialiter pro eo, quod est simpliciter dilectionem exercere; tùm notionaliter pro eo, quod est exercendo dilectionem aliquid realiter producere; non est mirum, si quemadmodum non possumus asserere, quòd Pater intelligat Verbo, possumus autem asserere quòd Pater dicat Verbo; sic non possimus affirmare, quòd Pater & Filius Spiritu sancto se diligant in sensu essentiali, possimus autem id pronunciare in sensu notionali. Nam *nomen* (inquit D. Thom. in illo citato art.1.) *quod significat actionem cum ordine ad definitum terminum, solet denominare agens, non solùm cum reflexione actionis per modum formæ; qua*

nullo, & vt illis à te communicata est, attendatur, possis appellari specialiter Ἀυτόθεος, seu per temetipsum Deus, tamen si diuinæ, quam à te illi possident, naturæ conditio spectetur, nihil vetat, quin & illi eodem quo tu iure debeant dici pariter Ἀυτόθεος; quandoquidem illa, quam à te acceperunt, natura non aliunde quàm à se sola existit, vtpote ipsissima, quam tu habes, & sicut Græci Theologi loquuntur θεία σου αὐτόχρημα φύσις; quo modo Filium tuum Cyrillus vocat αὐτόχρημα τ' ἀγαθόν σου.

8. In æternitatis diuinæ penetrali est velut domus iudicij, trium scilicet consessus; qualis domus apud Iudæos Doctores (vt constat ex Midra Cohelet *in caput* 2. *Ezechielis*,) dicebatur esse, quoties tres ad iudicandum conueniebant. In ea æternitatis tuæ domo, Summe Pater, communi Trinitatis consilio de omnibus, quæ aliquando futura sint, iudicas, atque deliberas: omnia, quæ contingenter euenient, statuis, ac decernis. Iam inde à primo æternitatis instanti, mundus creari, necne, deberet, deliberatum erat. Bona, quæ vnquam contingent, procurare iam tunc decreueras: quæ euentura mala, quæ consciscenda peccata permittere statueras; eaque tanquam à te permittenda, ab impiis autem committenda præuideras. Iam tunc & nos (præuisa futurorum conditione meritorum) numerati appensique eramus, & vt magis, vel minùs habentes inuenti, ad iustam compensationem in alterutram partem destinabamur, atque decretorio iudicio de nostra singulorum extrema sorte actum erat. Et licèt antecedenter talis impediri à nobis potuisset euentus; tamen ex suppositione iactæ iam aleæ, non potest euentus, qualiscunque futurus est, impediri; nec præceps, vt ita dixerim, rerum ac temporum sufflaminari procursus.

9. Nihil ita seu præteritum nobis est, seu futurum, quod non in æternitatis immobiliter consistente *nunc* extiterit præsens. Væ hodierno illi iusto, qui per omnem æternitatem à Deo cernitur in sua ad extremum morte mutatus. Ex aduerso dicite peccatori, *quoniam benè*, si eius ad extremum pœnitentia, futuraque sanctitas diuinis præsens oculis exhibetur. Quis hæc legat atque perpendat, licèt Princeps, siue Imperator, & non toto corpore, animoque contremiscat? Nullus humana felicitate Imperator Augustum, nec tot similes alios vniuersi mundi arbitros Dominosque superauit; & nihilominùs, dum illos cuncti homines suspicerent tanquam in fastigio beatitudinis constitutos, Deus ipsos omni dedecore infames intuetur suppliciis iam addictos, ac mancipatos æternis. Quâ iam aliquis præsagitione nobis enunciare possit, quales in omnem æternitatem Deus nunc destinet futuros, tot Gentium Dominos, tot in Asia, tot in Europa, cæterisque mundi regionibus Dynastas, qui de præsentis, quo gaudent, Imperij æternitate solliciti, de sua nihil cogitant; securi, quo tandem illa futura sit loco, cùm interim ad sempiternum supplicium cum magna Maiestatis specie, & populorum veneratione per celeberrima vanitatis impietatisque, vt ita dicam, compita, ignotaque diuerticula deducuntur. Quemadmodum illi olim Principes, qui quatuor Monarchiis toto terrarum & sæculorum orbe celeberrimis, velut quatuor triumphalis currûs rotis, per diuersorum spatia temporum

temporum ad inferos raptati sunt.

10. Habet & quilibet iustus, quantavis sanctitate præsenti conspicuus, cur illius iudicia Dei pertimescat, qui in omni æternitate, quem vidit pœnitentem in cruce sicarium, ei prætulit Apostolo, qui post relictam in virtute constantiam suus ipse carnifex se suspendit. O altitudo sapientiæ, atque iudiciorum tuorum, summe Pater, in mysterio æternitatis tuæ! Vtinam meditatione salubri liceret omnibus velut in specula attendere primi eius instantis arcana, in quo nostrorum decretorio negotiorum intueri daretur quod nos periculum in posteriorem æternitatem maneat. Intelligerent profectò, quà Politici, quà Ecclesiastici Principes, quàm vana sint mundana opera, quàm risu dignæ maiorum nugæ, quæ negotiorum nomine honestantur. Intelligerent & qui in suæ sanctitatis opinione confidunt, quàm parùm homines possit præsentis solius pietas temporis fulcire, nisi tandem felix coronam finis imponat.

Eiusdem Patris immensitas.

11. Quemadmodum contemplati iam sumus in Deo Patre æternitatem, quæ licèt indiuisibilis, omnem tamen sæculorum extensionem in se velut complicatam, inuolutamque colligit, & interminatæ vitæ totam simul possessionem includit: sic & in illo primo æternitatis signo contemplari possumus Patris eiusdem immensitatem omni spatiorum, quæ fingi animo potest, infinitate maiorem. Ad cuius expositionem immensitatis sunt qui spatia dari actu imaginaria censeant; quorum spatiorum partem aliquam mundus occupet: quæ autem de reliquo partes vltra cœlos quoquoversum absque vlla extremitate excurrunt, non ita vacuæ sint, quin Deus in omnem earum vastitatem extendatur. Quæ quidem puræ imaginationis videtur esse Philosophia. Quid enim, si Deum velis vltra mundum infinitè diffundi, necesse est vt spatia quæ illi substernantur, imaginemur præsupponi? Sanè res omnes vbivis existant sua sibi sunt spatia. *Et Deus ipse* (vt ait Tertullianus contra Praxeam cap. 5.) *solus sibi locus est.* Quòd si creaturis collocandis quodam sit opus communi receptaculo, num Deus, si tanquam infinitum lumen quoquoversùm extendatur, poterit videri sufficere, vt rebus ipse supponatur omnibus tanquam fundus, in quo illæ, nullo alio infimo egentes solo, recipiantur? Quò referri potest illud Dionysij cap. 5. de diuin. nom. *Deum esse domicilium omnia continens, sedem & fundum omnium.* Alioquin eadem ratione consequens foret, dies & annos, vt habere possent suum *quando*, indigere imaginario temporis spatio, quod sub illis fluens, eos excipiat, [illegible]; quod imaginarium tempus ab omni æternitate successiuo lapsu partes priores, posterioresque habuerit. Quales tamen ab omni æternitate partes vulgò in ipso etiam reali tempore non conceduntur esse possibiles, & videntur multò minùs in imaginario debere concedi.

12. Cùm intra rerum naturam immensitate tua, Æterne Pater, cœlum & terram impleas, tamque præsens sis vnicuique nostrûm, vt in te viuamus & moueamur & simus; ex istius tuæ immensitatis consideratione possumus fructum capere duplicem. Nam per illam spirituali subti-

litate penetras cordis nostri, vt rerum omnium cæterarum, intima; & simul magnitudine tua, seu formaliter, seu eminenter extensâ, nullis creaturarum inclusus angustiis, extrà diffunderis infinitè, quomodo mersam spongiam Oceanus humore & incluso complet intus, & foris offuso circumstar. Itaque ex priori consideratione percipimus fructum summi cuiusdam gaudij & oblectamenti. Quanta enim necesse est nos voluptate perfundi, eius conscios felicitatis, quâ per immensitatem cordibus vbique nostris infusam fruimur, dum angusto mentis humanæ, quantuscumque es, recipi dignaris hospitio; ita vt illius angustiis nec tua te includat subtilitas, nec excludat magnitudo. Animas porrò, quas & intus imples, & foris circumdas (si pias, & ad te, vt par est, recipiendum dispositas nanciscaris) tuâ præsentiâ consecras, & infinitate per eam latitudinem cordis amplificas, quæ sit, non qualis in Salomone, vt immensi arena maris; sed quæ nec cœlorum regionibus terminetur. Excita te, ac erige, anima mea. Quantum nacta sis hospitem attende. Illius vbi semel amplitudinem immensitatemque perspectam habueris, tunc videbis & afflues, & mirabitur ac dilatabitur cor tuum. Mysterium siquidem Trinitatis generatione Filij, processioneque sancti Spiritus perfici intra penetrale cordis cognosces, mediamque te quodammodo in amplexu Patris, Filiique reperies; atque in consortium tantæ, quæ inter diuinas personas est, charitatis admitti senties. Quas enim mentes Deus Pater ad eam gratiam nouit idoneas, in consortium illius admittit charitatis, quâ vnigenitum Filium sibi coniungit, ipso id Filio talibus exposcente verbis: *vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Ego in eis, & tu in me, vt sint consummati in vnum.* Ioan. 17. Quam dilectionis exsuperantiam admiratur Bernardus *tract. de natura Amoris diuini*, vbi sic ait: *Tanta sit in nobis coniunctio, vt vnitas ab ipso Filio vocetur dicente, Vt sint ipsi vnum in nobis: tantæ dignitatis, tantæ gloriæ, vt subsequatur, & dicat, sicut ego, & tu vnum sumus. O gaudium! ô gloriam! ô diuitias! ô superbiam! Habet enim & sapientia sui generis superbiam, quæ dicit, Mecum sunt diuitiæ, & gloria, & opes superbæ.* Hactenus sanctus ille Pater.

13. Quantum nos concipere par est ex diuina immensitate corda nostra incolente gaudium, tantò videtur deplorandum esse dolentiùs, quòd diuinitatis, immensitatisque opes in mortalium cordibus repositæ perinde se habeant vt plurimùm, ac thesaurus inutiliter absconditus. Quod si eum dementem iudicaremus, qui defossum domi suæ thesaurum haberet, eumque vel negligeret, vel etiam ignorare vellet atque obrueret; cùm interim ipse vitam egestate oppressus degeret, stipemque summo labore hinc & inde rogitare cogeretur: quid de illis pronunciandum erit, qui diuinitatis opes, & bonorum immensitatem intra se conditam aspernentur, ac pro nihilo habeant; & extra Deum fontem bonorum vnicum à mendicissimis creaturis auxilium expetant, suamque foris miseri famem quærant; cùm domi & intra seipsos cælestium diuitiarum copiam, & rerum omnium affluentiam inuenire possint? Sed quid si attendamus amicissimos cum diuinitate congressus, & familiares quos cum ea potest homo conferre sermones priuatim in cordis sui sacrario æternam

æternam auditurus ſapientiam ? Ideò ſcilicet in hominum mentibus domicilium Deus, in quo habitator eſſet, illuſtriori quàm in rebus aliis ratione habere voluit; atque ſibi in illis thalamum, & conclaue ſecretius conſtruxit. Amat enim intra creaturarum, quæ ſapientiâ prædita ſint, intelligentias, velut intra ſacras ædes ſeu templa cæleſtia contineri.

14. Quemadmodum immenſitatem, quam Pater Filio Spirituique ſancto communicat, vidimus inferre noſtris intimè cordibus ob ſpiritualem ſuam ſubtilitatem inexplicabile gaudium; ſic & ob interminatam magnitudinem, quâ nos longè latéque circumcludit extrinſecùs, certum eſt efficere nobis maximam ab omni hoſtili incurſu ſecuritatem. Si enim arces firmiſſimis ſeptas, armataſque muris videmus parum timere quarumcumque machinarum, tormentorumque exploſiones; & nonnumquàm exercitus ab humano præſidio inopes, ſed angelicis munitos fiſoſque præſidiis, intra ſua caſtra tutiſſimò degiſſe legimus: quidnam, quæcumque conſiſtant aduersùm me caſtra, timebit cor meum? Quodnam formidabile, ſi conſiſtat aduersùm me, prælium timore perterritus contremiſcam? Cùm Ezechiam, ciuitatemque Ieruſalem ſpeciali Deus, Angelicóque præſidio protegeret, nunciari fecit Aſſyriorum Regi per Iſaiam cap. 37. *Deſpexit te, & ſubſannauit te virgo filia Sion: poſt te caput mouit filia Ieruſalem.* Et ei, quem deſpicabilem vel ipſis puellis reddidit, *poſuit circulum in naribus, frænum in labiis*, velut immani belluæ, ipſumque recedere accepta clade coëgit inglorium. Deum item Dauid teſtatur Pſalm. 33. *Si immittet Angelum in circuitu ſe timentium, erepturum eos.*

15. Quid ergo Chriſtianus ille timeat, qui diuinam immenſitatem nouerit in circuitu ſuo mirabiliter diffuſam; ita vt nullus ipſum inuadere poſſit, quin immenſitati transverſus incurrat, eamque, ſi fieri poſſit, tranſmittat atque traiiciat? Si verum eſt, quod nonnulli Virgilio facinus imputant, hortum aliquem aëre concreto atque denſato cinctum obuallatumque arte magica ſic fuiſſe, vt ſi quis in illum introire tentaret, repelli ſe vi quadam non aſpectabili, & velut muro obtutum oculorum fugiente impediri ſentiret, ne in illud ſeptum penetrare poſſet; quis dum ſe immenſitate Dei ſtipari circumcludique cogitabit, periculum timeat, ne ſuus vllus hoſtis ad ſe vſque lædendum, deturbata velut traiectáve immenſitate perueniat. Et certè illi qui ſe Deo ſtipari obuallarique credet, maximam neceſſe eſt certa cum ſpe oriri fiduciam. Qualem ſanctos aliquos viros, cùm in poteſtatem ipſorum etiam prædonum, graſſatorumque incidiſſent, habuiſſe legimus. Quàm porrò perfectam conueniat eſſe hanc fiduciæ virtutem in eo, qui chriſtianam rerum ſuarum fidem habeat Deo, ſatis nos ipſe Deus per Dauidem admonet, dum non tantùm in ſe ſperandum, ſed ſuperſperandum eſſe ſignificat; quod videre ſæpè eſt vel in ſolo Pſalmo 118. vt cùm inter alia ſic Deum alloquitur: *Defecit in ſalutare tuum anima mea, quia in verba tua ſuperſperaui*: יִחַלְתִּי, in coniugatione Pichel, quæ vim ſignificationis auget.

16. Infinitæ prætereà reperiuntur in Patre Æterno perfectiones, quas non aliunde, quàm à ſeipſo poſſidere

ſidere intelligatur in priori rationis quàm Filium, Spiritumque ſanctum producat. Et quidem conſentaneum videtur, ſapientiam, bonitatemque nominatim haud omitti, cùm eæ formaliſſimè in Patre quà tali locum habeant, & fœcunditatis, quâ generare, ſpirareque poteſt, fundamentum ſint. Itaque licèt ex iis, quæ de paternitate, ſpirationeque actiua, & principio formali proceſſionum diuinarum ſuis locis diſputata ſunt, intelligi quantùm ſatis eſt potuit, quales cùm intelligentiæ, tùm voluntatis perfectiones in prima perſona, priuſquam generaret ſpiraretve, reperiri oportuerit: piam nihilominùs hîc addere iuuerit de Patris notionali ſapientia conſiderationem. Bonitatis autem ſanctitatiſque ſpiratiuæ contemplationem ad libri ſequentis calcem, ne hîc ſimul morales huiuſmodi ſermones coaceruentur, transferemus.

CAPVT VIII.

De Patris Æterni ſapientia, quæ generatiuæ fundamentum eſt fæcunditatis. Moralis & myſtica conſideratio.

1. SI mortalium pronæ in terras animæ, inaneſque cœleſtium ſuos, vt par eſt, vultus, quos ideò natura excelſos & ſublimes eſſe voluit, ſurſum attollerent, haud dubiè ſuam in Deo, ex quo velut excerptæ ſunt, originem agnoſcerent; & eò vſque ſapere tandem poſſent, vt ſummam, tum Patris, quâ conditæ; tum Filij, quâ redemptæ fuerunt; tum etiam Spiritus ſancti, quâ gubernantur ſapientiam intelligerent. Sanè cùm Chriſtus eam teſtetur eſſe vitam æternam, vt homines Patrem, & quem Pater Filium in terras miſit, agnoſcant, conſequens eſt, ſummam felicitatem eo contineri, vt increatam veneremur in Trinitate ſapientiam, quæ eadem & in Patre generans, & in Filio genita eſt; atque vt Spiritui, qui vtriuſque illius nexus eſt, conſimilem gloriam nullo cultus diſcrimine tribuamus.

Falſam homines, poſt amiſſam veram in Adamo, ſapientiam coluerunt.

2. Sed poſtquam Adamus, quem inſigni ſapientiæ dote ſupparem Angelis Deus fecerat, ſic à mente deſertus eſt, vt ex ipſo, quem nactus erat, ſapientiæ decore occaſionem acceperit inſipientiæ, deſiderio ſapiendi pluſquam oportet ſapere, illius cupidus fuit, appetenſque ſcientiæ, quæ ſerpentis, à quo ipſi instructæ fuerant inſidiæ, tabo eſſet venenoque conſperſa. Quia verò perfecta, quæ in Deo reſidet intelligentia, & ea pariter Sanctorum ſcientia, quæ Dei quædam eſt emanatio, intelligi meliùs poterit ex illius cum vana noxiaque mortalium doctrinâ comparatione, operæpretium eſt, vt breuiter ad qualia ſtudia ſub ſpecioſo nomine ſapientiæ humana ſiue curioſitas, ſiue impietas incumbat, videamus. Mortales ſanè vniuerſos poſt primi lapſum parentis non tantùm inſipientiæ caligo denſiſſima circumſepſit; ſed etiam, quò nocentiùs deſiperent, illos vafra in peccando ſolertia infecit, & impietatis artificio erudita calliditas. Neque hoc peſtilentis ſapientiæ virus, quod os ſerpentis ex inferis emerſi velut ſaliuario quodam lentore vomuit,

si vera esset illorum sententia, dicendum foret spiritum non distingui realiter posse à Filio: nam ex contrario, supposito Græcorum errore dicendum foret consequenter non solùm spirationem passiuam à Filio, sed & spirationem actiuam à filiatione distingui absque vlla inter illas oppositione relatiua. Quare ad expugnandam Græcorum hæresin, videtur omnino esse mutandam palæstram, nempe vt vniuersa argumentandi ratione asseramus, si eorum vera foret sententia, posse in Deo perfectiones non sibi oppositas,& relationis inter se mutuò expertes distinctionem habere inter se realem. Quod illi amplectuntur vt verum, sancti Patres Conciliaque reiiciunt vt falsum. Vnde vides, totum pondus susceptæ contra Græcos disputationis in illius firmitatem veritatis incumbere, quòd absoluta inter prædicata nequit in diuinis vlla realis esse distinctio. Quam veritatem dum negat Scotus, arma Catholicis contra Græcorum hæresin ratione pugnantibus eripit,neque satis prudenter, neque satis theologicè; schismaticis, hæreticisque eatenus consentiens, & à Sanctis Patribus, Conciliisque dissentiens.

5. Augustinus enim *lib.* 11. *de Trinit. cap.* 10. de simplicitate Dei loquens ait, Deum propterea simplicem dici, *Quia quod habet, hoc est; excepto quod relatiuè quæque persona ad alteram dicitur: nam Pater habet Filium, nec tamen ipse est Filius: & Filius habet Patrem, nec tamen ipse est Pater. In quo ergo ad seipsum absolutè ac sine relatione dicitur, hoc est quod habet; sicut ad seipsum dicitur viuens, habendo vtique vitam, & eadem vita ipse est Deus.* In Concilio Toletano XVI. sic habetur: *Idcircò sunt quædam, quæ in hac sancta Trinitate indiscretè oporteat confiteri. In hoc enim quod ad se est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, indiscretè vnus credendus est. Quod verò ad relatiuum attinet, discretè personarum trium est prædicanda proprietas.* Hanc doctrinam, quòd omnia sint idem, vbi non obuiat relationis oppositio, ait Fulgentius in responsione ad Ferrandum Diaconum, pertinere ad fidem Catholicam: *Claret*, inquit, *ex Augustino esse catholicæ veritatis, vt ea quæ ad se propriè dicuntur, nouerimus certissimè non diuersa; sed vnum illud esse, quod est essentia.*

6. Ratio autem huius certissimæ doctrinæ est, quoniam constat, vbicumque distinctio realis intercedit; eam fundari non posse, nisi vel in extremorum limitatione, finitaque perfectione, quæ se ad omnia per identificationem extendere nequeat; vel in eorumdem reali oppositione, quæ intra Trinitatem, nisi per relationem in physica productione fundatam esse non potest. Quod fusiùs hîc probare non attinet, doceturque in tractatu de Deo vno. Atque ita cùm in Deo latitudinem omnem entis continente, & velut absorbente limitatio perfectionis non possit habere locum; sequitur, distinctionis realis fundamentum non posse intra Deum, seu inter duo extrema increata consistere, vbi non reperitur oppositio relationis, & productio physica. Quandoquidem Deus nequit aptiùs definiri, quàm vt dicatur, *ille qui est absolutè* (nimirum qui per summam sublimitatem est vel formaliter, vel eminenter omne esse possibile:) proptereà vocatur à Dionysio, non dumtaxat εἶναι, sed αὐτοεῖναι; Quia cùm sit purissima ratio vniuersi entis, nihil

habere potest sibi superadditum, nihil quod non ὑπερηνωμένως, & supervnicè sit ipsum suum primarium ac simplicissimum esse; cùm item nullam (vt Proclus in commentariis ad Timæum Platonis loquitur) ἐπίκτητον, hoc est acquisitam, superuenientemque bonitatem possidere possit, aptissimè à Dionysio, & ipso etiam Proclo appellatur αὐτοαγαθὸν, siue purissimum ac simplicissimum bonum. Quare apparet quàm imperitè Græculi velint de facto Spiritum sanctum à Filio, absque vlla interueniente oppositione, quemadmodum & spirationem actiuam à filiatione distingui realiter. Prætereà sunt nonnulli eiusdem nationis & leuitatis; qui errore non absimili perfectam realem distinctionem agnoscant inter essentiam, & attributa diuina, abutentes Patrum veterum authoritate: & id quod ipsi sancti Patres, ac post hos Theologi de differentia per solam rationem nostram dicunt, ad realem transferant differentiam; istud tanquam certum axioma assumentes: *Id quod habet, distingui debet ab eo quod habetur.* Atque ita Deum qui sua habet attributa, idem cum his esse non posse concludunt. In cuius erroris confirmationem non verentur authoritatem inscitè afferre Dionysij, disputantis *cap. 2. de diuin. nomin.* de illa quæ in Deo est, seu vnione, seu distinctione. Qui tamen eò loci tantùm abest, vt illis patrocinetur; vt ex contrario iis disertè repugnet, docens illud omne ἡνωμένον, indistinctumque esse in Deo, quod ad se absolutè, non autem ad aliud relatiuè se habet. Quare nihil esse διακεκριμένον, seu distinctum, nisi esse Patrem, esse Filium. Aitque *cap. 5.* id quod vocamus αὐτοεῖναι, αὐτοζωὴν, καὶ αὐτοθεότητα, esse superprincipale & supersubstantiale vnum.

CAPVT VI.

De persona Spiritus sancti.

SAtis intelligitur ex dictis alibi, quomodo tertia Trinitatis persona constituatur spiratione passiua, tanquam proprietate personali; & quomodo à Patre Filioque, tanquam ab vno simplici principio, per viam voluntatis procedat, vt amor notionalis, non vt Filius, non vt propriè imago, &c. Neque de iis plura hoc dicenda loco supersunt. Tantùm explicanda se offerunt tria præcipua huius personæ nomina, de quibus Diuus Thomas egit *quæst. 36. 37. & 38.* Strictim à nobis sub finem de quibusdam aliis nominibus, quæ vt minùs propriè, sic & minùs sæpè Spiritui sancto tribui solent, indicandum aliquid erit.

1. Primum nomen est Spiritus sanctus; quod quidem, vt ait Diuus idem Thomas *q. 36. art. 1.* de se commune est tribus personis, quarum quælibet ob immaterialitatem est Spiritus, & ob summam bonitatem Sanctissimus. Tamen per appropriationem tribuitur specialiter personæ tertiæ. *Nomen hoc, Spiritus, solitariè sumptum Deo tribuitur; Deo item tribuitur solitariè sumptum nomen hoc, Sanctus* (inquit Anastasius Patriarcha Antiochenus in libro dogmatico:) *at iunctis ambobus his nominibus, tertia persona conuenit, vt singulariter dicatur Spiritus sanctus.* πνεῦμα λέγεται ὁ θεός. καὶ ἅγιος ὁ θεός· συντεθέντα δὲ ἄμφω τὰ ὀνόματι τῷ ἰδίως καλουμένῳ πνεῦμα

πνεῦμα ἅγιον ἁρμόζει. Cum quo id cohæret, quod ait Augustinus lib. 10. de Trinitate, c. 10. *Spiritus Patris & Filij Spiritus, sanctus propria quadam notione huius nominis in sacris libris nuncupatur.* Atque ita (vt ait idem lib. 15. c. 19.) *Qui communis est ambobus, id vocatur ipse propriè, quod ambo communiter. Spiritus sanctus ineffabilis quadam est Patris, Filiique communio: & ideò fortè appellatur, quia Patri & Filio potest eadem appellatio conuenire, vt ex nomine, quod vtrique conuenit, vtriusque communio significetur.* Vnde apparet quod aduertit D. Thomas, cùm hoc nomen sumi possit complexè in vi duarum vocum, & eatenùs sit velut appellatiuum, & multis commune; sumptum est noua institutione incomplexè, atque in vi vnius vocis ad significandam propriè hanc personam: quoniam illud non tantùm Doctores Ecclesiastici, sed etiam authores Canonici, atque ipse etiam Christus vsurpauit, cùm iussit Matthæi vltimo, Baptismum conferri, *in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.* Reperitur & in veteri Testamento sub eadem notione Hebraicum nomen רוח, cui respondet Latinum *Spiritus.* Qua item notione ait Basilius in libro de Spiritu sancto, *ipsum esse Spiritum oris diuini*, πνεῦμα στόματος αὐτοῦ. Eundem in sensum id accipit quod habetur Psalmo 32. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Spiritum enim oris Dei, interpretatur Spiritum, qui ex Deo per Filium tanquam per os suum loquente oritur & velut quidam funditur flatus, sine quo locutio talis esse non potest: τὸ πνεῦμα ὃ ἐκ πατρὸς ἐκπορεύεται· τοῦτ' ἐστιν, ὃ ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ. Disertè Anastasius Antiochenus: πνεῦμα στόματος τοῦ θεοῦ: στόμα γὰρ πατρὸς ὁ υἱός.

2. Ratio impositionis huius nominis afferri potest, quia in rebus corporeis Spiritus tum immaterialitatem, tum subtilitatem, tum impulsionem, & notionem videtur significare: nam ventum, & flatum ideò nominamus spiritum. Est autem proprium amoris, vt in rem amatam feratur cum aliquo per subtilissimam in amatum obiectum penetrationem impulsu. Vnde & impetum amoris, vehementiamque dicimus. Addi & hæc debet istiusmodi impositionis ratio, quod vt locutio fieri non potest, nisi cum aliqua flatus ex ore effusione; sic nec actiua Patris per ipsius os (qui Filius eius est) locutio fieri possit absque sancti huius Spiritus, halitusque diuini emissione. Quam Spiritus notionem indicat Basilius, dum hunc versiculum Psalmi 32. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum*, sic interpretatur: τὸ πνεῦμα ὃ ἐκ πατρὸς ἐκπορεύεται· τοῦτ' ἐστιν, ὃ ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ. Disertè Anastasius Antiochenus: πνεῦμα στόματος θεοῦ· στόμα γὰρ πατρὸς ὁ υἱός. Ex se quasi ex ore Patris diuinum hunc halitum, Spiritumque prodire significauit Christus (vt Author est August. *lib. 3. conf.*) quando in discipulos insufflauit.

3. Quòd autem eidem, qui Spiritus dicitur, sanctitas adscribatur, & cum addito vocetur *Sanctus*, ratio petitur ex eo, quòd sanctitatem rebus illis tribuamus, quæ ad Deum ordinantur. Quare meritò illa persona, quæ à Deo procedens per modum vehementissimi amoris, reflexè in ipsum Deum, velut in præcipuum obiectum ordinatur, nominata est Spiritus modo quodam speciali sanctus

ctus. Ita nempe, vt sanctitatem naturalem, & ἁγιωσύνη ab eo, qui eiusdem sit penitus cum ipso substantiæ, accipiat. Præclarè Cyrillus in dialogo septimo de Trinitate: *Sanctus est*, inquit, *Spiritus non participatione, neque externa ad Deum habitudine, sed natura, & veritate*: οὐ μεθεκτῶς, οὐδὲ τῇ ἔξωθεν σχέσει ἀλλὰ φύσει καὶ ἀληθείᾳ. Cùm Spiritus sanctus procedat à Spiratore Deo per viam sanctitatis, quæ in voluntate diuina residet, ac per consequens diuinitatem accipiat sub ratione formali voluntatis atque sanctitatis; clarum est eum per illam sanctitatem sanctum esse, quam essentialem, omnibusque personis communem, vt primariò sibi communicatam recipit. Ex quo fit, vt ipsi, tanquam primario fonti, & authori, omnis sanctitatis gratia & iustitia, quam creaturæ participant, inscribatur, vt Actorum cap. 10. *In nationes gratia Spiritus sancti effusa est.* Alibique in Scriptura sæpè. Vnde Græci Theologi velut ὑποστατικὸν χαρακτῆρα tribuunt ei ἁγιαστικὴν δύναμιν.

4. Postquam explicatū est, quæ vis subiecta sit sub vocabulo Spiritus sancti, vidēdum se offert, quid sonet amoris nomen; quod notionaliter, ac personaliter sumptum, huic tertiæ personæ tribuitur. Et quidem cùm amor significet non solùm actionem amandi, hoc est amationem, seu dilectionem; sed etiam terminum, qui per illam (eo modo quo Verbum per intellectionem) producitur; hinc fit, vt quemadmodum secunda persona dicitur Verbum, quia procedit per intellectum; sic & tertia, quia procedit per voluntatem, & recipit essentiam diuinam primò ac per se sub ratione amoris, huicque primò ac per se identificatur, amor appelletur inter Theologos ex vsu Sanctorum Patrum, non tantùm per appropriationem nominis essentialis, sed etiam per peculiarem, & nōuam illius vocis significationem; ita vt hæc vox amor ad personam ipsam productam Spiritus sancti, & ad essentialem dilectionis actum quo Deus constituitur formaliter amans, sit æquiuoca, ex diuo Thoma *quæst. 37. art. 1.* & diuersimodè tam personaliter, quàm essentialiter vsurpetur. In quo discrimen est aliquod inter verbum, & amorem. Nam verbum, cùm censeatur significare in creaturis formaliter relationem producti, non facilè dicitur de actu essentiali, quo Deus constituitur formaliter intelligens; sed magis propriè enunciatur de illius termino physicè producto. At amor, cùm in creaturis non significet formaliter relationem producti, sed dumtaxat actum productum, non secùs ac sapientia, &c. hinc fit vt æquiuocè sumi possit, & essentialiter pro actu, qui Deum constituens formaliter amantem, communicatur ipsi Spiritui sancto; & personaliter pro ipso Spiritu sancto.

5. Notandum etiam est, amorem in diuinis posse notionaliter sumi provt communicari non potest Spiritui sancto, sed provt ab hoc distinguitur, quatenus nempe denotat actum voluntatis, non simpliciter (quo modo essentialis est & communis tribus personis) sed vt fœcundum, aut actu spirantem; quo modo dici solet Spiritum produci per amorem: & sic reperitur in solo Patre, & Filio, quatenus Spiratore; significarique solet nomine spirationis actiuæ, & non est aliud quàm potentia productiua Spiritus sancti, siue in actu

primo,

primo, siue in actu secundo. Quare cùm tres voces in intellectu fœcundo vsurpentur, intellectio, dictio, verbum; quarum prima significat actum essentialem intelligendi, secunda originem, seu actum intelligendi notionalem, sub quo & potentia generatiua comprehenditur; tertia denique terminum productum per intellectum; hæc vna vox *amor*, in voluntate fœcunda cum proportione respondet ob sermonis penuriam illis tribus (quemadmodum admonet sanctus Thomas iam citatus;) ita vt declaret cùm actum amandi essentialem, tùm originem, seu actum amandi notionalem, tùm denique terminum productum, nempe Spiritum sanctum. Alibi diximus quorum obiectorum sit is amor.

6. Petes, quomodo vera esse possit hæc propositio quam non pauci Theologi in aliquo sensu admittunt; *Pater & Filius diligunt se Spiritu sancto*. Eam enim sancti Patres identidem vsurpant, quorum nonnullos superiori libro retulimus, *cap. vltimo, num.6.* & aliquam illius explicationem obiter dedimus. Addam hîc Augustinum, qui *lib. 6. de Trinit.* dixit, *Spiritum sanctum esse vnitatem, charitatem, & sanctitatem Patris, & Filij; & amorem, quo genitus à gignente diligitur, genitoremque diligit*. Et cùm ibidem sic loquitur: *Non ampliùs, quàm tria sunt: vnus diligens eum, qui de ipso est; alius diligens eum, à quo est; & ipsa dilectio.* Eòdem spectat quod Bernardus sermone 3. Pentecostes inquit, *Spiritum procedere tanquam firmissimum, & indissolubile vinculum Trinitatis.* Sermone autem 8. in Cantica eundem vocat *osculum Patris ad Filium.* hoc est (vt ipse in *lib. de amore Dei, cap.7. & 8.* dixit) amorem *Patris ad Filium, & Filij ad Patrem*. Respondetur primò, Pater & Filius se diligunt eo essentiali amore, cum quo Spiritus sanctus identificatur ex vi suæ processionis formaliter. Hic sensus, vt vides, ad materialem, & identicum vergit; eodemque modo dici posset, Pater diligit Verbo.

7. Secundò Richardus Victorinus ita explicat; vt Pater, & Filius dicantur se diligere Spiritu sancto, seu, quod idem est, per Spiritum sanctum, aut mediante Spiritu sancto, quatenus producunt Spiritum sanctum qui ipsos diligat, & vt ipsos diligat, quod est diligere tantùm mediatè. Quemadmodum apud Græcos Catholicos Pater spirare dicitur Verbo, aut per Verbum, quatenus Verbum, quod spiret, & vt spiret, producit. Tertiò asseri potest, cùm ex Diuo Thoma suprà, ob linguæ penuriam, vox *diligere*, respondeat cum proportione his duabus vocibus, quas in intellectu diuino vsurpamus, nimirum *intelligere*, quod est essentiale; & *dicere*, quod est notionale; hoc est sumi possit, tùm essentialiter pro eo, quod est simpliciter dilectionem exercere; tùm notionaliter pro eo, quod est exercendo dilectionem aliquid realiter producere; non est mirum, si quemadmodum non possumus asserere, quòd Pater intelligat Verbo, possumus autem asserere quòd Pater dicat Verbo; sic non possimus affirmare, quòd Pater & Filius Spiritu sancto se diligant in sensu essentiali, possimus autem id pronunciare in sensu notionali. Nam *nomen* (inquit D. Thom. in illo citato art.1.) *quod significat actionem cum ordine ad definitum terminum, solet denominare agens, non solùm cum reflexione actionis per modum formæ; qua*

ratione dicimus ignem calefacere calefactione; *sed etiam cum replicatione termini, quo modo dicimus, arborem florere floribus. Atque hoc modo Pater & Filius*, inquit sanctus Doctor, *diligunt Spiritu sancto, tanquam termino actionis productiua*; quomodo addere nos possumus, illos *spirare Spiritu sancto* (sicut Pater *dicit Verbo*) tanquam termino.

8. Notandum verò has voces *dicere*, & *diligere*, provt notionaliter modo dicto sumuntur, non tantùm significare realem productionem seu Verbi, seu Spiritus sancti physicè emanantis (nam sic possemus tantùm pronunciare, Pater dicit Verbum, & Spirator diligit Spiritum sanctum, cùm hi soli producantur;) sed etiam important ipsam actionem essentialem intellectionis, seu dilectionis metaphysicè emanantis, provt ea est in Patre, & in Spiratore fundamentum generationis, & spirationis actiuæ. Quæ actio essentialis, provt fundamentum fœcunditatis, habet multa obiecta, cùm increata, tùm creata, quæ [illegible] intelligantur, ac diligantur. Vnde fit, vt asseramus Patrem dicere non modò Verbum, sed etiam Verbo, tum se, tum ipsum Verbum, tum alia omnia: similiterque Patrem & Filium diligere non tantùm Spiritum sanctum, sed etiam Spiritu sancto diligere, tum se inuicem, tum ipsum Spiritum sanctum, tum etiam creaturas. Vnde sequitur, quòd Spiritus sanctus non possit eo sensu notionali diligere nec se, nec alias personas, nec creaturas seipso, cùm seipsum non producat. Sumendo tamen vocem *diligere*, in sensu essentiali, rectè pronunciamus Spiritum sanctum diligere seipso tum se, tum Patrem & Filium, imò & creaturas; quia diligit suo amore, qui est identicè ipsemet Spiritus sanctus, tum seipsum, tum alias personas, tum creaturas. Atque ita est nexus non tantùm Patris & Filij inter illos, sed & inter ipsummet, imò & inter creaturas.

9. Tertium superest explicandum Spiritus sancti nomen, scilicet *donum*; quod illi vt proprium tribuitur sæpè ab Augustino, & post hunc à cæteris vulgò Doctoribus. Quamvis autem primò non repugnet donari, & donum vocari, tum essentiam diuinam (sic enim hanc Hilarius 8. *de Trinit.* ait esse donum, quod Pater dat Filio) tum etiam personas omnes, quo modo ex se nobis donant per gratiam, & gloriam, iuxta illud Ioan. 14. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Nihilominus secundò cùm *donum* denotet propriè rem distinctam à donatore, quæ sit aliquo modo sub huius iure velut possessio quædam, aut aliter ad ipsum pertineat; hinc fit vt specialiori significatione in diuinis nomen *doni* notionale sit, & solùm conueniat personis procedentibus, quæ scilicet sint alterius prioris personæ, à qua procedant. Quo modo Filius est Patris tanquam ad hunc pertinens; Spiritus autem est Patris & Filij; atque ita Filius in Scriptura dicitur donum Patris, vt Ioan. 13. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* Ipseque Filius de se dixerat Ioan. 4. *Si scires donum Dei, & quis est qui loquitur tecum.* Paulus verò de Christo *Roman.* 5. ait, *Sed non sicut delictum, ita & donum.*

10. Sed tertiò propriissimè *doni* nomen importat voluntatem quandam liberam donatoris ab ipso dono diuersi, seu liberalitatem fundatam in amore, quo ipse donator vult benè

nè facere alteri. Vnde fit, vt si res aliqua non solùm sit donabilis, sed & intrinsecè includat amorem ipsius donatoris, illi conueniat aptissimè nomen doni. Quemadmodum videre est in Spiritu sancto, qui non solùm procedit vt res quæ donari possit à producente (quod pariter habet Filius,) sed etiam procedit vt amor. Et quamuis dum Spiritus donatur creaturis, non donetur ex amore illo necessario, ex quo ipse producitur, & qui ipsi formaliter communicatur; donatur tamen ex eo secundario amore qui radicatur aliquo modo in illo primo necessario, & quem ipse Spiritus sanctus, dum producitur, accipit in radice. Quare meritò dixit Augustinus lib. 4. de Trinit. cap. 20. & lib. 5. cap. 11. & seq. *Spiritum sanctum eo esse donum, quo Spiritum; & à Filio distingui, quòd Filius procedat vt natus, Spiritus vt datus.* Vbi datum intellige, non actu, sed aptitudine; quod est esse donum. In eoque sensu Augustinus lib. 5. de Trinitate cap. 16. ait *Spiritum ex æterno processisse vt aliquid donabile, & vt iam donum, antequàm esset, cui daretur. Aliter enim intelligitur donum, aliter donatum. Nam & donum potest esse antequam detur, non autem donatum, nisi datum fuerit.* Et libro 15. *Pater, Filius, & Spiritus sanctus, simul omnes vnus Deus: & tamen in Trinitate non dicitur Verbum Dei, nisi Filius; nec donum Dei, nisi Spiritus.* Libro autem de vera Religione scribit, *nos colere oportere ipsum donum Dei cum Patre & Filio.* Eadem significatione Hilarius Spiritum appellat *munus.* Et Ambrosius in libro de symbolo, cùm ait, *Æternitas est in Patre, species in imagine, virtus in munere*; totum id fundatur in Scriptura, quæ Actor. 2. sic habet, *Accipietis donum Dei.* Et cap. 18. *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia donum Dei existimasti pecuniâ possideri.* Didymus *lib. 1. de Spiritu sancto*, vocat Spiritum sanctum, *Plenitudinem donorum Dei.* Quandoquidem illum Patres Græci nominant δόσιν, & δωρεάν, notabo hîc, quod putat Philo Iudæus in Caino, δόσιν solere dici rerum paruarum; δωρεὰν, maiorum.

11. Porrò quatenus donum dicit ordinem ad donatorem, vt distinctum ab ipso dono, nequaquam Spiritui sancto conuenit ratione essentiæ, sed ratione proprietatis, quæ vnica relatio est, licèt diuersas habeat rationes intuendi suum principium, vt Spiratorem, vt donatorem, &c. Quatenùs autem importat voluntatem liberam, & amorem, non conuenit ipsi Spiritui sancto ratione proprietatis, sed ratione essentiæ vt communicatæ, & vt connotantis proprietatem, seu relationem, tanquam conditionem sine qua amor non posset habere aut fundare denominationem doni. Dicitur verò amor fundare denominationem doni, non quia solùm communicatio fiat cum amore concomitante; quomodo Pater dat Filio totam diuinitatem, & existentiam; sed quia opportet communicationem, vt sit vera, propriaque donatio, fieri ex amore. Vnde dicendum est, nec diuinitatem, vel existentiam personarum esse donum, quod fiat ipsis personis productis; nec verum esse, quod dixerunt Scotus, & Gabriel, Patrem donare Filio Spiritum sanctum, & è conuerso, Filium donare eundem Patri. Dicitur ergo Spiritus sanctus donum, quatenus creaturis donatur; non quidem actu, & in tempore (sic enim non esset

LIBER VII.

DE PERSONARVM DIVINARVM inter ſe comparationibus, & de aliquibus in hoc myſterio loquendi modis.

ACTVM eſt ſuperiori libro de vnaquaque diuinarum perſonarum, ſumptâ ſigillatim, & καθ' ἑκάστην. Quia tamen rerum eſt perfectior cognitio, cùm non tantùm ſecundùm ſe abſolutè, ſed etiam relatiuè, comparatiuéque conſiderantur; vnde quidem Nominales comprehenſionem alicuius obiecti negant eſſe poſſe niſi cognoſcatur ſecundùm omnes quas ad alia poteſt habere comparationes, atque reſpectus, & ſub omnibus prædicatis, quæ illi conuenire poſſunt. Itaque vt perfectiùs quælibet perſonarum diuinarum cognoſcatur, iuuat illam cum aliarum vnaquaque comparare. Quod vt hoc libro præſtemus, diſpiciendum erit, primò num omnes habeant inter ſe æqualitatem, deinde num ordinem aliquem aut prioritatem, tertiò exponenda erit earum circuminſeſſio, ſeu mutua inexiſtentia, & περιχώρησις; quartò diſputandum de ipſarum inter ſe miſſione, quintò de quibuſdam agemus in hoc myſterio loquendi modis. Denique liber hic, & totus de Trinitate tractatus claudendus erit myſticâ Sapientiæ, quâ Deus qualis eſt, cognoſcitur, contemplatione.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

De personarum diuinarum æqualitate inter se.

1. CIRCA personarum diuinarum inter se mutuam comparationem, quæritur primò, num, & quam æqualitatem habeant? Respondeo. Considerare possumus personas diuinas, vel quatenus eandem habent naturam, diuinitatisque substantiam, in qua sunt vnum absque vllo discrimine; vel quatenus personalibus proprietatibus distinguuntur. Quoad priorem considerationem dico. Ex eo quòd personæ diuinæ inter se habeant identitatem, & indiuiduam substantiæ simplicissimæ vnitatem, sequitur necessariò, summam esse inter illas perfectionis (quæ in rebus spiritualibus locum obtinet quantitatis, & molis) æqualitatem quoad ea omnia attributa, quæ ipsam substantiam vel constituunt, vel sequuntur. Vnde Filius in Symbolo Athanasij dicitur; *Æqualis Patri secundùm diuinitatem.* Et ibidem dicitur; *Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus.* Quemadmodum similiter eorum quilibet dicitur *Immensus ac æternus*, idque non per multiplicatam, sed per eandem numero perfectionis formam. Vbi verò eadem perfectio numero reperitur, non potest secundùm eam vlla esse ratio maioris, aut minoris. Æquale autem (vt docet Aristoteles *libro* 10. *Metaphys.*) dicitur per negationem maioris, aut minoris, atque importat negationem excessus; & quemadmodum Euclides, cæterique Geometræ demonstrant, rerum æqualitas in eo consistit, quòd vna nec maior sit, nec minor quàm altera. Quare Athanasius, cùm in Symbolo dixisset, *in hac Trinitate nihil esse maius, aut minus*; subdit *totas tres personas esse sibi coæquales.* Cui simile est, quod ait Concilium Toletanum sextum in confessione fidei, *Ideò Personas esse æquales, quia illa natura, in qua vnum sunt, non recipit magis, nec minùs.*

2. Aduertendum hîc primò, quamuis non omne quod est simile, sit æquale; id tamen omne quod est æquale, habere similitudinem. Quare diuinæ personæ, quò maiorem habent in natura æqualitatem, eò maiorem habent similitudinem. Ex quo factum est, vt Patres quidam, alioquin catholici & consubstantialitatis assertores, personas non recusarent ὁμοιοῦς, seu in essentia similes dicere; idque satis perperam, quatenus dicere ὁμοουσίους reformidabant; non aduertentes tam propè se in loquendi modo ad Arianos ὁμοιουσιαστὰς accedere, quàm à Sabellianis recedere studebant, ὁμοούσιου nomen respuendo, ne in Trinitatem viderentur vt naturæ, sic & personalitatis identitatem inducere. Eo modo Patres Ancyranæ Synodi in anathematismo tertio (quem Hilarius refert in libro de Synodis) contra rigidos Arianos, seu Anomæos non sat cautè his decretum verbis edidêre: *Si quis vnigenitum Filium non dixerit similem essentiâ* (ὁμοιούσιον) *qui Dei imago iuxta essentiam dicitur, anathema sit.* Vbi quem ὁμοούσιον refugiunt dicere; sensu tamen catholico similem in perfecta essentiæ identitate confitentur, idipsum affirmantes quod refugiunt. Timebant scilicet, ne τὸ ὁμοούσιον, sonaret

fundamenta terræ, cùm conspexerit illa Deus, tremore concutientur. Sed & quantumvis aliquis virtutem colat, debet velut metu suspensus Deum prouidere in conspectu suo semper omnia coràm intuentem, etiam minutissima; sic vt nullus inordinatus sit humani cordis motus, nulla sit inclinatio leuissima voluntatis, quemadmodum nullus arteriæ micantis pulsus, nulla decidentis pluuiæ gutta, nulla vndarum crispatio, nihil denique tam exiguum, & tam nihil, quod non ille attentissima acerrimaque intuitione per omnem æternitatem perinde considerauerit, ac si tota sua intelligendi vis in vnicum illorum obiectorum intenta esset, nec aliud foret in mundo possibile cogitatu. Quemadmodum enim Dei essentia vi immensitatis in omnibus loci punctis tota & integra reperitur; sic etiam vis intelligendi illi essentiæ commensa habet talem velut immensitatem, vt tota & integra in quolibet etiam indiuisibili obiecto (cuiusmodi est, verbi gratiâ, minimus in vno aliquo pulicis crure articulus) occupetur.

12. Porrò cùm Deus non magis ea quæ præsenti fiunt tempore, quàm ea quæ vel præterito extiterunt, vel futuro extitura sunt, palàm in oculis habeat, non minorem debet iniicere nobis curam diuina præteritorum nostrorum actuum memoria, vel futurorum præuisio, quàm intuitio præsentium. Postquam enim præsenti se peccato (verbi causâ Iudas) obstrinxit, licèt facinus eius physicè prætierit, perseuerat tamen ipsum in memoria Dei, nec minùs hunc lacessit ac irritat suâ illâ morali, seu habituali, quàm reali actualique præsentiâ; cùm malitiam & virus, quod initio natiuum habuit, nequaquam temporis longinquitate deponat, donec illud diuina benignitas condonatione extinguat. Cùm autem ignotus est semel peccatori (putà diuo Petro) malus suus actus, omne tunc, vt ita dicam, in illo crimine (velut in mortuo colubro) venenum extinguitur. Manet tamen etiam post obtentam veniam (sed velut historicè tantùm & innocuè) in memoria Dei, quòd tale crimen extiterit. Vbi magnum vides inter Apostolorum eorum peccata discrimen. Iudæ enim scelus, cùm remissum non sit, viuit ac viget, eamdem quam dum committebatur exercens vim Deum prouocandi & acuendi: negatio autem Petri, vtpote noxæ exempta, non habet aliud quàm fuisse, & existentiæ denominationem extrinsecam.

13. Quemadmodum scientia visionis actionum nostrarum præteritarum debet peccatores non leui metu percellere, sic & scientia, quâ Deus actiones futuras, & vltimos hominum euentus coràm intuetur, omnium debet hominum confidentem arrogantiam fastumque comprimere, vt vnusquisque pendens hæreat animi, suæ salutis incertus. *Cùm in futurum omnia seruentur incerta, quando tandem apparebit quid erimus, & tempus omnis rei tunc erit.* Nemo igitur, quantoscumque in virtute progressus habere sibi videatur, suis tribuat plus æquo meritis; nec illos præ se homines aspernetur, quos vitiis, vt nunc est, deditos existimat. Quis nouit qualem se denique futurum Dei oculus nunc videat? Fortè quos vt impios nunc odisti, eos odisti quos Deus præ te elegit in Sanctos insignes, & magnam prædestinauit ad gloriam.

14. Supra omnem quidem est

adorationis venerationem, quòd paterna sapientia ad Filium, quem per fœcunditatem sibi superadditam generat, illabatur (vt Cyrillus *lib. 5. in Ioannem* loquitur) ἀπαραλλάκτῳ ταυτότητι, immutabili scilicet, alternationisque nescia identitate: at quod eadem illa sapientia ad Angelos & homines quadam creata sui similitudine delabatur, omnem admirabilitatem superat. Ordinem aliquem sacrum ait Dionysius à diuina super cœlos institutum esse Sapientia, qui sacra illuminationis suæ mysteria celebret, supremis spiritibus medios, & his infimos edocentibus; ita vt cuncti eruditionis à Deo defluæ radiis consecrentur, & alteri ad alteros speculorum instar lumen scientiæ transmittant. Cuius luminis effusio nequaquam cælestibus tribus Hierarchiis definiatur, sed longiùs pertinens descendat per Angelos infimos ad quartam velut hierarchiam, terrestrem scilicet ac humanam, quæ cælestibus illis iunctá hierarchiis, vnicam cum iis Ecclesiam constituat. Ea verò terris concessa Sapientia non desinit obuia passim, expositaque omnibus occurrere mortalibus. *Ipsa foris prædicat, in plateis dat vocem suam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum vrbis profert verba sua, dicens: Vsquequò paruuli diligitis infantiam, & stulti ea quæ sibi noxia sunt, cupient? Conuertimini ad correptionem meam.* Prouerb. cap. 1. Sed & illa ipsa sapientia, vt habetur eiusdem libri cap. 9. suos ministros habuit Apostolos, aliosque diuinæ buccinatores doctrinæ. Quantos autem Christiani ab Apostolis Euangelicæ perspersi sale sapientiæ progressus sanctitatis habuerint, luculentum ostendêre specimen innumerabilium victoriæ Martyrum, qui heroïcis ipsis, apostolicisque ferè temporibus claram pro Christianæ Religionis dignitate mortem oppetierunt. In qua Christiana Religione hoc primum Catholicæ sapientiæ effatum habetur, vt in Trinitate diuinam, quà generantem, quà genitam fideles agnoscant venerenturque Sapientiam.

LIBER

Videt infinitas rerum ſpecies ſub ſingulis generibus, & infinita ſub ſingulis ſpeciebus indiuidua poſſibilia, & poſſibiles infinitorum huiuſmodi indiuiduorum replicationes, atque eorum inter ſe comparationes infinitas. Eorumdem itidem ſingulorum opera; quid facere, quid pati poſſint infinitis modis, iuxta diuerſitatem obiectorum, applicationum, auxiliorum, diſpoſitionum, &c. *In Dei ſapientia*, inquit Auguſtinus, *ſunt immenſi quidem, atque infiniti theſauri rerum intelligibilium, in quibus ſunt omnes inuiſibiles, atque incommutabiles rationes rerum etiam viſibilium, & mutabilium, quæ per ipſam fieri poſſunt.*

8. Cum prædictis ſimplicis intelligentiæ cognitionibus, in quibus reſidet paternitas, infinitæ ſunt, quæ vocantur contingentes cognitiones, ſiue illæ pertineant ad ſcientiam intuitiuam obiectorum abſolutè exiſtentium; ſiue pertineant ad ſcientiam mediam obiectorum conditionatorum. Eſt verò hîc attendendum has cognitiones contingentes non addere Deo quicquam intrinſecum, ſed tantùm denominationem extrinſecam. Cognitio enim ſimplicis intelligentiæ ad Dei eſſentiam pertinens verſatur tam perfectè, tam acriter, & efficaciter circa res poſſibiles, vt ſine additione vllius nouæ perfectionis intrinſecæ, de abſtractiua fiat per ſeipſam ſeu intuitiua obiecti, quod ſupra poſſibilitatem habeat futuritionem abſolutam; ſeu repræſentatiua obiecti conditionati, quod futuritionem habiturum eſſet, ſi, &c. Ex contingente autem obiectorum huiuſmodi, vel abſolutè, vel conditionatè futurorum cognitione, provt nullam dicente ſuperadditam Deo perfectionem intrinſecam, non fit Æterni Filij generatio, cùm non poſſit (vtpote neceſſaria) fundari in vllo contingenti: ſed neque vi generationis primariò communicatur talis cognitio, quatenùs contingens; nam ſolùm communicatur eſſentialis ſcientia, ſeu ſapientia, quæ fundamentum eſt paternæ fœcunditatis. Non enim Pater communicare poteſt id quod non habet in vllo priori antequam generet: atqui non habet in priori cognitionem contingentem, cùm in ea non fundetur generatio.

Encomiaſticum Deo cum Patre colloquium.

9. Sapientiam tuam, Pater Æterne, quâ creati ſunt, laudent omnes populi; & eam quâ conſubſtantiale Verbum producis, fœcunditatem, vtraque, cœleſtis terreſtriſque reciprocis hymnis nuntiet, ac celebret Eccleſia. Quis admirabilitatem iſtius tuæ genitalis ſapientiæ, quæ & alterum à ſe realiter diſtinctum generat, & cum illo ipſo eſt vnum altero, dignâ ſatis queat adoratione proſequi? Sed nec minori dignum eſt admiratione, quod eſſentialis tua rerum poſſibilium cognitio queat eadem inuariata promiſcuè eſſe obiectorum, ſiue merè poſſibilium ſimplex intelligentia, ſiue etiam futurorum intuitiua ſcientia; ita vt eſſentialis intellectio à futuritione, & determinata non futuritione obiecti ſui poſſit abſtrahere, ac ad alterutrum tendere contradictionis membrum, nempe ad eiuſdem obiecti ſui definitam vel futuritionem, vel non futuritionem. Id, inquam, perinde mirabile eſt, ac ſi coloris daretur aliqua forma, quæ ſine ſui mutatione poſſet iuxta exigentiam alicuius

negotij dare effectum formalem seu nigri, seu albi. Atque sic apparet, ipsum actum cognitionis diuinæ indifferenter habere se ad obiecta diuersa; quemadmodum in nobis potentia intellectiua se habet indifferenter ad diuersos actus.

10. Verùm, siue tuam, Deus, essentialem scientiam, quæ est simplicis intelligentiæ; siue contingentem, quæ dicitur visionis, considero, non possum, quin vt in illa gloriationis causam, sic in ista consolationis simul & timoris occasionem inueniam. Primò enim quid gloriandum magis in tua essentiali scientia, quàm nostræ & existentiæ & felicitatis possibilitatem cum tuæ intellectualis fœcunditatis admirabilitate ita consertè & inextricabiliter se habere, vt altera sine altera neque esse possit, neque intelligi; ita vt Filius tuus æternus eam, quam nostri notitiam habes, pro sua quodammodo stirpe agnoscat, & sit tanquam eius, si fas ita loqui, progenies. Hanc tuam, Christiana mens; perpende dignitatem, & vide quàm nobili, quàm antiqua cognatione cum diuino Verbo sis deuincta? Vt tantæ valeas gloriæ respondere, conandum imprimis tibi est, ne irritam aut inertem reddas illam, quam diuina sapientia essentialiter nouit tuæ sanctitatis, felicitatisque æternæ possibilitatem. Sed quoniam diuina simplicis intelligentiæ scientia non ita possibilitatem felicitatis tuæ amplectitur, quin & se ad tuæ perniciei possibilitatem cognoscendam extendat, tuum est præstare, vt ne huiusmodi funesta possibilitas in rem actualem conuertatur, & ne infestum obiectum simplicis intelligentiæ, obiectum intuitiuæ scientiæ fiat. Vt enim simplicis & essentialis intelligentiæ obiecta, quæcumque illa sint, subtrahi per nos, amouerique non possunt; sic nostri omnino est consilij atque arbitrij, vt perniciosa obiecta scientiæ intuitiuæ auferantur atque impediantur. Cum enim diuina humanorum actuum intuitio id spectet quod libertati creatæ placuerit, & prærogatiuam sequatur nostræ electionis; nostræ cautionis est satagere, vt re non alios Deus nos videat futuros, quàm quos nos fore expedit.

11. Itaque diuinam perspicacitatem timeant quicumque nefaria scelera consciscunt, pertimescant obscœni, nec sperent flagitia sua nocturnis tenebris à diuino posse remoueri conspectu. Audiant Ecclesiasticum, qui *cap.* 23. asserit dementem illum esse, *Qui dum transgreditur lectum suum, dicit: Quis me videbit? Tenebræ circumdant me, & parietes operiunt, & nemo circumspicit me. Quem vereor? Delictorum meorum non memorabitur Altissimus.* Quanta in ignorantia versetur quisquis talia cogitat, hac in eum obiurgatione docet ipse Ecclesiasticus, dum continenter addit: *Non intelligit, quoniam omnia videt oculus illius, & non cognouit, quod oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes.* Apud eundem illum significatur *cap.* 16. quantum facinorosis terrorem incutere debeat quæ in Deo est scientia visionis, & perciti, atque in vindictam exardescentis maiestas Dei, cœlum & terram solo quassantis aspectu: *Ecce*, inquit, *cœlum & cœli cœlorum, abyssus & vniuersa terra, & quæ in eis sunt in conspectu illius commouebuntur: montes simul & colles, &* funda-

vomuit, diu ſegne fuit, quominùs orbem omnium gentium variâ peſtilentium doctrinarum aſpiratione afflaret. Inde enim tumido proceſſit inflata faſtu Ethnicorum Philoſophia: inde peruerſa mundanæ prudentia Politices: inde etiam deteſtabilis res abſtruſas ope dæmonum inueſtigandi curioſitas: inde tandem ſacrilega eorum impietas, qui diuini Numinis veritatem aut doceri negligunt, aut inuerecundè ſcrutantur.

3. Quare germana ſapientia, qualem ſuus Adamo Creator indiderat, non alibi quàm in Deo quærenda eſt; neque locum vbi eam inuenire poſſent, intelligebant veteres illi Philoſophi, Pythagoras, Plato, & alij, qui vt aliquod eius ſimulacrum quærerent, ad barbaras gentes diuerterunt, apud quas Diogenes Laërtius affirmat qualemcumque illam humanam, quæ ſola in orbe viguit, primùm natam eſſe ſapientiam; ita vt illius ſurculi non aliunde fuerint deſumpti, quos poſtmodùm Græci Philoſophi in patria ſua ſeuerint. Nominatim autem ab Ægypto illos in Græciam tranſlatos fuiſſe ſurculos teſtatur Euſebius *de præpar. Euang. libro* 10. *cap.*1. & *lib.*13.*cap.* 10. In ſua enim Ægyptiaca ſeruitute Iudaïcus populus, imprimiſque Patriarcha Ioſephus, quandiu rerum ibi, factus Regni Miniſter, potiebatur, ea ſparſerat diuinæ ſapientiæ ſemina, quæ poſteà Infideles indigenæ aliis longè diuerſi generis ſeminibus miſcuerunt, & peruerſa cultione ita corruperunt; vt ex huiuſmodi vitiatis ſeminibus honteñſia ceparum olerumque putidorum numina germinarint, ac tandem Mercuij præſertim Triſmegiſti inſtitutione, in ſpecioſorum ebullierint dogmatum viriditatem, & in compitalitiorum hieroglyphicorum ęnigmatica documenta quandam veræ Religionis auram ſpirantia.

4. Hi autem exotici ſapientiæ fructus nequaquam deinde mutato ſolo in Græcia euasêre meliores, ſed cum quibuſdam naturalis ſcientiæ præceptis opertaneam magiæ diſciplinam habuêre coniunctam. Quam ipſam Græci magiæ diſciplinam mutuati ſunt à Barbaris, apud quos deteſtabilis ea mentis humanæ curioſitas iam inde à primorum ſæculorum memoria plurimùm valuit, ante ipſam etiam eluuionem Noëmicam. Habeturque ex Arabum monumentis, Reges tunc in Ægypto quindecim ex Caïni ſtirpe imperitaſſe, ſacerdotali & magicâ inſignes ſcientiâ, quam Chamus Noëmi filius, apud eos commoratus didicerit, & poſt diluuium propagarit. Celebrem in Ægypto magicen fuiſſe conſtat ex priſco illo Pharaone, qui ad ſuum de ſeptem vaccis ſpiciſque ſomnium interpretandum miſit (vt ait Scriptura ſacra) ad omnes coniectores Ægypti, cunctoſque Sapientes. Sed & huiuſmodi Sapientes poſt ducentos annos ab alio Pharaone (qui Cenchres, ſi Euſebio fides; Rhatos, ſi Affricano, vocabatur,) ſibi Moſes teſtatur obiectos, quorum principes à ſancto Paulo Iannes & Mambres proferuntur. Aliis gentibus omiſſis, Græci ad rabiem, non ad auiditatem modò, inquit Plinius, deteſtabili huic curioſitati fuerunt addicti. Eaque continuis quà Philoſophorum, quà cæterorum, qui doctrinæ laude apud illos floruerunt, ſucceſſionibus non cuſtodita modò, ſed latè propagata fuit. Cui execrandæ ſcientiæ maximam opem attulit idololatria, quam non ingenij curioſitas, vt magiam;

ret idem quod τὸ ταυτούσιον; atque ita viderentur in Sabellianiſmum impingere.

3. Secundò aduertendum eſt, nonnullos ex aduerſo Patres noluiſſe dici ſimilitudinem perſonas inter diuinas, ſed potiùs identitatem. Sic Baſilius *epiſtola* 141. negat in diuinis eſſe ὁμοιότητα; ſed eſſe ait ταυτότητα. Quod videtur eſſe ſatis philoſophicum. Vt enim ſimilitudo dicitur, quæ in qualitatibus; ſic indentitas, quæ in ſubſtantiis fundamentum habet. Quod autem æqualitas in perſonis diuinis aſſeri debeat ratione identitatis ſubſtantiæ, conſtat ex Apoſtolo Philipp. cap. 2. *Non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo.* Porrò vt æqualitas affirmetur, neceſſe quidem eſt vt duo extrema æqualia diſtinctionem aliquam realem habeant; non tamen opus eſt, vt id, in quo æqualitas fundatur, multiplicetur, diſtinctionemque realem habeat. Quare in perſonis diuinis habentibus realem perſonalitatis diſtinctionem, ſufficiens eſt æqualitatis fundamentum in eſſentia, licèt vnicâ, & ſimpliciſſimâ. Quin etiam æqualitas tantò maior eſt ac perfectior, quantò ſimplicius, & immultiplicatius habet fundamentum.

4. Tertiò aduertendum eſt, æqualitatem plus eſſe, quàm ſimilitudinem. *In ſpeculo* (inquit Auguſtinus libro 83. quæſtionum, quæſtione 74.) *eſt imago hominis, quia de illo expreſſa eſt; eſt etiam neceſſariò ſimilitudo, non tamen æqualitas, quia multa deſunt imagini, quæ tamen inſunt illi rei, de qua expreſſa eſt. Vbi æqualitas, continuò ſimilitudo, non continuò imago; velut in duobus ouis paribus, quia ineſt æqualitas, ineſt & ſimilitudo; imago tamen non eſt, quia neutrum ab altero expreſſum eſt.* Hæc Auguſtinus, qui dum ait ſimilitudinem continuò ibi eſſe vbi eſt æqualitas, intelligendus eſt de ſimilitudine, quæ non ſit ſpecialis illa naturæ ſimilitudo, ſecundùm quam generatio fieri debet; hæc enim ſimilitudo non eſt coniuncta cum æqualitate in Spiritu ſancto, in quo reperitur ſumma æqualitas, at non ſpecialis illa ſimilitudo, quam habet ſecunda perſona incluſam in ratione imaginis, & generationis. Quartò denique aduertendum eſt, hanc relationem æqualitatis perſonas inter diuinas non eſſe realem. Quādoquidem licèt ſit inter extrema realiter diſtincta, non tamen habet in ipſis extremis fundamentum multiplicatum realiter; nam fundatur in ſubſtantiali perfectione naturæ diuinæ. Sic etiam in duobus parietibus, qui eandem numero haberent albedinem, non videtur futura niſi rationis relatio. Vt enim duo illi parietes referri intelligantur, oportet ipſum fundamentum referri ad ſeipſum; quod nequit, niſi ipſummet per rationem quodammodo multiplicetur. Hactenus egimus de perſonarum inter ſe ob naturam diuinam æqualitate.

5. Sed difficultas eſt, ſi iuxta alteram conſiderationem numero primo propoſitam perſonas comparemus ſecundùm tres proprietates diſtinctas, aut ſecundùm relationes quatuor. Videtur enim eſſe in illis perfectionis inæqualitas; quandoquidem paternitas, cùm ſit à ſe, nec oriatur ab vllo alio, nobilior eſt filiatione, quam producit; & ſpiratio actiua in Patre & Filio ſuperat item nobilitate ſpirationem paſſiuam. Quis enim neget perfectius ac beatius eſſe dare quàm accipere exiſtentiam? Confirmatur: nam inde eſt, quòd

inter personas est ordo prioris & posterioris; atque illæ personæ, quæ producunt, censeantur esse priores; quæ autem producuntur, posteriores. Confirmatur item: nam relationes differunt quasi specie in ratione respectiua; ea verò quæ differunt specie, semper sunt perfectione inæqualia, ex Aristotele *in* 8. *Metaphys.* Necesse est enim, vt quæ sic differunt, habeant diuersam quantitatem perfectionis; diuersitas autem in quantitate facit inæqualitatem, sicut diuersitas in qualitate facit dissimilitudinem. Propterea non defuêre nec Patres, nec Theologi, qui concederent paternitatem secundùm propriam rationem relatiuam dicere maiorem perfectionem, quàm formaliter dicat filiatio. Atque idem est de spiratione actiua respectu spirationis passiuæ.

6. Inter Patres inueniuntur sanè multi, & insignes, qui inæqualitatem personas inter diuinas ratione proprietatum relatiuarum agnouerint; & qui dictum illud Christi, *Pater maior me est*, Ioan. 14. intellexerint de ipso Christo non solùm vt homine, sed etiam vt Patris Æterni Filio. Sic Basilius *lib. 3. aduersus Eunomium*; dixit, *Spiritum sanctum esse dignitate tertium*, καὶ ὑποβεβηκέναι τὸν υἱὸν τῇ τε τάξει, καὶ τῷ ἀξιώματι: hoc est, *inferiorem esse Filio, eique subesse ordine & dignitate.* Idem ibidem, cùm Filium Patri comparat, sic ait: ὁ υἱὸς τάξει μὲν δεύτερος τοῦ πατρὸς ὅτι ἀπ᾽ ἐκείνου· καὶ ἀξιώματι, ὅτι ἀρχὴ, καὶ αἰτία τοῦ εἶναι αὐτοῦ ὁ πατήρ. *Filius nempe ordine quidem secundus est à Patre, quoniam est ab illo: & dignitate, quoniam principium & causa vt sit ipse, Pater est.* Nazianzenus orat. 40. οὐ κατὰ τὴν φύσιν τὸ μεῖζον· τῷ δὲ αἰτίῳ δή: *Non scilicet Pater maior dicitur secundùm naturam, sed secundùm rationem causæ.* Cui simile est quod oratione 36. habet, *Filio maiorem esse Patrem, quòd Filius à Patre omnia accepit, naturæ ratione, non gratiæ.* λόγῳ φύσεως, ἀλλ᾽ οὐ χάριτος. Non abnuit Chrysostomus *homil.* 5. vbi ait, εἰ λέγοι τις μείζονα εἶναι τὸν πατέρα, καθ᾽ ὃ αἴτιος τοῦ υἱοῦ, οὐδὲ τοῦτο ἀντεροῦμεν. *Si quis Patrem dixerit maiorem esse filio, secundùm quod causa est, nihil repugnabimus.* Idipsum planè Isidorus Pelusiota, ὅτι καὶ τὸ μεῖζον ἵσταται τοῦ γεννήτορος· καὶ τὸ ἴσον καθ᾽ ὃ θεὸς, καὶ ὁμοούσιος. Accedat & Damascenus qui *lib.* 1. *cap.* 16. ait Patrem esse maiorem Filio, κατὰ τὸ αἴτιον· τοῦτ᾽ ἔστι, ὅτι ὁ υἱὸς ἐκ τοῦ πατρὸς ἐγεννήθη. Denique Augustinus lib. de fide & symbolo, *Patrem ait esse maiorem, quia Filius debet Patri quod est; hoc vtique, quòd eidem Patri æqualis, aut par est: Pater autem nulli debet quicquid est.*

7. Meliùs tamen videtur, si dicamus relationes diuinas, provt sumuntur secundùm suas proprias rationes, non habere perfectionis inter se inæqualitatem, sed potiùs habere summam æqualitatem. Quæ quidem æqualitas lõgè diuersa est ab ea æqualitate, quæ fundatur in diuinitatis idẽtitate; & non tantùm distinctionem extremorum, sed etiã ipsius distinctionem, ac multiplicationem fundamẽti (quod non est aliud quàm ipsum esse relatiuum) importat. Quare hæc æqualitas relationem dicit realem; quæ tamen non sit vlla superaddita perfectio, seu ratio obiectiua; nec alia quàm ipsa paternitas, & filiatio, seu spiratio actiua, & spiratio passiua; sed sit instar cuiusdam relationis prædicamentalis à suo fundamento indistincta, & potiùs quædam realis referibilitas,

ribilitas, seu fundamentum ipsum reale relationis, quâ mens nostra paternitatem, filiationem, &c. inter ipsas formaliter referat vt æquales. Probatur autem prædicta inter has relationes æqualitas. Tum primò, quia hæ, vtpote diuersissimi inter se generis, vix possunt inter se comparari: quemadmodum nemo dixerit longitudinem, quæ est in genere lineæ, inæqualem esse latitudini, quæ est in superficie; aut profunditati, quæ est in corpore. Vt enim quantitas aliqua dicatur alteri quantitati æqualis, oportet vtramque quantitatem comparari posse, & esse eiusdem rationis. Tùm secundò, quia filietas, & spiratio passiua, quamuis existant per solam originationem à suis principiis, non tamen ab his existunt cum vlla dependentia, nec minorem habent, quàm hæc, necessitatem existendi. Vnde fit, vt non accipiant existentiam quasi precariò, & ex indigentia; nec dici possint per actiuitatem suorum principiorum educi à non esse ad esse. Atque hoc modo negatur esse perfectius dare, quàm accipere. Tam perfectum enim est accipere existentiam sibi ex omni necessitate, ac velut omni iure debitam, quàm ita dare ipsam, vt is qui dat, non possit non prædictæ iuris necessitati seruire, nec maius ipse ius ad eam habeat, quàm is qui accipit. Tùm etiam tertiò, quia quicquid perfectionis est in paternitate, & spiratione actiua, id totum redundat in filiationem, & in spirationem passiuam. Non enim illæ duæ fœcunditates esse habent, nisi propter has duas à se productas relationes. Quare filietas, spiratioque passiua perfectiores euadunt ex ipsa suorum principiorum perfectione, nec inde minores esse possunt, vnde crescunt. Tum denique quartò, quia tantam omnes relationes identitatem, & confusionem habent in essentia diuina, in qua est omnium supereminentia perfectionum, vt per eam identitatem omnis absorbeatur perfectionis inæqualitas, quæ in ipsis relationibus considerari posset.

8. Ad hanc confirmandam doctrinam accedit & sanctorum Patrum authoritas, qui æqualitatem diuinarum inter se personarum, non modò ratione communis substantiæ, sed & ratione proprietatum relatiuarum adstruxerunt. Basilius enim quarto contra Eunomium negat esse Filio maiorem Patrem, etiam κατὰ τὸ αἴτιον, id est, *in eo etiam quod Pater producens est, Filiusque productus.* Quod autem sanctus hic Pater à nobis numero 6. adductus, dixerit præcedenti tertio libro Filium esse dignitate inferiorem, & à Patre secundum; non aliud videtur asserere voluisse quàm originis in Patre prioritatem, vt in Filio posterioritatem, qualem nos capite sequenti explicabimus. Clarè quid hac in re sentiat, exponit Cyrillus in epitome dialogorum, his verbis: ἐπὶ τῆς ἁγίας τριάδος τὸ πατὴρ, καὶ τὸ υἱὸς, καὶ μὴν, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα οὐχ ὑπεροχῆς τινος ποιεῖται δήλωσιν: *Patris*, inquit, *Filiique ac Spiritus sancti nomen excellentiam omnino nullam eas inter personas significat.* Quare Concilium Sardicense in epistola Synodica videtur indicare, nullam esse, nisi solo Patris nomine tenus, prioritatem in prima persona; nec posteriorem esse Filium, nisi quòd nomen habeat Filij. Non aliam scilicet agnoscit inæqualitatem, quàm quia in communi inter homines sermone augustius sit Patris, quàm Filij

nomen: ὅτι τὸ ὄνομα πατρὸς, inquit, μεῖζόν ἐστι τοῦ υἱοῦ. Gregorius Nyssenus *lib.1. contra Eunomium*, ait Spiritum sanctum nullam aliam, nisi ordinis, habere differentiam à Filio, qui sola cogitatione secundùm rationem principij priùs consideratur productione Spiritûs. Facere videtur etiam pro hac nostra sententia locus Hilarij, ipso libri vndecimi initio, licèt complexionem paulò obscuriorem habens, his verbis: *Deum nasci non est aliud, quàm in ea natura esse, quâ Deus est. Quia nasci, cùm causam natiuitatis ostendat, non disproficit tamen in genere authoris existere. Quod autem non disproficit in genere, debet quidem authori causam natiuitatis suæ; naturam tamen ex se non amisit authoris, quia natiuitas Dei neque aliunde, neque aliud est.* Vbi videtur velle, Dei natiuitatem, seu filietatem nihil aliud esse, quàm accipere & possidere eandem numero cum Patre dignitatem. Fieri autem non potest, vt qui eandem dignitatem accipit, minorem accipiat; neque vt id, quod totum integrumque accipitur, per ipsam minuatur, ac extenuetur acceptionem: atque ita filius intra suum authorem constituatur hoc ipso, quòd illi summa communicatur æqualitas.

9. Ad rationes in contrarium numero 5. superiùs allatas, respondetur ex iam dictis. Licèt beatius sit dare, quàm eo modo accipere, quo creaturæ accipiunt cum dependentia, & gratuitò, ac sine vllo donatarij iure, quod summam necessitatem inferat donanti; non tamen beatius est dare, quàm eo accipere modo, quo personæ diuinæ accipiunt; quem modum iam suprà explicuimus, *numero* 7. Ad priorem confirmationem sumptam ab ordine prioris ac posterioris, satisfit ex dicendis capite sequenti. Ad secundam confirmationem, negatur omnem diuersitatem, quasi specificam, importare secum inæqualitatem perfectionis. Idque quod dixit Aristoteles, valere potest ad summum inter creaturas. Quod attinet ad authoritatem Patrum, ea varia est. Et illorum nonnulli, qui alicubi nobis aduersari videntur, alibi planè nobiscum sentiunt, vt apparet in Basilio à nobis allato superiùs, *num.6. &* 8.

10. notandum est ad relationem identitatis, seu æqualitatis in natura essentiaque diuina fundatæ pertinere, nec ab ea differre commemoratas sæpiùs à sanctis Patribus (vt videre est apud Ruis *disp.*103. *sect.*9.) relationes societatis, consortij, communionis, consonantiæ, & vnionis inter personas diuinas. Ita Basilius *lib.de Spiritu sancto, cap.*19. docet, *esse tribus personis naturæ consortium.* Et *cap.*16. ait, *arctissimam Spiritus sancti cum Patre & Filio societatem.* Damascenus lib. de duabus Christi voluntatibus, *Quod vnum est ac solum* (inquit) *à societate & communione abhorret, ac insuaue est; societate autem coniungi cum iis, quæ eiusdem sunt generis, iucundum, & suaue. Ob eam causam prima hac, & principio carens natura tribus in personis conspicitur.* Ab Ambrosio Spiritus sanctus dicitur, *consors Paterni luminis*, in hymno quem Ecclesiæ concinit. *Amoris inter personas societatem* admittit post Hilarium Thomas *in* 1. *distinct.* 14. *quæst.* 2.

CAPVT

CAPVT II.

An personæ habeant inter se ordinem: & an prioritatem.

1. QVæritur secundò, an inter personas diuinas intercedat aliquis ordo, & secundùm hunc aliqua prioritas. Quod ad ordinem attinet, certum est, eum simpliciter admittendum esse in Trinitate cum Diuo Thoma *quæst.*42. *art.*3. quandoquidem non est in Deo perturbata, confusáque multiplicitas; atque necesse est eo modo esse ordinem, quo est principium. Quia igitur in diuinis est principium originis, conficitur esse in iisdem ordinem originis. Qualem ordinem asserendum necessariò esse ait Basilius epistola 300. *Spiritus sanctus, cùm Patri & Filio annumeratur* (inquit) *eo collocatur ordine, quem nos in Euangelio Dominus edocuit, dicens: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Qui autem præposuerit eum Filio, Dei ordinationi resistit, dum eum glorificationis modum non seruat, quem traditum accepit. Proinde noua ordinis compositio, ipsius existentia est euersio. Igitur peræquè est impium, vel in creaturarum conditionem deprimere Spiritum sanctum, vel ipsum ante Filium, vel Patrem ordine collocare.* Eódem pertinet, quod 3. contra Eunomium ipse Basilius dixit, *Spiritum sanctum esse secundum à Filio, tertium à Patre.* Et quod ait Hilarius lib.11. cap.2. *Patrem esse Filio maiorem*: non vtique nisi ob prioritatem, authoritatemque originis.

2. Ex his intelligitur ordinem, quo diuinæ personæ numerari solent ac proponi, fundatum esse à parte rei in earum exigentia, & in ipsa ratione personalis originis; ita vt is ordo non pendeat ab ordinantis, seu numerantis arbitrio; quemadmodum accidit cùm res promiscuè se habentes, & inter se nullam relationem habentes (putà nummi, &c.) numerantur. A talium enim rerum qualibet indeterminatè incipi potest enumeratio. Eo modo etiam se habent ea relata, quæ vocantur æquiparantiæ; quæ scilicet ita comparantur inuicem, vt æqualiter inter se dicantur, & nullum primum sit, nullum secundum, nullum tertium determinatè; nullum quod non possimus numerando ponere primo, vel quocumque alio loco. Quâ ratione se habent plures amici, plures similes, plures propinqui, plures condiscipuli, &c. Quilibet enim amicus, quilibet similis, &c. illos respicit, qui æquè & ipsi amici, & similes, &c. nominentur. Nec interest, quotum inter eos, hunc, vel illum numeres. At non ita est de iis relatis, quæ disquiparantiæ nuncupantur. Quamvis enim amicus eum qui item dicatur amicus suus, respiciat, vtpote amicus amici; non tamen pater, vt talis (exempli gratiâ) eum qui sit ipsius pater intuetur; cùm sui sit, non patris, sed filij pater. Atque huiusmodi relata qui recenseat, non filium primo loco, sed patrem nominare debet, &c. Hunc ordinem inter diuinas personas seruandum Augustinus 3. *contra Maximinum*, *cap.* 14. vocat *ordinem naturæ.* Quia scilicet, vt quidam interpretantur Thomistæ, non est liber, sed naturalis, seu secundùm naturalem originem. Verba Augustini sunt: *Non enim genitorem ab eo, quem genuit, mitti*

oportebat : verùm hoc non est inæqualitas substantiæ , sed ordo naturæ ; non quòd alter prior esset altero , sed quòd alter esset ab altero. Propter hanc extremam clausulam, quam addidit Augustinus,

3. Prioritatem omnem , siue ex natura rei , siue ex nostro intelligendi modo in diuinis negat Diuus Thomas cum suis , quos sequitur Molina *ad quæst* 42. *art.*3. Becanus *de Trinit.* *c.*8. *q.*3. *&c.* Propterea quòd in diuinis non est nisi relatio , & essentia : atqui in essentia non potest esse prioritas , cùm sit vna ; relationes autem sunt simul naturâ , & intellectu : ergo, &c. Adde quòd Pater non sit, neque intelligi possit sine actione , neque actio sine termino. Similiterque Spirator se habet ad actionem suam , & terminum. Atque cùm hæc ratio non valeat , si Patrem aut Filium cum spiratione , vel etiam cum Spiritu sancto comparemus , ait Becanus non repugnare , quin Pater & Filius dicatur prior Spiratore , ac per consequens Spiritu sancto. Vt quid hac in re tenendum sit , definiamus,

4. Notandum est illos , qui in Arianorum grege reliquos impietate superarunt , eam in Trinitate prioritatem finxisse , quâ Pater Filium æternitate integra anteiret. Qui autem mitiùs ac moderatiùs impij fuerunt , nullam temporis , sed naturæ solius in Patre prioritatem , qualem in iis causis ex quibus effectus dependent , agnouerunt. *At fides orthodoxa omnibus* , vt ait Leo magnus , *existentiæ gradibus exclusis , nullam anteriorem , nullam posteriorem credit esse personam.* Catholici tamen Doctores communiùs asserunt originis prioritatem, consistentem in eo , quod Pater det Filio existentiam , quam ipse à nullo accepit : ὅτι προεπινοεῖται τοῦ υἱοῦ ὁ πατὴρ κατὰ τὸν ἀληθῆ λόγον τῆς πίστεως, inquit Gregorius Nyssenus. Vt autem ea prioritas originis , quæ negari non potest in iis personis , ex quibus aliarum ortus est , intelligatur , oportet illam distinguere à prioritate naturæ sumpta vt vulgò in Scholis vsurpatur , ex Aristotele *lib.*4. *Metaphysicæ , cap.*11. vbi ait , *ea esse priora naturâ , quæ possunt esse sine aliis ; hæc autem sine illis esse nequeunt.* Constat verò , vt productæ personæ sine producentibus esse non possunt ; ita nec producentes esse posse sine productis; cùm hæ non minorem , quàm illæ habeant existendi necessitatem , licèt hæ non nisi ab illis. Vnde fit non conuenire in personas diuinas prædictam naturæ prioritatem , quam optimè Ammonius ad Aristotelis categorias, capite de substantia , sic describit : *Illa* , inquit , *censentur naturâ priùs , quæ sublata secum tollunt altera, nec his sublatis ipsa tolluntur.* Aut, *quibus positis , altera ponuntur ; non autem hæc ponuntur illis positis.*

5. Nihilominus Scotus, Gabriel, Gregorius , Torres , & post hos Vasques *disp.*167. *cap.*2. & Suarez *lib.*4. *cap.*15. aliique vulgò non putant esse incóueniens admittere inter personas prioritatem quandam originis. Nec in re dissentit sanctus Thomas , aut alij ; cùm omnes fateantur vnam personam esse ab altera ; prioritas autem originis nihil aliud importet , quàm Patrem , seu Spiratorem esse eum , à quo est alius : quemadmodum posterioritas nihil dicit, nisi Filium & Spiritum esse eum , qui ab alio. Atque hic modus prioris & posterioris tantùm abest vt sit improbandus , vt eos aliqui ex sanctis Patribus damnent , qui

qui illum diuinarum personarum ordinem inuerterunt; vt videre est in sancto Basilio, quem numero 1. retulimus. Quamquam prudentiæ videatur esse, vt nunquam istiusmodi prioritatem originis vocemus prioritatem naturæ; quia inualuit, vt per prioritatem naturæ intelligamus propriam causalitatem, & diuersitatem naturæ inter producens & productum.

6. Ad rationes numero tertio allatas, quibus videtur omnis excludi à Trinitate prioritas, respondendum est, hanc prioritatem originis nullo modo pertinere ad essentiam, sed esse inter personales relationes. Quamvis enim relationes prædicamentales sint simul naturâ, & cognitione; certum tamen est, relationes transcendentales posse esse cum prioritate originis, imò inter creaturas cum prioritate naturæ, & cum dependentia vnius ab alia. Sic materia est prior quàm forma materialis ex se educta: sic & quælibet potentia prior est suo actu, ad quem transcendentaliter ordinatur. Relationes verò, quæ constituunt Trinitatem, non sunt prædicamentales, sed transcendentales, vt aliàs dictum est sæpiùs, & inducunt solam prioritatem originis. Quamvis porrò nec Pater sine actione productiua, nec actio productiua sine termino producto intelligi possit; tamen nec actio productiua, nec terminus intelligitur esse cum Patre, nisi vt ab ipso Patre existens.

7. Vt meliùs hæc originis in diuinis prioritas intelligatur, aduertendum est, non posse hîc vllo modo esse prioritatem *in quo*, sed tantùm *à quo*, si Patrem (& idem est de Spiratore) sumamus adæquatè, prout est in actu secundo genitor, & inuoluens actuale productionis exercitium. Si tamen solùm vim eam producendi consideremus, quam sine dubio is qui producit, habet (alioqui enim quomodo produceret?) potest catenus dici quodammodo prioritas in quo, siue actus primus. Quâ ratione Diuus Thomas *quæst.*40. *art.vltimo*, dicit relationem, secundùm quod est constitutiua personæ Patris, priorem esse, ac præintelligi ante actum. Atque ita multi passim Theologi de diuino intellectu, & voluntate, quasi in actu primo consideratis disputant, eo ferè modo, quo de potentiis, & causis creatis.

8. Verumtamen si in Deo principium generandi & spirandi accuratiùs attendamus, propriissimoque loquendi modo vtamur, non apparebit locus distinguendi actum primum ab actu secundo: quasi diuinus intellectus, seu voluntas forent potentiæ non inuoluentes quidditatiuè suum actum, & possent adæquatè concipi à nobis eo non concepto. Si enim res ad viuum resecetur, & quâ par est subtilitate dispiciatur, non deberet per mentem distingui generandi vis, & ex hac procedens actus. Sed tantummodò concipiendus est purissimus actus se solo existens, per seque ac sua vi subsistens, & prodiens ad esse absque vlla alia, quàm seipso, potentiâ. Quod videtur eo ipso modo voluisse Aureolus.

9. Hæc verò philosophandi ratio circa *prioritatem à quo*, provt sola in Deo generante, spiranteque reperitur sine *prioritate in quo*, aduertenda diligenter est, vtpote ad quasdam in hoc mysterio soluendas difficultates vtilis; & nominatim ad explicandum, quare Verbi generatio non fiat ex cognitione rerum contingenter futurarum; & quare illam cognitio-

gnitionem Verbum à Patre vi suæ processionis non accipiat. Certum enim est, Verbum procedere ex omni cognitione, quam Patrem concipimus habuisse in eo priori in quo fuit ante generationem. Atque ita, si concedatur ei *prioritas in quo* ante generationem, necesse est vt concedatur habuisse in illo prioritatis signo cognitionem omnium rerum contingenter futurarum; habuit enim cognitionem omnium veritatum: negari autem non potest, quin si detur *prioritas in quo*, vera fuisset in ea prioritate Antichristi futuritio, exempli gratiâ. Patet. Nam in eo priori potuisset dicere Deus Pater, *Antichristus existet*: non enim poterat dicere, *non existet*; quandoquidem verum est illum re exiturum. Ergo cùm Deus nullam veritatem ignorare potuerit, illam noscebat, ac per consequens ex illa Verbum genuit, illamque ei cum aliis cognitionibus omnibus, quas habebat, communicauit. Totus verò ille discursus, & in eo fundata difficultas cessat, si negetur aliam Deum Patrem habuisse ante Filium prioritatem, quàm *prioritatem à quo*, vt per se constabit meditanti. Ad eam enim *prioritatem à quo*, non pertinet cognitio rerum contingenter futurarum, cùm ex illa non generetur Filius cognitione, quæ potuisset non esse.

CAPVT III.

De Personarum circuminsessione.

1. QVæritur tertiò, an, & quomodo Pater, Filius, & Spiritus sanctus habeant circuminsessionem, seu mutuam inexistentiam, quam Theologi Græci περιχώρησιν vocant, & quam definit Bellarminus, intimam atque perfectam inhabitationem vnius personæ in alia. Eam Damascenus *lib. 3. cap. 5.* ita describit, vt sint in Trinitate *hypostases inseparabiles, & vnitæ, ac in se inuicem sine confusione commeantes, & sine separatione discretæ.* Ἀνεκφοίτητοι, καὶ ἀδιάστατοι ἀλλήλων, καὶ ἡνωμέναι, καὶ ἐν ἀλλήλαις περιχωροῦσαι. Eandem item graphicè describit Basilius epistola 43. vbi personas inter se inseparabiliter iunctas comparat catenæ, cuius si extremitatem vnam arripueris, alteram simul extremitatem attrahes. Ita si quis Filium sumpserit, habebit ipsum vtrimque adducentem, hinc Patrem suum, inde Spiritum sanctum: εἰ τὸν υἱόν τις λάβοι ἕξει αὐτὸν ἑκατέρωθεν, τῇ μὲν τὸν ἑαυτοῦ πατέρα, τῇ δὲ τὸ ἅγιον πνεῦμα συνεπαγόμενον. Illudque est, quod Patres Græci vocabulo περιχωρήσεως declarare voluerunt; cuius vocabuli vis sumitur ex duplici significatione verbi χωρεῖν, quod partim idem est atque accedere, siue incedere, aut commeare; partim etiam idem atque capere instar vasis, seu continere intra se, atque includere. Vnde περιχωρεῖν, & περιχώρησις ad istud transfertur denotandum mysterium personarum diuinarum, & in seipsas mutuò commeantium, ἐν ἀλλήλαις περιχωρουσῶν (vt loquentem Damascenum paulò ante retulimus) atque semet inuicem includentium. Quam porrò Græci περιχώρησιν, eandem ipsi appellant ἐνύπαρξιν, σύγκρασιν, ἕνωσιν, συνάφειαν.

2. Sunt nonnulli, qui hanc circuminsessionem, seu περιχώρησιν exponant per solam mutuam personarum omnium præsentiam secundùm locum,

locum, siue secundùm immensitatem, id est secundùm vbi immensum. Nihilominus Græcum nomen περιχωρήσεως vsurpatur à sanctis Patribus ad declarandam inexistentiam, quæ conueniat etiam rebus quæ immensitatem non habent, vt patet ex eo quod Nazianzenus dicat, ambas in Christo naturas (quarum vna non est immensa) εἰς ἀλλήλας περιχωρεῖν. Deinde quòd non ad veram propriamque circuminsessionem sufficiat omnes illas res, quæ sibi inexistunt, immensas esse ratione loci, aut ratione τοῦ ποῦ, vt loquuntur; manifestum est, quòd nemo dixerit duos Angelos, si ex suppositione per immensum locum ambo simul extenderentur, habituros circuminsessionem, & inexistentiam mutuam eodem sensu, quo illam personæ diuinæ habent. Requirit igitur vera propriaque circuminsessio, vt præter localem inexistentiam, sit etiam inexistentia ratione eiusdem indiuidualis naturæ, siue essentiæ. Quo modo tres personæ sibi inexistunt, & inseparabiliter copulantur diuinitatis identitate. Atque illa naturalis identitas est fundamentum inexistentiæ localis, quatenùs facit, vt persona vna ab aliis separari non possit. Sed nec essentiæ, seu diuinitatis vnitas sufficeret ad circuminsessionem, nisi ea extrema, quæ circuminsedere se dicuntur, essent inter se distantia realiter. Nam sine tali distinctione non vnus in altero, sed vnus in se simpliciter diceretur. Quare hæc diuina propriéque sumpta circuminsessio his Christi Verbis contenta (*Ego in Patre, & Pater in me est*) duas vno ancipiti mucrone confodit hæreses; Arianam, quæ vnam in tribus personis diuinitatem negat; & Sabellianam, quæ tres in vna diuinitate personas.

3. Ex superioribus intelligitur mutuam personarum immanentiam, seu inexistentiam non in sola ratione consubstantialitatis (vt voluerunt Henricus & Durandus) nec in eo præcisè consistere, quòd vnius personæ essentia in aliis etiam personis existat. Si enim Pater, exempli causâ, nihil aliud sui quàm essentiam haberet in Filio, non tota persona ipsius Patris, sed solùm eius pars insideret personam Filij. Cùm tamen, vt ait Hieronymus ad cap. 3. Ezech. *Filius locus sit Patris, sicut & Pater locus est Filij, dicente Domino Saluatore: Ego in Patre, & Pater in me.* Cui consonat quod ait Cyrillus Alexandrinus in septimo Thesauri, τόπος υἱοῦ φυσικὸς ὁ πατήρ. Et quod Fulgentius ait cap. 1. de fide ad Petrum: *Totus Pater in Filio & Spiritu sancto est; totus item Filius in Patre & Spiritu sancto; & totus Spiritus sanctus in Patre & Filio.* Adde quod Ecclesia canit in aliquo hymno: *In Patre totus Filius, & totus in Verbo Pater.* Fatendum igitur est, quamlibet personam inexistere aliis personis; tùm secundùm suam essentiam, tùm secundùm suam hypostasin, & proprietatem relatiuam. Ratio tamen præcipua (non quidem formalis, sed causalis) cur hypostaseon circuminsessionem asseramus, petitur ex vnitate ac identate naturæ diuinæ. Cùm sit impossibile naturam eandem, quæ cum Patris hypostasi identificatur, esse identificatam cum Filij & Spiritus sancti hypostasibus, quin tres diuinæ hypostases in se inuicem existant.

4. Post hanc rationem, quæ optima & præcipua est, adducuntur à Diuo Thoma *quæst. 42. art. 5.* aliæ insuper duæ, à Durando, & Aureolo impugnatæ. Quarum vna, quam ipse

se sanctus Doctor posuit tertio loco, non abludit à quæstione proposita,& sic habet. Filius procedit vt verbum, & Spiritus sanctus vt amor:atqui verbum, & amor, cùm sint actus immanentes, non sunt extra dicentem & amantem; & necessarium est, vt id quod dicitur, sit in verbo; & id quod amatur, sit in amore. Igitur personarum quælibet est in qualibet. Sed difficultatem hîc facit, quòd Filius, & Spiritus sanctus non sunt actus immanentes, quibus eorum principia formaliter intelligant, aut ament; neque constituunt sua principia in aliquo esse. Non ergo videtur benè probari mutua personarum diuinarum inexistentia ex eo quod verbum & amor, quatenus sunt actus immanentes,existunt intra dicentem, & amantem. Dicendum nihilominus, productionem Filij & Spiritus sancti esse actionem verè ad intra, & vitalem, per quam producatur verbum, & amor; non quidem actuans, informansque potentiam ipsam productiuam; sed vt actus in se subsistens, qui identificetur diuinitati, & principio suo per diuinitatis vinculum adstringatur. *Lux manet in igne*, inquit Damascenus 1. de fide, cap. 9. *tanquam accidens inhærens illi; Verbum autem manet in Patre tanquam subsistens in subsistente.* Nec enim id vnionis genus, quod supremum est, & non est institutum vt agens se perficiat, minùs valet, vt aliquis actus dici debeat immanens, quàm vnio formæ accidentalis. Summo igitur, & perfectissimo modo se inuicem persona producens, productaque insident. Idque benè sanctus Doctor ex eo probauit, quòd Filius, vt aliquod verbum; & Spiritus, vt aliquis amor procedat; hoc est, ex eo quòd vterque sit actus quidam immanens, licèt subsistens. Inde enim fit, & verbum debere esse in dicente, & dicentem debere esse non tantùm obiectiuè, sed etiam realiter in verbo; amorem item debere esse in amante, & amantem in amore realiter.

5. Adfert prætereà Diuus Thomas aliam rationem, quam secundo loco proponit. Sed per eam non intendit probare vnam personam esse aliter, quàm per intellectum & amorem in altera: quod est personas habere mutuam inexistentiam, non realem, sed intentionalem, & quandam non rei,sed cognitionis in mente nostra circuminsessionem. Considerat enim in hac ratione sanctus Doctor personas secundùm quod habent relationes adinuicem. Eatenus autem manifestum est, vnam non posse esse in intellectu, quin simul sit & altera: nam semper vnum eorum, quæ relatiuè opponuntur, est in altero secundùm intellectum, seu secundùm rationem definitiuam. Sic enim vulgò dicimus, vnum correlatiuum in ratione alterius esse, ex Porphyrio in prædicabilibus. Oppones. Pater, & Filius, quà tales, non sunt correlatiua Spiritus sancti, sed tantùm quatenus sunt vnus Spirator. Ergo vi huius relationis Pater, Filius, & Spiritus sanctus non essent intra se mutuò secundùm cognitionem, seu intellectum. Concedit totum Caietanus in hunc articulum. Satis enim est, quòd Spirator & Spiritus sint intra se mutuò. Verumtamen dico Patrem secundùm ipsam rationem Patris, & Filium secundùm rationem Filij, habere oppositionem quandam cum Spiritu sancto, licèt velut mediatam, & remotiorem. Nam Pater, quà talis, communicatiuus est fœcunditatis spiratiuæ;

ratiuæ ; & Filius, quà talis, receptiuus est eiusdem : quod est opponi vtrumque Spiritui sancto. Opponitur enim, ac repugnat Spiritui sancto vel dare, vel accipere fœcunditatem, quâ ipse producendus est. Non ergo potest plenè & perfectè Pater, quà talis, cognosci, quin cognoscatur vt habens, & communicans spirationem actiuam: nec Filius cognosci plenè, quà talis; quin cognoscatur vt eandem recipiens, atque adeò habens spirationem. Ac per consequens neuter concipi potest quin cognoscatur vt Spirator; quod est, Patrem, & Filium, quà talem, cognosci vt relatiuè oppositum Spiritui sancto ; seu (quod eódem recidit) cognosci Spiritum, vt prædictæ oppositionis terminum. Et nisi hoc ita esset, itáque explicaretur, non sufficeret responsum Caietani ad tuendam eam circuminsessionis rationem, quam Diuus Thomas, vt retulimus, affert secundo loco. Spiratorem enim habere cum Spiritu sancto circuminsessionem cognitionis in mente nostra, non esset Patrem & Filium, vt tales, similem cum Spiritu sancto circuminsessionem habere.

6. Aduertit benè Suares *lib.* 4. *cap. vltimo.*, videri Diuum Thom. voluisse ad diuinas personas accommodare tres illos modos, quibus Deus est in omnibus rebus, scilicet per essentiam, per potentiam, & per præsentiam, seclusis imperfectionibus. Et ad primum quidem modum spectat prima ratio, cùm ait personas inexistentiam habere mutuam ex eo quòd consubstantiales sint, & habeant identitatem essentiæ. Ad secundum pertinet secunda ratio, cùm ait, vnam personam esse in alia propter originem; seu, quia vna producit aliam. Est enim de perfectione productionis, vt producens sit ei præsens, & intimus, quod producit. Denique ad tertium refertur tertia ratio, cùm asserit diuinas personas esse in se inuicem, intra mentem nostram, quando cognoscuntur ; quia correlatiuæ sunt, quatenùs vnum correlatiuum non potest esse extra aliud, quoad cognitionem. Dignum videtur hîc aduertentiâ, quòd quemadmodum sanctus Thomas circuminsessionem quãdam excogitauit in eo, quod personæ diuinæ, cùm sint inuicem relatæ, non possunt cognitione disiungi, & eatenus obiectiuè mutuò se includunt: sic pari libertate quoddam περιχωρήσεως genus in duabus Christi naturis acutè Nazianzenus inuenit *orat.* 51. commixtis nimirùm vt naturis, ita & naturarum idiomatis, atque nominibus per ambarum quandam circuminsessionem σιρνωμένων ὥσπερ τῶν φύσεων, οὕτω καὶ τῶν κλήσεων καὶ περιχωρουσῶν εἰς ἀλλήλας. Consimiliter Damascenus *lib.* 3. *cap.* 4. ad duas Christi naturas nomen περιχωρήσεως transfert, dum eas habere ait communicationem idiomatum, διὰ τὴν εἰς ἀλλήλας περιχώρησιν.

7. Denique non videntur omittenda verba, quibus Anselmus in libro de processione Spiritus sancti, vim diuinæ circuminsessionis explicat, & eleganter ostendit, quomodo personæ, quantumuis distinctæ realiter, & processionem, quà (vt ita loquar) actiuam, quà passiuam habentes; non tamen secludantur ab inuicem, sed in semet mirabiliter inuoluantur. *Si puncto*, inquit, *punctum proximè addimus, aut lineam in linea, aut superficiem in superficie collocamus, non fit nisi vnus punctus, vna linea, vna superficies. Pari modo si dicitur æterni-*

tas in æternitate, non est nisi vna æternitas; & lumen in lumine, vnum tantùm lumen est. Eodem modo quæcumque de Dei dicuntur essentia, si in se replicentur, nec quantitatem augent, nec pluralitatem admittunt. Quoniam autem Deus est æternitas, sicut extra æternitatem nihil est, ita extra Deum non est aliquid. Atque sicut æternitas non est nisi vna æternitas in æternitate: sic Deus in Deo vnus, & solus est Deus. Habemus autem ex vera fide, Deum esse de Deo, nascendo; & Deum de Deo, procedendo. Sed quoniam non est aliquid extra Deum, cùm nascitur Deus de Deo, vel cùm procedit Deus de Deo; non erit nascens, vel procedens extra Deum, sed manet in Deo. Quoniam ergo Deus in Deo non est nisi vnus Deus; cùm nascitur Deus de Deo, vnus est Deus gignens, & genitus; cùm procedit Deus de Deo, vnus tantummodò Deus est, & procedens, & à quo procedit.

CAPVT IV.

De Personarum diuinarum missione.

1. QVæritur quartò, quomodo, & cur vna persona dicatur mitti ab alia? Vt huic respondeatur quæsito, supponendum est tanquam fide certum, personas productas mitti à producentibus. Sic enim docet apertè Scriptura Ioan. 5. *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum.* Et cap. 8. *Ego, & qui misit me Pater.* Paulus verò ad Galatas 4. *Postquàm venit*, inquit, *plenitudo temporis, misit Deus Filium suum*, &c. Quæ & similia de Filio, non solùm vt homine, sed etiam vt verbo secundùm se, & citra idiomatum communicationem intelligi debent iuxta Augustinum 4. *de Trinit. cap. 2.* vbi ait, *non tantùm dici Filium missum, quia Verbum caro est; sed etiam Verbum esse missum, vt caro fiat.* Vt porrò Filius à Patre, sic Spiritus mitti dicitur; cùm à Patre Ioan. 14. *Quem mittet Pater in nomine meo*; tùm à Filio ibidem, *Cùm venerit Paracletus ille, quem ego mittam vobis Spiritum veritatis.* Hæc autem de personarum missione veritas à Scripturis certò tradita, ipsarum distinctionem personarum non tantùm supponit, sed etiam firmat, ac stabilit, cùm nullus à seipso, sed tantùm ab alio mittatur; *A meipso non veni*, ait Christus, *sed ille me misit.* Ioan. 8. Vnde Sabelliana confixa manet impietas, negans diuersitatem personarum. *Aliter* (inquit Gaudentius tract. 14.) *credere mens humana non caperet, Patrem Patrem esse, & Filium Filium, & Spiritum sanctum Spiritum sanctum; nisi distinctionem disceret ex nuncupatione mittentis, & missi.*

2. Inter modos autem, quibus dici potest aliqua persona diuina mitti, reiiciendus ille est, quem ait Magister in primo dist. 15. asseruisse aliquos, nempe æternam originem per se sumptam, & non connotantem vllos temporales effectus, missionem esse personarum, eo modo quo flores dicimus emitti ab arbore. Cui sententiæ fauere sancti quidam Patres videntur, vt Gregorius Magnus homilia 26. *Eo ipso*, inquit, *à Patre mitti Filius dicitur, quòd à Patre generatur. Spiritus sancti missio, ipsa est processio* (æterna, seu spiratio passiua,) *quâ de Patre procedit, &*

Filio. Sicut itaque Spiritus mitti dicitur, quia procedit; ita & Filius non incongruè mitti dicitur, quia generatur. Visus erat ante Gregorium idem opinari Cyrillus Alex. qui explicans id quod dicitur Ioan. 13. Christum à Patre exiuisse, sic ait: *A Deo exiuit, hoc est ex substantia Patris genitus est.* ἐκ τῆς οὐσίας ἐγεννήθη τοῦ πατρός. Idem lib. 4. in Ioan. *Cùm se missum dicit, non se paterna dignitate inferiorem ostendit. Non enim hanc seruilem missionem intelligere oportet, sed sic missus est, vt verbum ex mente, vt splendor solis ex ipso.* οὐ δουλοπρεπῆ νοητέον ἀποστολήν. ἀπεστάλη δὲ ὡς λόγος ἐκ νοῦ. Cauenda tamen ex aduerso alia extremè contraria sententia, quòd personas diuinas mitti, nihil aliud sit, quàm illas ad operis alicuius externi effectionem legari. Quam sententiam (ab ea priori quam nunc exponebam refugiens) amplexus est Magister loco iam citato, & ibi sanctus Thom. Bonauentura, Gabriel, &c. dicentes, missionem aliud nihil esse, quàm externam operationem alicuius temporalis effectus. Quibus & visi sunt aliqui Patres item fauere, vt nominatim Augustinus tract. 36. in Ioan. *Ergo, Domine Deus noster Iesu Christe, missio tua, Incarnatio tua est.* Et vt alia multa eiusdem sancti Patris loca omittam, sic ait lib. 2. de Trinitate, cap. 5. *Operatio visibiliter expressa, & oculis oblata mortalibus, Missio Spiritus sancti dicta est.* Et lib. 4. cap. 20. *Non ergo eo ipso, quo de Patre natus est, missus dicitur Filius; sed quòd apparuit huic mundo Verbum caro factum.* Chrysostomus homilia 72. quæ est de Spiritu sancto: *Si audias dicentem, Mittam vobis Spiritum sanctum; caue id secundùm diuinitatem accipias. Deus enim non mittitur. Nomina ista sunt, quæ efficientiam significant. Quicumque mittit, in ea loca mittit, vbi non adest ipse.* θεὸς οὐκ ἀποστέλλεται. πᾶς ἀποστέλλων, εἰς ἐκεῖνους ἀποστέλλει τόπους, ἐν οἷς μὴ πάρεστιν.

3. Vtraque hæc sententia in eo reiicienda est, quòd alteram reiicit. Si se mutuò excludere desinant, & concordiam inter se conciliari patiantur; legitimum ambæ coniunctæ facient eius conceptum missionis, quam Scriptura diuinas inter Personas adstruit. Dicendum enim est, huiusmodi missionem esse processionem diuinæ Personæ cum habitudine seu connotatione temporalis effectus, vt vult Suares *lib. 12. cap. 1.* Seu fortè meliùs, esse temporalem effectum, seu manifestationem personæ per æternam processionem productæ. Cùm enim omnis missio sit aliquis egressus à mittente ad certum terminum, hîc non potest alius apparere egressus, quàm processio à principio producente: nec alius terminus, quàm externus effectus, ad quem is tendit, qui mittitur. Porrò, quandoquidem æternæ processiones non ita fuerunt ab æterno, vt censeri debeant iam omninò præteriisse, sed sunt in perpetuo fieri; concipiendum est, in illa ipsa temporis differentia, in qua Filius, seu Spiritus sanctus ad nos venit aliquid operaturus, illum à suo principio tunc procedere actu, & velut vi talis processionis (sumpto, vt ita loquar, impetu) rectà tendere ad externum illum, ad quem allegatur effectum. Cuius diuinæ missionis vt natura intelligatur, considerandum est, in generica ratione missionis (vt optimè diuus Thomas explicat *quæst. 43. art. 1. in corp.*) duo importari. *Quorum vnum*, inquit, *est habitudo missi ad*

eum, à quo mittitur. Alterum est habitudo missi ad terminum, ad quem mittitur. Per hoc autem quòd aliquis mittitur, ostenditur processio quadam missi à mittente; vel secundùm imperium, sicut dominus mittit seruum; vel secundùm consilium, vt si Consiliarius mittere dicatur Regem ad bellandum; vel secundùm originem, vt si dicatur quòd flos emittitur ab arbore. Ostenditur etiam habitudo ad terminum, ad quem mittitur, vt aliquo modo esse ibi incipiat; vel quia priùs ibi non erat, quò mittitur; vel quia incipit ibi aliquo esse modo, quo prius non erat. Missio igitur (de qua hic agimus) persona diuina conuenire potest secundùm quod importat ex vna parte processionem originis à mittente; & secundùm quod importat ex alia parte nouum modum existendi in aliquo loco. Sicut Filius dicitur esse missus à Patre in mundum, secundùm quod incipit esse in mundo per carnem assumptam; & tamen antè in mundo erat, vt dicitur Ioan. 1. Hactenus Diuus Thomas.

4. Ex iam dictis intelligitur primò, personam diuinam, quæ mittitur, accipere vi suæ processionis, seu productionis determinationem liberam apparendi in aliqua forma sensibili sibi propria, aut operandi aliquem effectum temporalem sibi proprium. Sicut enim in rebus creatis mitti non est simpliciter ire, aut venire suamet motione; sed importat motionem, aut impulsionem ab agente extrinseco; quemadmodum videmus lapidem, aut sagittam per impressum impetum mitti: ita in diuinis ad missionem requiritur, vt persona, quæ mittitur, non suâ simpliciter veniat determinatione, sed velut impulsionem quamdam, seu determinationem accipiat ab alia persona mittente. Illa verò impulsio, seu determinatio ad eundum non censetur aliter imprimi, nisi dando voluntatem eundi. Quæ voluntas, cùm esse libera debeat, non datur formaliter personæ per sui productionem. Datur enim ei solùm voluntas in actu primo indifferens ad omnia externa obiecta. Determinationem autem liberam non minùs primò habet persona producta, quàm ipsa producens. Non enim persona vna ab alia determinatur ad decreta libera, sed omnes simul se determinant per vnicam communem voluntatem. Hoc nihilominùs non obstante, sicut in spiratione actiua, licèt vnica sit in Patre & Filio, qui ambo æquè primò sunt vnus spirans, dicimus Patrem (quia vim spirandi communicauit Filio) esse quasi primarium Spiratorem; & Græcis concedimus vt Patrem dicant spirare per Filium: similiter, cùm vim se liberè determinandi persona producta acceperit à persona producente, benè intelligimus, ipsam aliquatenùs accepisse à persona ipsa producente liberam determinationem eundi ad illum externum, & contingentem effectum, ad quem mittitur. Sed & attendendum est, Filium, & Spiritum sanctum, quoties ad nos veniunt, venire ex naturali propensione bonitatis suæ, & ex prudentissimo consilio sapientiæ suæ, quod totum habent à Patre, & Spiritus sanctus item à Filio. Idque satis est, vt persona procedens dicatur habere à producente determinationem actualem liberam veniendi. Quisquis enim propensionem ad aliquid decernendum dedit, censetur impulisse ad decernendum. Nam & inter

homines

homines is qui alium mittit, non producit immediatè actum voluntatis eundi, sed est tantùm causa moralis inclinans.

5. Intelligitur secundò, non aliam personam dici posse mitti, quàm eam quæ producatur, & accipiat vi processionis æternæ voluntatem, quâ se determinare possit ad veniendum. Similiter non aliam dici posse mittere, præter illam, quæ producat, & possit determinare per originationem actiuam. Sine originatione enim vna persona non egreditur ab alia; missio autem dicit quendam egressum, seu exitum. Fundatur verò in illa originatione quædam authoritas, quæ necessaria est, vt vna persona mittere aliam possit. Nec enim sufficit determinare personam diuinam ad veniendum, vt propriè dicatur missio. Nam & Sacramenta verè Spiritum sanctum determinant ad veniendum; & Apostoli quondam per impositionem manuum suarum determinabant item eum ad veniendum & apparendum visibiliter; & tamen non eum mittebant, quia non habebant in illum authoritatem. Nota non posse item vnam personam dare aliam, nisi eam producat. Quamuis enim ad dandum aliquam personam non requiratur in eam authoritas, vt ad mittendum; nam quælibet persona potest dare seipsam: tamen requiritur, vt persona data pertineat ad dantem. Non pertinet autem si quæ datur, non est aut ipsamet quæ datur, aut ab hac non est producta.

6. Intelligitur tertiò, missionem non posse consistere in re solùm temporali, sed necessariò inuoluere processionem æternam, per quam scilicet solam persona, quæ mittitur, potest impressionem quandam ad veniendum accipere. Non enim persona vlla habet in alias authoritatem iussu, vel consilio, &c. aut aliter quàm sola originatione dandi illis veniendi voluntatem. Sed & quartò intelligitur non consistere missionem in mera processione æterna, in qua nihil est liberum; sed importare insuper aliquid, quod ex tali processione contingenter, liberéque sequatur, & in tempore effectum habeat; in quo specialiter persona, quæ mittitur, apparere ac prodire possit aliquo modo. Intelligitur quintò, personam, quæ mittitur, non venire, vt incipiat alicubi simpliciter existere, aut præsentiam habere; id enim est impossibile, cùm omnes personæ immensitate sua omne spatium semper repleant; sed vt in creatura, ad quam mittitur, apparere, aut effectum aliquem habere incipiat. Dicit enim missio ordinem ad terminum velut localem de nouo acquirendum; sed id in Deo intelligi non potest, nisi per nouum eius in aliqua creatura vel loco effectum. Intelligitur sextò, apparitionem illam, aut effectum debere ita pertinere ad personam missam, vt ad mittentem non pertineat tam speciali modo. Vnde fit debere vi missionis, & respectu prædictæ apparitionis, aut effectus personam mittentem, & personam missam separari aliquo modo à se inuicem. Quæ separatio significatur nomine exitus, cum ait Christus, *Exiui à Patre, & veni in mundum.* Ioan. 16. Alioqui si persona determinans aliam ad veniendum nullo modo separatur ab illa, sed cum ea venit, vt æquè appareat, & idem efficiat, quod ipsa; non dicetur in summa proprietate illam mittere, sed eam

velut

velut adducere, & comitari: atque tunc non alicuius est missio, sed plurium personarum itio, descensus, vel aduentus, iuxta illud Geneseos 11. vbi vna persona diuina ad alias ait; *Venite descendamus, & confundamus ibi linguam eorum.* Et Ioan. 14. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

7. Si petas quî fieri possit, vt personæ separentur à se inuicem ratione effectus ad extra, cùm omnis talis effectus pertineat indiuisim ad omnes personas, iuxta illud axioma: *Omnia opera Trinitatis sunt indiuisa ad extra.* Respondeo. Quamquam omnis effectus ad extra communis sit omnibus personis, quatenus per actionem diuinæ virtutis efficitur; potest tamen aliter esse proprius vni soli personæ, nimirum vel in genere vnionis formalis, quo modo effectus Incarnationis est proprius secundæ personæ ratione hypostasis humanitatem sibi vindicantis: vel ratione significationis, quo modo columba, & flatus vehemens pertinebat specialiter ad Spiritum sanctum; vt enim hæc vox *Spiritus sanctus*, significat tertiam personam, & non alias, illamque ab his significatione separat; sic & res supradictæ potuerunt eandem solam significare. Vel denique per quandam attributionem; nam potest effectus peculiariter attribui vni personæ ob peculiarem quandam rationem; quo modo infusio gratiæ, & sanctificatio creaturarum tribuitur Spiritui sancto. Item potest specialiter tribui Filio effectus sapientiæ, atque propter illum dici potest secunda persona mitti, iuxta illud: *Emitte Domine sedium tuarum assestricem sapientiam, vt mecum sit, & mecum laboret.*

CAPVT V.

De variis distributionibus ac modis missionum, quæ diuinis competere personis possunt, &c. Ac primò quæ sint missiones impropriè dictæ.

1. PLures verò possunt afferri diuisiones, seu distinctiones earum missionum, quæ personis diuinis conueniunt. Et primò quidem illarum aliæ sunt propriæ, aliæ impropriæ. Propriæ dicuntur, in quas ea descriptio perfectè quadrat, quam superiori cap. num. 3. & sequentibus exposuimus. Ac nominatim tres illis conditiones necessariæ sunt, nimirum personæ missæ æterna processio, tum eiusdem personæ missæ aliquis in tempore effectus nouus, ac demùm virtualis quædam eiusdem separatio, & egressus à persona mittente. Atque provt aliquid illorum trium deficiet, non poterunt esse nisi impropriæ missiones.

2. Defectu primæ conditionis valde impropriè missionem sumit Magister *dist.* 15. fundatus in Augustino, qui illam 2. *de Trinitate, cap.* 5. constituit totam in operatione extra Deum, secundùm quam operationem aliqua persona nouo modo incipit esse, aut apparere in creatura. Missione personarum diuinarum sic sumptâ pro operatione externa, quæ ab omnibus æquè personis indiuisibiliter, & communiter proficiscatur, dicere possumus Filium, non tantùm vt hominem, sed etiam vt Verbum, mitti tum à se, tum à Spiritu sancto: & Spiritum

Spiritum sanctum non tantùm à Patre, & Filio, sed etiam à seipso. Atque sic locuti sunt aliqui Patres. Augustinus quidem *lib.2. de Trinitate, cap.3.* Filium non à Patre solo, sed & à seipso fuisse missum asserit his verbis: *Quapropter Pater inuisibilis vnà cum Filio secum inuisibili, eundem Filium visibilem faciendo, misisse eum dictus est.* Similiter asserit Synodus vndecima Toletana, *Filium à seipso fuisse missum. A seipso quoque* (inquit) *missus accipitur Filius, pro eo quod inseparabilis non solùm voluntas, sed operatio totius Trinitatis agnoscitur.* Ipsum item Filium non à solo Patre, sed & à Spiritu sancto fuisse missum asserit Ambrosius lib.3. de Spiritu sancto, cap.1. *Pater Filium misit, & Spiritus. Si ergo se inuicem Filius, & Spiritus mittunt, sicut Pater mittit; non subiectionis iniuria, sed communitas potestatis est.* Idem habet Fulgentius lib. 2. ad Monimum, cap.6. *Sicut à Patre, & Filio missus legitur Spiritus sanctus; sic à Patre, & Spiritu missus inuenitur & Filius.* Et vndecimum Concilium Toletan.in fidei professione: *Missus,* inquit, *Filius non solùm à Patre, sed & à Spiritu sancto esse credendus est, in eo quod per Prophetam dicitur. Et nunc Dominus misit me, & Spiritus eius.*

3. Cùm omnes personæ actione vna communi, & indiuisibili efficiant illam apparitionem externam, & illud opus, quo missio in sensu, in quo de ea disputamus, continetur; & propterea Filius à seipso, necnon à Spiritu; & Spiritus item à seipso mitti dicantur; videtur & ipse Pater cùm à se, tum ab aliis personis mitti, quando per aliquam sui cognitionem nobis apparere incipit, quemadmodum asseritur de Filio, & Spiritu sancto, quando per aliquam sui manifestationem apparent. Nec facilè inuenietur vlla bona ratio discriminis; quamquam Augustinus aliquam excogitare conetur *lib. 4. de Trinit. cap. 20.* Gratuitum enim est, quod Bonauentura dicit, propterea Patrem non posse ab aliis personis mitti, quia quamuis non sit necesse personam, quæ mittitur, esse productam à persona ipsa mittente; necesse tamen est, vt sit producta ab alio: quoniam ex Augustino *in illo cap.20.* personam aliquam mitti, nihil est aliud, quàm cognosci, quòd ab aliquo principio vel genita, vel spirata sit. Quia verò non omnes personæ sunt productæ, & tamen omnes personæ sunt causa vera eius cognitionis, per quam cognoscimus illarum aliquam esse productam; ideò fit, vt non omnes mitti, omnes tamen possint mittere. Id, inquam, gratuitum est. Nam vt persona mitti dicatur, sufficit cognosci aliquem proprium eius effectum temporalem productum ab omnibus Trinitatis personis; neque necesse est cognosci illam esse genitam, aut spiratam.

4. Porrò circa hoc genus impropriæ missionis consistentis in apparitione cuiusdam personæ, quæ mittitur, & cognoscitur à nobis per quendam externum effectum pendentem ab omnibus personis Trinitatis; notandum est omnes quidem tres personas per externum illum effectum producentis posse dici mittentes modo iam explicato: verùm inter illas personas, quæ mittere dicuntur, illa persona, quæ & mittens & missa simul est, habet aliquid velut notionale ad ipsam solam pertinens, eam-

que denotans. Audiamus id benè exponentem Augustinum, sermone vndecimo de verbis Domini: *Inseparabilis est*, inquit, *operatio Trinitatis; ita vt quod operatur vna persona, non sine duabus aliis operetur. Nec tamen inaniter, sed veraciter dicitur Patrem dixisse, non Filium, & Spiritum sanctum; Tu es Filius meus dilectus, in quo complacui. Sed hoc miraculum de cælo sonabilis verbi, quamuis ad personam Patris tantummodo noscamus pertinere, cooperatos tamẽ esse Filium & Spiritum sanctum non negamus.* Audiendus & Ambrosius in tractatu de Symbolo, sic loquens cap.9. *Incarnationem Verbi Trinitas fecit; & tamen non pertinet Incarnatio nisi ad Verbum. Vocem de cælo super Filium post baptismum Trinitas fecit; & tamen non pertinet nisi ad Patrem: inquit enim, Tu es Filius meus dilectus. Descensum itidem Spiritus sancti supra Filium in columba specie Trinitas fecit; & tamen non pertinet nisi ad Spiritum sanctum.* Quomodo autem personæ tres sine vllo discrimine illum externum, in quo hæc missio consistit, operentur, ita vt omnes mittentes sint, & tamen vnica mittatur, explicat Aug. lib.4. de Trinitate, cap.21. *Quemadmodum*, inquit, *cùm memoriam meam, & intellectum, & voluntatem nomino, singula quidem nomina ad res singulas referuntur; sed tamen ab omnibus tribus singula facta sunt; nullum enim horum trium nominum est, quod non & memoria, & intellectus, & voluntas mea simul operata sint: ita Trinitas simul operata est & vocem Patris, & carnem Filij, & columbam Spiritus sancti, cùm ad singulas personas hac singula referantur.*

5. Defectu secundæ conditionis non est, nisi impropriè, missio dicendus ille velut impulsus æternus, & determinationis liberæ impressio, quam persona producta accipit vi processionis suæ, vt dixi capite superiore, *num*.4. Explicatur. Quamquam clarum sit, processionem ipsam æternam, præcisè, ac per se sumptam, non posse dici missionem, cùm processio per se nullo modo sit libera, missio autem libera sit: posset tamen aliquis existimare, ipsũ impulsum per processionem acceptum, dicendum esse verè, ac propriè missionem; quatenùs per illum persona procedens determinatur ad liberum ab æterno faciendum decretum veniendi posteà in tempore, atque aliquid operandi. Et sanè in creatis, quando aliquis hodie accipit præceptum aliquò post octo dies eundi, & se ad eundum determinat, dici potest hoc ipso esse missus, seu accepisse missionem. Sic & sagitta hoc ipso quòd excussa est, dicitur missa, licèt nondum ad locum peruenerit, nec vllum adhuc effectum habuerit.

6. Assero nihilominus id improprium esse. Nam propria & completa missio includit operationem, & executionem ipsam externam, quæ quidem ab æterno esse potuisset; vt si ab æterno Verbum fuisset naturæ creatæ vnitum; in quo casu fuisset ipsius Verbi missio æterna. Sed cùm nihil Deus extra se produxerit ab æterno, dicendum est missionem includere necessariò effectum temporalem, vt componatur ex eo, & ex æterna determinatione per processionem impressa. Quod intelligi inde potest: nam si quis præceptum & voluntatem accepisset eundi aliquò post vnum aut duos dies; & posteà nullo planè modo ire, vt sibi præceptum fuerat, potuisset; nemo diceret

propriè

& absolutè ipsum illò fuisse missum. Nec dicas : ergo diuina missio est partim æterna , partim temporalis. Negatur enim consequentia. Nam si materia prima fuisset ab æterno , vt putauit Aristoteles ; non tamen equus ex tali materia & forma temporali compositus , deberet dici æternus , sed simpliciter temporalis.

7. Defectu tertiæ conditionis (nempe quod persona missa exire , & quodammodo à persona mittente separari debet) non dicitur propriè mitti secunda persona à Patre, vel tertia à Patre , Filioque , quando peccator aliquis per gratiam renouatur. Non enim magis vna persona , quàm alia venit in hominem per iustificationem , iuxta illud , *Ad eum veniemus , & apud eum mansionem faciemus.* Ioan. 14. Nec missione, nisi valde impropriâ, dici potest , quando tres simul personæ ad aliquid efficiendum descendunt , secundam , & tertiam à prima mitti : potiùs enim eam comitantur , ac velut ab ipsa adducuntur, licèt aliquam velut determinationem veniendi ab illa acceperint, & vi determinationis solius illius venerint.

CAPVT VI.

Quæ sint missiones propriè dictæ.

1. IAm quod attinet ad missiones propriè & strictè sumptas , eæ variis modis subdiuidi possunt. Primò ratione ipsarum personarum, seu mittentium , seu missarum distinguuntur in eas, quibus mittitur Filius à Patre; & in eas , quibus Spiritus sanctus à Patre , & Filio. Secundò ratione modi , quo persona mitti potest , aliæ sunt inuisibiles , per quas aliqua persona mittitur ad nouum effectum , seu nouum modum existendi in creatura, qui neque sensibilem terminum habeat , nec vllo sensibili signo manifestetur. Aliæ verò sunt visibiles, hoc est illæ, quæ licèt actionem habeant inuisibilem ratione termini proximi , qui producitur vt quo ; tamen habent terminum vltimum visibilem. Inter visibiles item missiones numerantur eæ omnes per quas personæ mittuntur ad simpliciter apparendum : nam per signum visibile , personæ , quatenus illi subiacent , redduntur visibiles aliquo modo. Aliæ prætereà reperiuntur , quæ nec solùm sunt inuisibiles , nec solùm visibiles ; sed sunt vtrumque , quatenus habent effectum inuisibilem coniunctum effectui visibili ; vt in Incarnatione Christi cum huius visibili naturâ humanâ fuerunt infinitæ gratiæ ipsi animæ collatæ inuisibiles. Tertiò ratione effectus atque termini , ad quem fit missio , possumus sic missiones distinguere , vt persona diuina nonnunquam mittatur ad essendum , seu ad constituendum aliquod nouum esse ; quo modo Verbum missum est per incarnationem : nonnunquam ad operandum , vt quando sapientia , quæ Patri assidet , missa fuit Salomoni eam sic petenti, *Mitte sedium tuarum assestricem sapientiam* , &c. Nihil hîc dicendum de missione , quâ Pater mitti propriè ac rigorosè dicatur. Nulla enim Patri conuenire potest , quæ tres habeat omnes conditiones eas , quibus (vt dictum est cap. præcedenti , numero primo) missiones propriæ continentur. De missionibus aliarum duarum personarum, quæ principium habent à quo procedant , est nobis breuiter agendum.

Missiones Filij.

2. Quod ad missionem Filij attinet, ea varia est, & diuersis facta modis. Celebris ea imprimis, quæ visibiliter fuit per Incarnationem, cùm *in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu* (σχήματι, figurâ, specie externâ) *inuentus vt homo*: quemadmodum est apud Baruch *cap.* 3. & apud Paulum *ad Philipp. cap.* 2. Visum esse in antiquo Testamento, & sensibiliter missum Dei Filium, quando Deus hominibus apparuisse narratur, censuerunt non tantùm Ariani, qui Deum Patrem, cùm esse ab eis putaretur tam solus inuisibilis, quàm immortalis; ita vt non magis videri, quàm mori posset, volebant creasse visibilem Filium tanquam inferiorem Deum, ὑποβεβηκότα θεὸν, vt per eum aliquo modo ipse videri cognoscique posset; verùm etiam multi Sanctorum Patrum, quasi nimirum per eas velut propheticas apparitiones Incarnatio illius personæ futura præsignaretur. Ita Iustinus Martyr *in dialogo cum Tryphone*, vbi hæc habet: *Cùm in sacris libris legitur ascendisse Dominus ab Abrahamo, vel locutus esse Moysi, vel descendisse vt videret turrim, vel clausisse Deus arcam Noe deforis; cauete putetis ingenitum Deum apparuisse. Igitur nec Abraham, nec Isaac, nec Iacob vidit Patrem, & ineffabilem Dominum; sed illum, qui de ipsius voluntate Deus est* (quæ sancti Martyris locutio minùs accurata, dissidet à Catholica norma, & Arium sapit) *& quem hominem nasci voluit*. Castigatiùs loquentes, & longè ab Arianorum sensu abhorrentes, multi alij sancti Patres Verbum Dei putauerunt, seu per se sub specie sensibili, seu per Angelum, qui eum repræsentaret, fuisse conspectum mortalibus in Lege veteri, vt per illas apparitiones futuræ suæ Incarnationi velut præluderet. Sic Irenæus *lib.* 4. *cap.* 26. ait Verbum, quod venturum ad nos erat per humanæ naturæ assumptionem, voluisse ab initio assuescere procurandæ hominum saluti. *Ipse est* (inquit) *qui dicit Moysi: Videns vidi vexationem populi mei, qui est in Ægypto; & descendi, vt eruam eos: ab initio assuetus Filius Dei descendere propter salutem eorum, qui malè haberent.* Et *eodem cap.* refutans Arianam impietatem (quâ Pater asseritur præ secundario Deo Filio suo inuisibilis esse, vtpote illo sublimior) ita subdit: *Hæc prophetice significabant Prophetæ* (nempe Verbum carnem assumpturum) *sed non quemadmodum quidam dicunt, inuisibili Patre existente, alterum esse eum, qui à Prophetis videretur. Hoc autem dicunt, quid sit prophetia nescientes.* Athanasius in libro de Synodis ait illum qui luctatus est cum Iacob, Filium Dei fuisse. Basilius *lib.* 2. *contra Eunomium*, postquam notasset Angelum Domini visum fuisse in rubo, & posteà ipsum dixisse, *Ego sum Deus Patris tui Abraham*; ac subinde, *Sum qui sum*: subdit, *Quis igitur est ille, qui idem Angelus est & Deus? Nonne is, de quo accepimus, eius nomen esse, Magni consilij Angelus?* Tandemque ita concludit: *Vbicumque & Angelus, & Deus idem appellatus est, significatur Vnigenitus.* Omitto Chrysostomum, Ambrosium, aliosque plures ex Patribus, qui idem censuerunt. Huc facit quòd Deus, quatenùs apparebat olim hominibus, vocatur passim in paraphrasi Chaldai-

ea מֵימְרָא, hoc est, Verbum.

3. Præter visibiles Filij missiones sunt & aliæ inuisibiles, ac spiritales, quas August. his verbis explicat lib. 4. de Trinit. c. 20. *Aliter Sapientia mittitur, vt sit cum homine; aliter missa est, vt ipsa sit homo. In animas enim sanctas se transfert, atque amicos Dei & Prophetas constituit; sicut etiam Sanctos Angelos, & omnia talibus ministeriis congrua operatur. Ab illo mittitur Dei Verbum, cuius est Verbum. Ab illo mittitur, de quo natum est. Mittit, qui genuit; mittitur, quod genitum est. Et tunc vnicuique mittitur, cùm à quoquam cognoscitur, atque percipitur.* Nec minùs disertè Ambrosius lib. 5. de fide, cap. 3. *Si sobriè de Dei Filio, quæ digna sunt, opinemur; ideò missum intelligere debemus, quòd ex illo incomprehensibili secreto maiestatis profundæ dedit se comprehendendum pro captu nostro mentibus nostris Verbum, non solùm cùm se exinaniret, sed etiam cùm habitaret in nobis*, &c. Quando per extraordinariam sapientiam Deus alicui communicatur, debet effectus ille tribui Filio, qui se specialiter probat per illam; atque adeò dicitur Filius mitti ratione illius effectus, iuxta illud: *Da mihi sedium tuarum assestricem Sapientiam. Mitte illam de cælis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret.* Sap. cap. 9. Aduerte sanctos Patres explicare sæpissimè Filij, & Spiritus sancti ad nos missionem, seu aduentum, per id quòd eos cognoscamus; quemadmodum videre est in Augustino, & Ambrosio hîc iam citatis, aliisque Patribus multis. Ratio esse potest, quòd ea sit vis intellectus seu cognitionis, vt attrahat obiecta, & ad se venientia recipiat, atque quodam modo introeuntia admittat, contrà ac fit in voluntate, quæ non ad se obiecta trahit, sed ab his trahi se patitur, & ad ea velut accedit. Vnde rariùs missio earumdem personarum explicari solet per id quod eas diligamus, quamvis munus à Deo veniens, verè sit ea dilectio.

Missiones Spiritus sancti.

4. Missiones Spiritus sancti plures occurrunt, cùm aspectabiles ac sensibiles, tùm inuisibiles, & merè spiritales. Non verò audiendus est Corduba, qui *lib. 1. quæst. 41.* ait, Spiritum sanctum nunquam mitti sine Filio, nisi sola appropriatione. Fundatur, quia mitti sine Filio conuenire non potest ipsi Spiritui ratione alicuius relationis realis: nam relatio non est causa missionis. Sed nec ratione alicuius peculiaris effectus; nam omnis effectus ad extra est totius Trinitatis: ergo sola appropriatione ipsi dicitur conuenire, secundùm quam aliqui effectus, qui reuerà communes sunt, ei tribuuntur. Sed non attendit hic author, quòd licèt omnis effectus ad extra toti sit Trinitati communis; tamen potest aliquis effectus sufficienter esse proprius, & peculiaris vni personæ, vt hæc verè dicatur mitti ratione illius. Ita Verbum ratione vnionis hypostaticæ missum fuit, non quia illam effectiuè producens, communem cum aliis personis habuit; sed quia illam sine aliis personis terminauit formaliter. Quis autem non videt, eodem modo mitti potuisse Spiritum sanctum, vt sine Filio incarnaretur? Item Spiritus sanctus ratione linguarum ignearum missus est, non quia venit, vt eas produceret cum aliis personis; sed quia venit, vt per eas significaretur solus.

Denique licèt aliquis effectus pertineat ad omnes personas communiter secundùm rem ipsam; non dubito, quin, si secundùm appropriationem & æstimationem nostram fundatam in ipsa personali constitutione pertineat ad Spiritum sanctum, dicenda sit ratione talis effectus tertia persona mitti: nam ea specialiter manifestatur nobis ratione talis effectus. Quis enim dicat Spiritum sanctum fuisse ad Apostolos missum, vt eum simpliciter intuerentur apparentem in linguis igneis, & non vt eum substantialiter reciperent, quasi productorem donorum Propheticorum ac Apostolicorum, secundùm quos ipse antea non erat in illis.

5. Variæ Spiritus sancti missiones extitère sensibiles, quales nimirum contingere solent per signa, quæ non tantùm obiiciantur visioni imaginariæ, vt sæpè olim fiebat in Prophetis; sed quæ sensus externos, putà oculos, vel aures, moueant. Quamvis non soleat apud Theologos de aliis institui disputatio missionibus, quàm de iis, quæ ad spiritualem ordinem pertineant; Durandus tamen missiones trifariam ita diuisit, vt alias diceret pertinere ad ordinem naturæ, alias ad ordinem gratiæ, ac tandem alias ad ordinem gloriæ. Et quidem negandum non videtur, primam & solemnem quandam fuisse Spiritus sancti missionem in ordine naturali ad creaturarum productionem, iuxta illud Psalmi 103. ***Emittes Spiritum tuum, & creabuntur***; & earumdem conseruationem, quò spectat illud Geneseos cap. 1. ***Spiritus Domini ferebatur super aquas:*** siue vt fert vis Hebraïci textus, incubabat aquis, vt eo scilicet incubatu prolifico vniuersa fœcundaretur, conseruareturque natura. Eleganter Cyprianus tractans de Spiritu sancto: *Hic Spiritus ab ipso mundi initio aquis legitur*, inquit, *superfusus, non materialibus aquis, quasi vehiculo indigens, quas potiùs ipse ferebat. Hanc vitam mundi, hunc motum, hanc rerum essentiam, animam mundi Philosophi vocauerunt, putantes cœlestia corpora huius animæ virtute moueri; & aquas, & terram, & aërem huius semine impraegnari: non quòd ipse sit substantialis anima singulis, sed in se singulariter manens, de sua plenitudine distributor magnificus proprias efficientias singulis diuidit, & largitur.*

6. Sunt & aliæ Spiritus eiusdem missiones supra naturæ ordinem, quas noui Scriptura Testamenti testatur. Eæ verò ad quatuor præcipuas reduci possunt. Primò enim sub Christi Baptismum vidisse se Spiritum sanctum de cœlo assumptâ columbæ specie descendentem, testatus est Ioannes Baptista, cùm dixit, *Vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cœlo, & mansit super eum.* Ioan. cap. 1. Idemque Lucas cap. 3. declarat, dicens: *Et ascendit Spiritus sanctus corporali specie quasi columba.* In qua missione aduertendum est, non propriè ad Christum, nec vt in Christo quicquam operaretur, missum fuisse Spiritum sanctum, quamvis super eum manserit, & apparuerit: tantùm enim ad Ioannem, & circumstantes missus est, vt eos quis & qualis Christus esset, edoceret. Præterea notandum est, columbam illam (seu verum, vt putauit Augustinus in libro de agone Christiano, *cap.* 12. seu non verum, vt alij, fuerit animal) nequaquam aliam habuisse, quàm moralem vnionem cum Spiritu sancto, per specialem huius in ipsa præsentiam. Nec audien

audiendus Tertullianus *lib. de carne Christi*; *cap.3.* asserens columbæ naturam à Spiritu sancto (perinde ac humanam à Verbo) fuisse assumptam; & *tam verè* (vt ipse loquitur) *Spiritum fuisse columbam, quàm & Spiritum.* Quod mirum est illum censuisse, qui Spiritum sanctum asseruit factum esse montanum, & montanum fuisse verum Paracletum. Sic enim Spiritus sanctus plures habuerit vniones hypostaticas. Reiicit Augustinus assumptionem illam columbæ hypostaticam pluribus locis, & nominatim lib.2. de Trinitate, cap.6. *Nusquam scriptum est*, inquit, *quòd Deus Pater sit maior Spiritu sancto, vel Spiritus sanctus minor Deo Patre. Quia non sic assumpta est creatura, in qua appareret Spiritus sanctus, sicut assumptus est Filius hominis.*

7. Post primam illam Spiritus sancti sub columbæ figura visibilem apparitionem, potest afferri secundo loco nubes lucida in die Transfigurationis. Tunc enim apparuisse in ea nube Spiritum sanctum asserit Diuus Thomas 1.*p.q.*43.*art.*7. necnon August. *epist.* 102. *ad Euodium.* Tertio loco, poni potest eiusdem Spiritus sancti missio sensibilis, cùm post resurrectionem Christus in discipulos *insufflauit, & dixit eis*: *Accipite Spiritum sanctum*, Ioan.20. *Flatus enim ille corporeus*, ait Augustinus lib.4. de Trinitate, cap.20. *Demonstratio fuit per congruam significationem, non tantùm à Patre, sed etiam à Filio procedere Spiritum sanctum.* Quarto denique loco celeberrima fuit Spiritus sancti missio visibilis. Quando, vt narratur Act. cap.2. *Completis diebus Pentecostes factus est repentè de cælo sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis, & apparuerunt dispertita linguæ tanquam ignis, & repleti sunt omnes Spiritu sancto*, &c. In qua visibili missione sonus ille, ventus vehemens, & linguæ, & ignis quæ fuerunt symbola, & signa Spiritus sancti sensibilia, illum ipsum verè, realiter, ac substantialiter præsentem exhibuerunt. *Adfuit enim is per ipsam præsentiam maiestatis, atque non odor balsami, sed ipsa substantia sacri defluit vnguenti*, vt ait Augustinus sermone de Pentec. Illa verò prædicta symbola, vt non magnam scholasticam, sic & vberrimam habent moralem disputationem, quemadmodum videre est apud Scripturæ Interpretes. Tantùm ex Ambrosio addam, intelligi ex modo, quo tunc Spiritus sanctus super Apostolos descendit, quantus gratiarum imber, & affluentia Ecclesiam Christianam ingenti strepitu, impetuque inundarit præ Iudaica Synagoga, apud quam modicæ roris, tacitæque guttæ in sola victimarum vellera decidebant. Quin & ipsum Verbum æternum nascendo vix aliud in Iudæa præter Gedeonis vellus tacitis gratiarum suarum aquis modicè irrorauit: *Christus* (inquit Ambrosius in prologo libri de Spiritu sancto) *Incarnatione descendit, vt ros in vellus. At vbi euasit immortalis, & cæli incola intonuit; non tam rore, quàm imbre terram ipsam copiosè impleuit; non Iudæam solam velleribus victimarum intentam, sed omnes gentes.* Longior sim, si prosequi velim, an, & quomodo per impositionem manuum Apostolorum, & per Sacramentorum perpetuam in Ecclesia collationem, &c. Spiritus sancti missio sensibilis, propriaque censeri debeat.

8. Inuisibiles Spiritus sancti missiones, quibus interna charismata sine vllis sub sensum cadentibus signis confe

conferuntur, magnam varietatem habent, ac multiplices effectus, putà sapientiæ, scientiæ, fidei, curationum, propheriæ, linguarum, & quosdam alios, quorum enumerationem, & diuisionem videre est apud Paulum 1. *Corint. cap.* 12. qui vbi multa recensuit charismata, quæ ad aliorum vtilitatem, & Ecclesiæ vniuersæ bonum potiùs, quàm ad propriam vniuscuiusque sanctitatem pertinent, tandem hac admonitione concludit: *Æmulamini autem charismata meliora*; charitatis scilicet donum, quod æmulemur, indicans; cùm cætera, quamvis à Spiritu sancto munera per se sola nihil prosint, vt ait August. *lib.* 15. *de Trinit. c.* 18. Quo eodem loco, postquam dixit, Spiritum sanctum cùm sit Deus, vocari donum Dei, subdit: *Quod donum propriè quid nisi charitas intelligenda est, quæ perducit ad Deum, & sine qua quodlibet aliud donum Dei non perducit ad Deum?* Sola enim charitas est, quâ iustificamur, & quæ nos Dei filios adoptiuos facit, non per seipsam præcisè; nam ipsa est creatum aliquod accidens; per creaturam autem adoptio diuina participari non potest, vtpote supra creaturæ constituta fastigium, inquit Cyrillus septimo dialogo de Trinitate; οὐκ ἐν κτίσματι μεθεκτὸν τὸ ὑπὲρ τὴν κτίσιν. Et quidem non ita charitaris creatæ perfectio repugnat, quin illam Deus conseruare posset, ac non destruere, quando iustus aliquis peccat mortaliter: sed iustificatio, diuinaque adoprio fit per ipsius substantiam Spiritus sancti, qui ex institutione diuina coniunctus est infusioni charitatis, & cum hac nobis οὐσιωδῶς datur, iuxta illud: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Rom. 8. Vbi & diffundi charitatem, & simul Spiritum sanctum asserit dari; vt nimirum maneat, & habitet in nobis, sicut Christus ait, de eo loquens Ioan. 14. *Cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.* Et eundem testatur Paulus, habitare in nobis, 1. Corinth. 3. *Templum Dei estis vos, & Spiritus Dei habitat in vobis.* Quamuis simul tres omnes personæ in animabus iustorum habitent, atque maneant, vt Christus testatur Ioan. 14. *Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Ita quidem vt Pater venire dicatur simpliciter: mitti verò à Patre Filius, & ab ipso Patre Filioque Spiritus sanctus.

9. Cui nihilominus Spiritui sancto passim solet, vt personalis proprietas, tribui hominum iustificatio, & in Dei Filios adoptio. Vnde Cyrillus in septimo dialogorum ad Hermiam ait, Spiritum sanctum ἡμᾶς υἱότητος δόξῃ καταχρυσοῦν, hoc est, *deaurare nos gloriâ filiationis.* In hoc autem diuina illa filiatio consistit, vt ipsum οὐσιωδῆ possideamus Dei Spiritum. Quare id quod ait D. Thom. 1 *p. quæst.* 8. *art.* 3. & *quæst.* 43. *art.* 3. Deum post infusionem charitatis esse in creatura sicut cognitum est in cognoscente, & sicut amatum in amante, non sufficit nisi aliud addatur. Id enim non est Deum realiter & plusquam causaliter per sua creata munera, seu plusquam obiectiuè incipere de nouo esse in anima iustificata. Est ergo necessarium, vt Spiritus sanctus non modò antecedenter, vt causa, & per suam potentiam; sed etiam consequenter, aut concomitanter per suæ substantiæ inexistentiam maneat in anima. Qualis inexistentiæ necessitatem non afferunt secum aliæ præter charitatem

charitatem virtutes, quantumvis supernaturales; quæ licèt non possint produci, nisi Spiritu sancto substantialiter præsente, & immediatè operante; diuina tamen adoptio præsentem illum requirit non tantùm vt productorem, sed etiam abstrahendo à ratione productionis, vt amicum perfectissimum. Idque requireret diuina ipsa adoptio, quamvis charitatis virtus nullo modo produceretur à Deo, sed aliunde haberetur. Imò quamvis post actum contritionis homo per solam voluntatem Dei absque vlla receptione charitatis habitualis creatæ acceptaretur ad gratiam, & veram amicitiam, nulla alia sua mutatione, quàm morali.

10. Petes, num quoties nouus gradus charitatis & gratiæ in animam infunditur, debeat dici toties mitti Spiritum sanctum? Respondeo, quamvis id negent aliqui, quòd nullus dici posse videatur eò venire aut mitti, vbi antea erat, melius tamen alij cum Suare affirmant. Sufficit enim, quòd persona diuina præsentiam nouo quodam titulo incipiat habere. Alioqui nulla posset vnquam diuina persona aliquò venire, seu mitti; cùm præsupponatur esse vbique per suam substantiam, præsentiam, atque potentiam. Petes præterea, num quoties aliqua est missio visibilis, debeat simul interuenire inuisibilis, quæ contingit per iustificationem, & gratiæ, seu charitatis infusionem. Respondeo. Licèt missio visibilis aliquando per se cum inuisibili coniungatur, ita vt illa ad istam ordinetur, sicut contigit in die Pentecostes, cùm ad linguarum ignearum præsentiam repleti sunt Apostoli donis interioribus Spiritus sancti: nihilominùs accidere potest vt visibilis missio coniungatur vel solùm per accidens, vel etiam nullo modo cum inuisibili. Ita in Incarnatione cum visibili secundæ personæ missione fuit coniuncta per accidens missio inuisibilis Spiritus sancti ad animam Christi sanctificandam; sic nempe vt visibilis carnis assumptio non per se referretur ad illam sanctificationem, quæ inuisibilis erat, significandam. At verò in Baptismo Christi missio Spiritus sancti sub specie columbæ fuit merè visibilis super Christum; nullam enim tunc gratiam internam à Spiritu sancto Christus accepit.

18. Denique vt intelligatur qualis, & quàm expetenda, quamque glorianda sit Spiritus sancti ad nos missio, quidque operetur prædicta eius in cordibus nostris inhabitatio, lubet Cyprianum audire id eleganter explicantem: *Adesto sancte Spiritus* (inquit in ea quam de ipso Spiritu scripsit oratione) *& paraclesin tuam expectantibus illabere cælitùs: sanctifica templum corporis nostri, & consecra in habitaculum tuum: dignam te habitatore domum compone, adorna thalamum tuum, & quietis tuæ reclinatorium circumda varietatibus virtutum; sterne pauimenta pigmentis; niteat mansio tua carbunculis flammeis, & gemmarum splendoribus, & omnium charismatum intrinsecùs spirent odoramenta; affatim balsami liquor fragrantiâ suâ cubiculum tuum imbuat*, &c. Nec verò diuinus hic Spiritus in iis quibus illabitur, mentibus est otiosus ac inutilis. Varia enim variis dona muneraque confert. Summam quidem Salomoni sapientiam largitus est, vt Danieli intellectum; Iosephoque consilium; Samsoni verò fortitudinem, & vt corporis, sic animi vires; at scientiam

Moysi, Dauidi pietatem; Iobo autem timorem Domini. Eodemque modo nullus vnquam erit, qui, si cordis sui penetrale, quibus par est ornatum instructumque virtutibus summo illius Spiritus Numini consecrarit, non se protinus omni cælestium gratiarum genere auctum locupletatumque experiatur.

CAPVT VII.

De quibusdam in Trinitatis Mysterio loquendi modis.

1. NOtanda sunt in præsenti Mysterio quatuor. Primò vnitatem naturæ in tribus omnibus personis reperiri. Secundò summam esse indistinctionem in attributis naturalibus (siue illa essentialia, siue contingentia sint) comparatis cum essentia, & inter se: tùm etiam in iisdem comparatis cum relatiuis: tum denique in relatiuis comparatis inter se, dummodo non opponantur, & vnum non sit vllo modo correlatiuum alterius. Tertiò notandum est, distinctionem virtualem realem reperiri inter omnia absoluta ex vna parte, & omnia relatiua ex alia: item inter ea relatiua, quæ non habent inter se oppositionem. Quamuis enim diuinitas & paternitas à parte rei sint vna entitas simplicissima; nihilominùs ita se habent realiter in ordine ad quædam contradictoria, ac si essent duæ entitates: nam realiter diuinitas non generat, paternitas generat; diuinitas communicatur Filio, paternitas non communicatur: atque idem est de spiratione actiua, & paternitate, siue filiatione; nam spiratio actiua est in Filio, Paternitas non est in Filio; spiratio actiua est in Patre, Filiatio non est in Patre, &c. Quartò notandum est, distinctionem esse realem inter personas, seu relationes sibi oppositas. Atque iuxta hæc quatuor notabilia possent quoad loquendi modos præscribi regulæ nonnullæ. Ea verò cuncta notabilia vides referri ad duo capita; quibus conciliandis tota huius mysterij tractatio difficultasque continetur. Prius caput est vnitas realis, ad quam tria prima notabilia referuntur: posterius est distinctio, siue realis, ad quam spectat quartum notabile; siue virtualis, ad quam tertium notabile.

2. Iuxta primum notabile prima regula sit: Vitari debent ea nomina, & loquendi genera, quæ diuersitatem essentiæ, vel eorum quæ se tenent ex parte essentiæ, videntur importare. Propterea nomina essentialia, seu quocumque modo (etiam accidentaliter & contingenter) se tenentia ex parte essentiæ, debent prædicari de tribus personis in singulari tantùm numero, si quidem substantiua sint: nam quando substantiuum aliquod nomen ponitur in plurali, significatur, formam quæ per ipsum declaratur, multiplicem esse ac diuersam. Atque hinc est, cur dicamus, tres personas esse vnum Deum, vnum æternum, vnum omnipotentem in sensu substantiuo. Item vnum creatorem, vnum prædestinatorem, &c. Propter hanc primam regulam vitant Sancti Patres dicere tres pesonas esse aliud & aliud, substantiuè; quamuis non negent, quin eæ sint aliæ, & aliæ, adiectiuè. *Nō est aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus sanctus; quāuis personaliter alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus*, inquit Augustinus lib.

de

de fide ad Petrum, cap. 1. Sana verò imprimis, & orthodoxa est ea locutio, quâ esse dicitur tota Trinitas vnus Deus. Idem enim est ac si diceretur Pater, Filius, & Spiritus sanctus est vnus Deus. Vnde Augustinus *lib. 5. contra Maximinum*, sic ait: *Vnus est Deus Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, hoc est ipsa Trinitas.* Et epist. 66. *Ipsa Trinitas vnus Deus solus, Pater, & Filius & Spiritus sanctus.* Epiphanius hæresi 62. vocat Patrem, Filium & Spiritum sanctum Trinitatem numeratam, *τριὰς ἀριθμημένη πατὴρ καὶ υἱὸς, καὶ ἅγιον πνεῦμά ἐστιν.* Hinc os obstruas Caluini & Lutheri, qui solemnem illam reprehendunt orationem Ecclesiæ; *Sancta Trinitas vnus Deus, miserere nobis.* Quasi nimirùm essentia diuinarum hypostaseon videatur appellari Trinitas, atque ita triplex essentia constitui, auferendo consubstantialitatem. Sed stolida illa subtilitas non magis Catholicos ferit, quàm sanctum Ioannem, dum ait, *Tres esse, Patrem, Filium, & Spiritum.* Non enim nos magis sub nomine Trinitatis essentiam numeramus, quàm Ioannes sub ternario numero in Patre, Filio & Spiritu. Neque subtilior est eorumdem stoliditas, dum obiiciunt, videri Catholicos Trinitatem agnoscere in Deo velut secundam essentiam, quæ eodem modo Patri, Filio & Spiritui sancto communis sit, quo diuinitas; hoc est, videri nos velle Patrem esse Trinitatem, Filium esse Trinitatem, Spiritum esse Trinitatem, perinde ac earum quælibet personarum est diuinitas. Nugæ, & sola hæretici prauitas animi.

3. Porrò ad hanc primam, quam explicamus, regulam pertinet, vt dicamus tres personas vnum esse; quemadmodum admonet Rusticus Diaconus in libro contra Acephalos: *Pater, & Filius, & Spiritus sanctus vnum (inquit) sunt, quia eorum vna natura est: non dicamus autem, vnus sunt, quia tres personæ sunt.* Benè expendit Tertullianus contra Praxeam, *cap. 22.* quæ sit vis harum duarum vocum, *vnus*, & *vnum*. *Vnus*, inquit, *singularis numeri significatio videtur: vnum dicit neutrali verbo, quod non pertinet ad singularitatem, sed ad vnitatem.* Non minùs eleganter, quàm breuiter Nazianzenus orat. 37. explicat, quomodo vnum neutrale substantiam designet, atque cum numero ternario proprietates personales declarante copuletur. *Tria sunt*, inquit, *vnum, diuinitate; & vnum tria, proprietatibus: ἓν τὰ τρία, θεότητι· καὶ τὸ ἓν τρία, ἰδιότητι.* Sed circa hoc audiendus Ambrosius *lib. de dig. cond. hum. cap. 2.* sic loquens: *Ex quo ergo, & qui ex eo, & quo se diligunt ipsa duo, tria sunt; & illa tria ideò vnum, quia sic sunt ex vno illa duo, vt tamen ab eo non sint separata: sed ex ipso sunt, quia non à se; & in ipso, quia non separata; & ipsum ipsa quod ipse; & ipsum ipse quod ipsa; & non ipsum ipsa, qui ipse; & non ipsa ipse, quæ ipsa. Ista duo Deus est, & ipse Deus tria est; & vnumquodque horum trium Deus est; & omnia illa tria non Dij, sed Deus est.* Accedat & Hilarius, qui *lib. 7. de Trinit.* sic habet: *In hac perfectæ natiuitatis beatissima fide vitium omne & duûm Deorum, & Dei singularis extinguitur; cùm qui vnum sunt, non sit vnus; & qui non vnus est, non tamen ab eo qui est, ita differat, vt vterque non vnum sit.*

4. Secunda regula connexa est cum regula præcedente, & fundatur tam in primo, quàm secun-

do notabili. Eæ locutiones probæ sunt, quibus significatur vnitas naturæ, & realis ac entitatiua identitas inter ea omnia, quæ se tenent ex parte ipsius naturæ; siue ea sint essentialia, siue accidentalia, seu contingentia. Item in quibus significatur identitas naturæ, seu prædicatorum naturalium cum relatiuis omnibus; necnon identitas relatiui vnius cum iis relatiuis, quibus non opponitur, nec ex aduerso respondet. Igitur dicendum est primò naturalia omnia posse de naturalibus ita prædicari, vt & concreta de concretis, & abstracta de abstractis; item permixtim concreta de abstractis, & abstracta de concretis enuntientur. Istud sumitur ex Concilio Lateran. *cap.* 1. *&* 2. de summa Trinitate; & ex Remensi, cuius hæc verba sunt: *Credimus, & confitemur simplicem naturam Diuinitatis esse Deum, neque aliquo sensu catholico posse negari, quin Diuinitas sit Deus, & Deus Diuinitas.* Hucusque Concilium. Ex quo sequitur dici eodem modo posse, *Deus est sapientia sua, cognitio sua, decretum suum,* &c. Ac vice versa, *Sapientia est Deus,* &c. Pariter dici potest in sensu identico, *Diuina cognitio est volitio, sapientia est æternitas, iustitia est misericordia,* &c. Item dubium non est, quin adhuc formaliùs dici possit, *Deus est sapiens, iustus,* &c. Concreta enim de concretis prædicari possunt etiam in creaturis proprio, ac formali sensu; cùm abstractorum prædicatio sit tantùm in sensu identico, seu entitatiuo. Dicendum est secundò, posse prædicari naturalia omnia de omnibus, ac singulis relatiuis: item relatiua de omnibus, ac singulis naturalibus, siue in abstracto, siue in concreto. Posse & relatiua aliqua prædicari de aliquibus relatiuis. Itaque sicut probè dicimus, *Deus est Pater & paternitas, & Filius & filiatio, & Spirator & spiratio, & Spiritus sanctus;* & è contra, *Pater est Deus, Deitas, Sapientia,* &c. Ita non minùs valet, *Pater est Spirator, Filius est Spirator, spiratio actiua: Spirator est Pater, paternitas,* &c. Quia scilicet huiusmodi relatiua non sibi opponuntur.

5. Tertia regula fundata in secundo notabili superiùs proposito vetat illas locutiones, quibus tollitur virtualis ea diuersitas, quæ est inter essentiam, & relationes; necnon inter spirationem actiuam, & duas primas personalitates. Quare Concilium Lateranense, *cap. Firmiter,* has propositiones (sumptas in sensu formali, & plusquam identico) damnat, *Essentia, aut deitas generat, Deitas generatur, Deitas spirat, aut spiratur.* Ratio est, quia per eum loquendi modum significatur rationem formalis principij, terminíque generationis, aut spirationis conuenire essentiæ. Atque ita tollitur distinctio virtualis, quæ est inter essentiam, & relationes. Pari modo damnari possent hæ propositiones: *Fœcunditas intellectiua spirat, filiatio spirat, fœcunditas spiratiua generat.* Eundem ad errorem pertineret si quis diceret, *Filius generatur per voluntatem, intellectus producit Spiritum.* Intellectus enim & voluntas habent in ordine ad illa prædicata distinctionem realem virtualem, & in hoc realiter velut separantur, quòd intellectus habeat realiter fœcunditatem generatiuam, quam non habet voluntas; & contrà, hæc habeat fœcunditatem spiratiuam, quam ille non habet. Aduerte, quòd licèt non sit verum,

Deitas

Deitas generat, Deitas generatur, &c. in sensu formali; est tamen verum, *Deitas est id quod generat, Deitas est id quod generatur*. Quare idem periculum quod in aliis est prædictis propositionibus, non putatur reperiri in his sequentibus, *Deus est Pater, Deus est Filius, Deus est Spiritus sanctus; Deitas est Pater, Filius, Spiritus; Deus & Deitas est tres personæ, & Trinitas*. Quamuis enim videatur idem esse, quòd *Deitas sit Pater, vel Filius*, & quòd *Deitas generet, vel generetur*; non tamen in eundem sensum sumitur, sed istud vltimum, in quo per verbum adiectiuum prædicatio fit, prædicatur in sensu formali, qui falsus est; & illud prius, in quo prædicatio fit per Verbum substantiuum, explicatur in materiali, ac per consequens vero sensu; itáque colligitur ex Concilio Remensi contra Porretanum, vbi admittitur quòd Deitas sit Pater, &c.

6. Petes, an & in quo sensu veræ sint hæ propositiones, *Deus generat, Deus generatur*? Respondeo veras esse, dummodo in ambabus nomen *Deus*, non sumatur eodem modo. Nam in priori propositione sumitur provt subsistit per primam personalitatem; in altera verò, provt subsistit per secundam. Si autem sumatur pro conceptu ex parte subsistentiæ abstracto (nempe pro composito ex deitate & ratione vniuersali substãtiæ relatiuæ) dicendum erit eatenus hanc prædicationem, *Deus generat*, esse prædicationem inferioris de superiori, perinde ac si diceremus, *Animal est homo, animal est Pater Sophronisci*. Vbi homo, vel Socrates prædicatur de animali generico. Cauendum verò est, ne ibi sumatur Deus pro composito ex deitate, & substantia absoluta, seu communi, nec relatiua, qualem aliqui admittunt; quomodo Deum sumunt, cùm dicunt Deum esse Creatorem, &c. Nam in hoc sensu nihil de Deo prædicari potest, quod non conueniat omnibus personis, vt benè contra Caietanum docet Suares *lib.7.cap.7*. De varia acceptione huius nominis, *Deus*, videri potest Suares *lib.4.cap.14*. Non probo autem, quod idem author *lib.7. cap.7. sub finem*, ait, has duas propositiones, *Deus generat*, & *Deus non generat*, esse verè contradictorias, ac per consequens non posse ambas esse veras. Meliùs videtur philosophari Durandus, Aureolus, Gregorius, Gabriel, Marsilius, &c. putantes, cùm hæc sit vera, *Deus generat*, posse nihilominùs hanc esse veram, *Deus non generat*, vt constat. Filius enim est Deus, nec generat: non sunt igitur propriè contradictoriæ duæ illæ propositiones; sed quasi subcontrariæ. Nam Deus quoad suppositionem pro personis habet vim termini communis. Vnde sicut affirmatiua verificatur de vna persona, sic negatiua verificatur de altera; vt qui diceret, *Homo est Æthiops: Homo non est Æthiops*. Si tamen particula negatiua præponeretur, tunc foret contradictio; *Deus generat; Non Deus generat*. Quemadmodum si quis diceret; *Aliquis homo est Æthiops; Non aliquis homo est Æthiops*.

7. Petes vlteriùs, quid censendum sit de his propositionibus, *Filius est Deus de Deo, & sapientia de sapientia; Substantia de substantia, lumen de lumine*, & similibus? Respondeo, dicendum ferè idem, quod ad superioris numeri petitionem respondimus. Nempe cùm dicitur, *Deus est de Deo*, non esse sumendum Deum in

in subiecto propositionis eodem modo & sensu, quo in prædicato. In subiecto enim sumitur provt subsistit per secundam personalitatem; in prædicato autem, vt per primam. Licèt enim nomen, *Deus*, sit quid singulare, & formaliter simplicissimum; tamen virtualiter est aliquid vniuersale, & æquiualet tribus. Quo sensu dixit Athanasius oratione 5. ἐκ θεοῦ θεός ἐστι, καὶ τοῦ θεοῦ λόγος. Atque hoc ipsum in aliis similibus propositionibus dicendum est de nominibus *Sapientia*, *Substantia*, *Lumen*. Habent enim sapientia, substantia, lumen, &c. in Patre fœcunditatem intellectiuam, quam non habent in cæteris personis. Quare propositiones illæ vsurpantur à Sanctis Patribus, vt habentes distinctum in subiecto & prædicato sensum. Quomodo Epiphanius ait in Ancorato σοφίαν ἐκ σοφίας, ζωὴν ἐκ ζωῆς. Et Augustinus tractatu 39. in Ioan. *Deus de Deo Filius dicitur, Lumen de Lumine: Pater dicitur Deus, sed non de Deo.* Similiter *lib. 15. de Trinit. cap.*10. Filium appellat, *Consilium de consilio, voluntatem de voluntate, substantiam de substantia, sapientiam de sapientia.* Quod voluntatem de voluntate dixit, faciliùs intelligerem, si de Spiritu sancto potiùs, quàm de Filio dixisset.

8. Quarta regula fundata in quarto notabili: Vsurpandæ sunt eæ propositiones, quæ personarum realem distinctionem significant; cauendæ autem, quæ personas, provt in se, & immediatè spectatas, videntur aliquo modo confundere. Hinc fit, vt absolutè dicendum sit, *esse tres personas*, *esse plures personas*, *Patrem & Filium esse duos* (in masculino,) seu *esse duas personas*, &c. Ita potest dici esse multiplicem personam, triplicem personam, duplicem processionem, duplicem personam procedentem, &c. non tamen dici potest multiplex, aut triplex Deus: *Non quoniam Trinitas est, ideò triplex Deus putandus est*, inquit Augustinus *lib. 6. de Trinit. cap.*7. Et Concilium Toletanum X. *Non triplex, sed Trinitas & dici & credi debet.* Quia hæc nomina, *multiplex*, *triplex*, & similia, illud, cui adiunguntur, numerant. In quo differunt ab hoc nomine, *Trinus*: nam istud secundum communem Catholicorum vsum non numerat nisi personas, & de formali significat distinctionem earum, vt adiunctam vnitati Deitatis. Quare ritè dicitur, *Trinus Deus*. Vnde Diuus Thomas *quæst. 31. art. 1.* ait *Trinitatem significare Trium vnitatem.*

9. Porrò cùm verum Dei numen (quale, quantumque est) alio nec soleat, nec æquè commodè possit, quàm Trinitatis nomine declarari; ad hanc quartam de tanto mysterio loquendi regulam maximè pertinet, vt explicetur, quæ sit vis illius nominis *Trinitas*, quod noua Christianorum institutione huic mysterio impositum est tanquam proprium, & quo nullum inter Orthodoxos vsitatius, aut sanctius. Ergò, *Trinitas*, provt verum Deum designat, non modò numerum sonat ternarium, sicut hæc vox *ternio*; sed etiam cum ternario personarum numero simplicissimæ denotat vnitatem essentiæ. *Sancta Trinitas* (inquit Concilium duodecimum Toletanum) *vt non recedit à numero, sic & vnitatem includit.* Quare Deus qui refugit vocari triplex; dici tamen amat Trinus, ob vnitatis suæ naturalis amplitudinem in tres personas, vt sic loquar, porrectam, quam Nazianz. appellat χύσιν, χεομένην θεότητα, καὶ μόναδα.

μετάδοσιν τριαζομένην: hoc est, *diffusionem diuinitatis*, & *monadem velut triplicatam*. Scitè Isidorus: *Trinitas appellatur*, inquit, *quod fiat totum vnum ex quibusdam tribus, quasi Triunitas*. Id occasionem dedit Magistro *dist*.24. existimandi, etymon huius vocis esse à ternario & vnitate, ita vt Trinitas dicatur pro Triunitas. Sed quicquid sit de etymo, quod quidem si grammaticaliter examinaretur, non magis ab vnitate Trinitas dicta videretur, quàm hæ voces eandem cum illa terminationem habentes, *Bonitas*, *Sanitas*, *Humanitas*, &c. quas nullus idem esse affirmet, ac bona vnitas, sana vnitas, humana vnitas, &c. nihilominus attendendo significationem ex institutione Ecclesiæ, certum est quod dixit Isidorus, & post hunc cum aliis Diuus Thomas loco suprà citato, Trinitatis vocabulum accipi pro trium vnitate. Sicut enim relatio, ex Boëtio multiplicat Trinitatem; ita illam essentia in vnitatem adstringit. Atque eadem est, quæ Latino Trinitatis, Græco τριὰς vocabulo subiecta sententia; idque ex pari institutione Ecclesiæ absque vllo etymologiæ respectu. Hæc de notione legitima Trinitatis (quantum ad nominis impositionem attinet) moneri à nobis iam oportuit, cùm regulas præscriberemus de tanto loquendi emendatè mysterio. Quandoquidem inter Christianos de suo Deo disputantes nullum æquè frequenter ac Trinitatis vocabulum vsurpandum occurrit, haud sine manifesto errationis periculo, vt satis ex præsenti tractatu intelligitur, qui totus, quàm potuimus accuratâ de Vno, Trinoque Deo disputatione continetur; & cui tandem ita finem imponimus, vt nihil in illo dictum velimus, quod non Romanâ orthodoxæ fidei normâ dirigatur.

CAPVT VIII.

De bonitate sanctitateque notionali, cùm in Spiratore, tùm in Spiritu sancto considerata. Mystica contemplatio.

1. CVm duo sint in Trinitate principia, totidem sibi consubstantiales producentia personas, & circa Patrem (quod sine principio primum est rerum quà increatarum, quà creatarum principium) perfectiones aliquas, quæ in illo ante Filij generationem concipi possunt; speciatim verò sapientiam in ipso ad Filium gignendum fœcundam considerauerimus; restat vt circa Spiratorem (quod alterum est ad intra principium) antequam totus hic de summo τριουποστάτου ἑνάδος mysterio tractatus claudatur, contemplanda proponamus attributa, quibus siue proximè, siue remotè facultas tertiam producendi personam continetur. Gemina verò sunt attributa eiusmodi, quæ spirandi fœcunditatem formaliter respiciant, huiusque sint fundamentum; siue immediatum, qualis est sanctitas diuinæ voluntatis; siue mediatum, longéque remotius, quale est lumen intellectiuum notionaliter sumptum; siue sapientia, quæ formaliter & reduplicatiuè prout in Patre generans, & prout in Filio genita prædictæ quodammodò radix est origóque sanctitatis spiratiuæ, quatenùs hanc peculiariter, & formalissimè intendit siue communicare, quatenùs generans; siue

ue accipere, quatenùs genita.

2. Vt de immediato priùs agamus principio; & quænam sit ea voluntatis bonitas, quam sanctitatem dicimus, intelligatur, attendendum est, bonitatem in Deo duplicem distingui posse. Naturalem, quæ vniuersim naturæ diuinæ quascumque perfectiones complectitur; & moralem, quæ strictiùs sumpta ad solam pertinet voluntatem. Naturalis bonitas, quantacumque est, communicatur (si non primariò, & formaliter quoad omnes suas partes, saltem secundariò & materialiter) Spiritui sancto, qui per illam absolutè dicitur θεὸς αὐτοπλής καὶ ὑπερπλής, vt loquitur Dionysius *cap. 15. de diu. nom.* Moralis autem bonitas, voluntatisque sanctitas (quæ naturalis bonitatis pars est) cùm proximũ sit virtutis spiratiuæ fundamentum, ipsi citra suam fœcunditatem communicatur Spiritui sancto per se ac formaliùs, quàm cætera bonitas naturalis. Atque cùm hæc sanctitas consistat in commensione & conuenientia cum diuini intellectus dictamine circa agendorum honestatem; intellectus autem nihil aliud possit dictare, quàm quod conforme sit essentiæ diuinæ; hinc fit diuinam sanctitatem positam esse tandem in conformitate cum essentia diuina, quæ radix est illius dictaminis. Atque ea ratione Deus per suam sanctitatem est coniunctissimus cum essentia sua, eoque coniunctionis modo sanctissimus morali voluntatis bonitate. Ita vt omnis alia possibilis sanctitas sit instar nihili, & in eius conspectu cœli non sint mundi, atque in Angelis prauitas reperiatur.

3. Cúmque Spiritus ex illo voluntatis ac sanctitatis affectu procedens, eum ipsum affectum formalissimè sibi communicatum accipiat, atque primariò ac per se cum eo identificetur, dici potest ipsa producta sanctitas, aut charitas, seu peculiari bonitas personalitate subsistens. Atque consideratus secundùm suam differentiam personalem, id habet, vt quemadmodum inter tres personas omnipotentia specialiter Patri, sapientia Filio; sic ipsi sanctitas notionaliter adscribatur: vnde non Spiritus simpliciter, sed cum sanctitatis addito, Spiritus sanctus communiter vsurpatur. Ex quo fit, vt cuncti creaturis collati sanctificationis effectus referantur eidem accepti. Si quis Deum, si quis proximum amat, id huic Spiritui tribuitur, velut charitati personali. Si cuius peccatoris cor animi dolore conteritur, idque criminum à se commissorum odium concipit, quo culpam omnem diluat, & in Dei gratiam reconcilietur; id salutare odium instinctu afflatuque Spiritus sancti censetur obtentum. Est enim ille, vt omnis honestatis & essentialiter & notionaliter amor; sic & omnis turpitudinis, nefariique facinoris odium. Quare in nobis vt omnis honesti studium, sic & omnis vitij odium accendit: ad eundemque referri debet, cùm virtutis remuneratio, Sanctisque collata beatitudinis æternitas; tùm cruciatus constitutus impiis sempiternus.

4. Quemadmodum ea quæ residet in voluntate Sanctitas immediatum est spiratiuæ fœcunditatis fundamentum; sic & mediatum censeri potest modo superiùs explicato ea quæ sedem habet in intellectu sapientia, seu notionale lumen, quatenus in voluntate, quam dirigit, est sanctitatis origo. Cùm enim diuina intelligentia sit infinitè perfecta, palam est in ipsa efficien

efficientiam respectu voluntatis inesse summam debere. Quare mirum non est, si ea cùm secundam personam genuerit, trahere post se consequenter valeat spiratiuam in voluntate facultatem. Sanè apud Philosophos etiam Ethnicos illa cognitio perfectionem scientiæ sola existimatur habere, quæ voluntatem afficit; ea verò quæ in intellectu lucet iners ob reluctantiam obstinationemque voluntatis, censetur esse nulla: eaque notitia, quæ si effectum haberet, sapientia diceretur; si voluntas ipsam negligat, defectu authoritatis & efficientiæ pro ignorantia habetur. Vnde ab Aristotele is qui voluntate peccat, pronunciatur ignorans, licèt clarè videat, laudetque meliora, cùm deteriora sequitur. Quid igitur mirum si diuina Patris intelligentia poscat indiuisim sibi adhærentem voluntatis fœcunditatem, & spirationem actiuam? Quod ni sic esset, ac nisi Patris Æterni intellectus, cùm Filium generat, respiceret vlteriùs, intenderetque in voluntate spirationem vt necessariò secuturam; non haberet nec paternitas, nec illa quâ Filius producitur generatio, cur opponeretur Spiritui, aut ab eo distingueretur; cùm ad ipsum nequaquam vllum haberet respectum.

5. Ex duplici quod exposuimus, tùm proximo, tùm remoto spiratiuæ fœcunditatis fundamento, duplex nobis oritur fructus. Primò enim contemplando diuinæ voluntatis sanctitatem (quæ vt fœcunda proximum est & immediatum spirationis fundamentum) intelligimus, quàm auersetur nefariæ mentis sordes Spiritus ille, qui non potuit nisi in voluntatis diuinæ sancto purissimoque gremio produci. Atque ita quàm nos oporteat mundum illi domicilium in exuta vitiis mente præparare, illudque eximia ornare virtutum supellectile. Amat enim hic Spiritus in nostri cordis penetrale diuertere, atque in illo tanquam in aula Regia commorari, quæ lautiùs ornari non potest quàm charitatis & aliarum virtutum instructu. Itaque consentaneum est, vt cor nostrum in ædem tanto dignam Numine consecremus, quæ religioso pietatis splendore colluceat, & in qua cœlestium odoramenta charismatum spirent; omnis verò abstergatur in primis vitiorum fuligo, & odoris amoueatur fœditas; id enim videtur ille ipse Spiritus sanctus admonere, nobisque præscribere mystici significatione symboli, cùm in Scriptura se exhibet sub columbæ specie. Cuius volucris ea est indoles, vt & obscuræ nigredinis, & fœtoris abhorreat sordes. Passim enim

Cernimus vt veniant ad candida tecta columbæ:
Excipiat nullas sordida turris aues.

Si quod illæ columbarium videant eminùs albario inductum opere, ad illud pernici adspirant volatu; si quod tectum nigrore infuscatum, ab eo aufugiunt. Ita etiam quem suauem afflari sentiunt odorem, eum illico sectantur, tetrum deuitant. Vnde legimus quempiam olim extitisse, qui alienas vt columbas surriperet, suarum alas vnguento, siue aquâ odoratiâ aspergebat, vt auræ suauitate quæ ex harum volatu afflabatur, omnes vicinarum ædium columbas ad suum peristereona pelliceret. Simile quid refert etiam Basilius *epist. 175.*

6. Attendat igitur pro se quilibet Christianus, vt sui cordis, candidique pectoris domus tam illustri possit patère semper hospiti; atque det operam vt illum mundissimo mentis apparatu, animique summo nitore

HHh exci

excipiat, & ſemel admiſſum ſuaui morum quà colore, quà odore detineat. *Habent* (inquit Bernardus ſerm. 71. in Cant.) *mores colores ſuos, habent & odores. Colorem operi dat eius bonitas, & cordis intentio; odorem, modeſtia & virtutis exemplum. Iuſtus lilium eſt ſibi candidum, ſed proximo odoratum.* Aduerte anima pia dignitatem & iucunditatem quæ venit tibi à Deo habitatore tuo; atque illum apud te diuerſantem ſic foue, vt tui rationem ſolius non habeas, ſed habeas etiam proximorum. Quod ad tui quidem rationem attinet, guſta quàm ſuauis ſit Spiritus hic diuinæ bonitatis. Sicut ipſum debes, authore Paulo, portare in corpore tuo: ſic & in teipſa, tanquàm in myſtico ferculo, cuius reclinatorium ſit aureum, aſcenſus purpureus, & quod ipſum totum ſit charitate conſtratum. Quod autem ad proximorum rationem attinet, ſponſus hic tuus in eo myſtico collocari, ſedereque ferculo debet ita conſpicuus & manifeſtus, vt magnum inde ad proximos emolumentum eueniat, portetque numen eius coram quibuſcunque gentibus vſque ad efferatas etiam, longinquaſque, ſi res id poſcat, nationes. Quandiu is intra te erit, ne extra te diſcedas vagatura foris. Non illum tu foris inuenies, & ab ipſo derelictam nemo te non ibi deſpiciet. Cum illo congredere intra conclaue incluſa ſecretius; ibi te docebit & audies arcana diuinæ ſapientiæ verba, quæ nec hominum, nec Angelorum linguis eloqui liceat, & quæ in cor nullius valeat creaturæ quantumcumque excellentis aſcendere.

7. Alterum nobis maximæ vtilitatis fructum præbet Spiratoris Dei lumen intellectiuum, quatenus ſpecialiter in voluntate diuina fœcunditatem reſpicit, formaliterque intendit, vt neceſſariò ſecuturam; huiuſque dici propterea poteſt remotum aliquod fundamentum. Atque ita nos eius admonet efficacitatis & ponderis, quod noſter intellectus, & rerum laudabiliter gerendarum notitia debet apud docilem, ſibique ſubditam voluntatem habere; adeò vt ex ſcientiæ comprehenſioniſque lumine quidam exiſtat animi calor, & fœcundæ ardor ſanctitatis ad vlteriores exteriùs emicans virtutis impetus.

8. * Fulgores quibuſdam in rebus infœcundos ac inertes videmus ſe prodere, qui nullam nec luminis, nec caloris diffundendi vim habeant, ex materia ortos plerumque putrida. Quo modo vermiculi ob ſaniem ventre incluſam ſubluſtri colore inter vepres noctu collucent; vnde nitedulæ, & à quibuſdam noctilucæ vocantur, quas alij cicindelas, Græci verò λαμπυρίδας nominant: ſic etiam putrefacta, ſituque corrupta ligna in tenebris, velut ſi ignem concepiſſent, candère ardentium carbonum inſtar cernuntur. Similes inutilibus illis fulgoribus meritò quis iudicauerit cognitiones eas, & mentis colluſtrationes, quibus homines, morum etiam vitiati putredine, claritatem quidem aliquam nominis, & doctrinæ laudem conſequuntur; at ipſi ſemper frigidi, nullum in voluntate concipiunt virtutis ardorem, nec eos emittere poſſunt radios, quibus reliqui mortales illuminentur, & ad vitam ritè inſtituendam, velut prælata face proficiant. At verò quantam eſt aduertere nitedularum intermicantium in vepribus differentiam, & Solis non tantùm ſua luce cuncta complétis, ſed etiam calore ſuo cuncta animantis, formantis, atque augentis; ita vt naturæ totius mens & temperatio eſſe videatur;

deatur; tanta profectò distantia est inter vanas illas notitias, quarum nullus alius est fructus, præter quendam gloriolæ nitorem, & inter eximia sapientiæ lumina, quæ iisdem, quibus mentes collustrant, radiis voluntatem accendunt, & ad omnem virtutis laudem inflammant; quin etiam se ad proximorum commoda, vtilitatemque extendunt.

9. Sanè quemadmodùm nulla est habenda ratio eius cognitionis, quatumvis eximiæ, cuius monita ideò contemnuntur, quòd illius, velut insipidæ, gustum voluntas non habeat; omnis enim infœcunda, quantumuis erudita alioquin cogitatio, non aliter se habet, vt ait Aristoteles, quàm si quis ebrius Euripidis carmen memoriâ verset, voceque pronunciet. Ita dum honesta cogitatio, virtutisque recordatio voluntati sapit, illa tunc dici debet sobrij hominis vera sapientia, quasi nempe sapida scientia. Tanto siquidem intelligentia simul & voluntas inter se deuinctæ sunt fœdere, vt illam admonentem, hæc obsequens perficiat, & velut impleat; contumax verò, nec morem gerens suo infirmet refutatu, quasi falsitatis conuictam; ita vt quicquid intellectus concepit, nisi à voluntate susceptum fuerit, velut abortiuus partus habeatur.

10. Quare ad hanc rem accommodatè Philo Iudæus in prima legum sacrarum allegoria proprium ait esse nomen insipientiæ, *Parturiens*; & hominem qui sapientiæ sit expers asserit *perpetuum sibi mentis abortum inferre, nec quantumvis intelligentia parturiat, vitale quicquam parere.* Ἀφροσύνη ἐστὶ κύριον ὄνομα· ὠδίνουσα. ὅτι ἄφρων ἐν ὠδινήσει ὢν οὐδέποτε τίκτει. ὅθεν οὐ πέφυκε οὐδὲν γόνιμον τελεσφορεῖν ἡ τοῦ φαύλου ψυχή. ἂν δὲ δοκεῖ προσφέρειν, ἀμβλωθρίδια εὑρίσκει, καὶ ἐκτρώματα. *Insipientia*, inquit, *proprium est nomen, irrito partus labore enitens: propterea quod insipiens cùm in perpetuo enixu versetur, nunquam parit: vnde ita comparatum est, vt mens improbi genitale nihil ad maturitatem perducat: quod si quid proferre videatur, id fœtus esse abortiuus reperitur.* Voluntatis igitur authoritas cognitióni nomen veræ sapientiæ conciliat quidem, si suadentem ipsam persuasa sequitur; aufert verò si fidem ei derogans, sequi instigantem recusat. In hoc enim præsentis vitæ curriculo intelligentia (quæ in futuræ vitæ immortalitate potior esse, & beatitudinis primam, aut etiam formalem rationem continere censetur) primas quodammodo voluntati cedit. Nam quemadmodum voluntatis affectus suam omnibus quæ imperat hominum factis, vel laudem, si bonus est, conciliat; vel si malus, vituperationem: sic etiam ex illo totum pendet decus, & authoritas, vel dedecus & despectus intelligentiæ, provt hanc monentē plurimi fecerit, vel minimi.

11. Cùm Deus nos ad suæ sanctitatis, eo modo quo non ad cæterorum attributorum, imitationem inuitet (*Sancti estote*, inquit, *quoniam ego sanctus sum*,) constat intellectualis creaturæ sanctitatem in eo positam esse, vt intellectus, quoties quæ recta & honesta sunt, repræsentat, voluntatem ad se trahat, sequacemque habeat: sicut intellectus diuini fœcunditas sterilitatem voluntatis pati non potest; sed vt illa genitalis est, sic hanc esse spiratione feracem, ferti-lemque postulat. Nihil enim aliud est ea, quâ nos Deum æmulari oporteat, sanctitas, nisi voluntatis, intelligentiæque consensus; hoc est, nisi vt voluntas cum ratione congruens

sublimes componendorum morum, virtutisque sectandæ monitiones amplectatur, atque illis docilitate sua nomen & gloriam sapientiæ conciliet. Hæc profectò Christianæ menti præcipua Religio, & excelsissima esse debet ratio colendi adorandique in Spiratore Deo mysterium notionalis sapientiæ, & eius quam ipsa sapientia per se formaliterque respicit, fœcundæ sanctitatis.

Totius Operis clausula.

12. Quò in se excellétius, eò humanæ menti periculosius obiectum est diuinitas, vnitasque trina; quæ mortalium inuerecundas de se disputationes nobilitatis suæ sublimitate deprimit, & summâ suâ deformat pulchritudine, quod bene monet Cyril. Alex. initio comment. in Ioan. πρᾶγμα σφαλερὸν καὶ οὐκ ἀζήμιον τοῖς πολλοῖς περὶ τῆς ἀνωτάτω οὐσίας δρᾶται λόγος. Ideſt: *multis lubricum & noxium negotium est disputatio de suprema substantia.* Quare cùm ad tanti splendorem Numinis impudentes mentis oculos nefas sit acriùs defigere; & aliunde, quod de se Deus cognosci credique voluit, non liceat ignorare; nos eâ hîc studuimus vti temperatione, vt nec acriùs humanæ intelligentiæ aciem ad retrusum Trinitatis penetrale instrospiciẽdum ausi simus conuertere, nec tamen diuinitatis arcana (pro eo quantum in sublustri fidei obscuritate internosci, obseruarique possunt) refugerimus exponere. Quod cùm absque Spiritûs sancti ope fieri nequiret, ideò nos illius ductum per sanctorum Patrum vestigia vbique sequi sategimus; siue dum vnius Dei existentiæ probationem libro primo præmisimus; siue dum aliis consequenter libris cætera ordine ostendimus: nempe libro 2. quàm obscurum, & quamdiu olim ignotum fuerit Trinitatis mysterium. Libro deinde 3. quomodo nec simplicem numerus vnitatem, nec simplex numerum vnitas corrumpat; sed innoxiè numerus ὥσπερ ἐν αἰνίγματι contrahatur in vnitatem συνημμένη διαιρέσει, & vnitas extendatur in numerum διακεκριμένη συναφεία, vt loquitur Basilius *epist.* 43. Libro præterea 4. quomodo diuinæ processiones se habeant, & cur secunda, non autem tertia persona, generatione nascatur. Tùm etiam libro 5. quot & cuiusmodi sint quà relationes, quà hypostases, quà notiones. Deinceps libro 6. quæ singularum seorsim personarum conditio sit, & quænam inter ipsas comparatio. Tandem lib. 7. quæ sermonis in huius castigata explicatione mysterij seruanda sit proprietas. Hæc omnia sic prosequuti sumus vt non tam aliquid è Schola theologicum pangere in animo haberemus, quàm perpetuum Trinitati per septem ipsos libros hymnum canere.

13. Porrò nunc denique nobis percommodè cecidit, vt qui toto huius operis decursu ductum Spiritus veritatis implorare, sequique conati fuimus, hoc vltimo demùm capite quiescamus in contemplanda mysticè spiratiua fœcunditate, & ipsius processione Spiritus sancti, cui acceptum soli referendum est quidquid in his libris occurrerit eorum consentaneum obiecto; & ad Romanæ directum Ecclesiæ regulam, quà nostros omnes metiri sensus volumus. Eidem Spiritui, cum suo pariter Spiratore (hoc est toti Trinitati) *benedictio sit, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo in sæcula sæculorum. Amen.*

INDEX

INDEX RERVM OBSERVATIONE DIGNARVM,

Quæ hoc de Sanctiſſima Trinitate Tractatu continentur.

Prior numerus paginam, poſterior paragraphos deſignat.

A

Diuini

T

F I N I S.